Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/institutionescat0004vari

POUGET.

INSTITUTIONES

CATHOLICÆ.

IV.

FATHER'S LIBRARY

TOMUS IV. CONTINET

II. Part.

Cap. prævium. *De Vita Christiana in genere.*

Sect. I.

Cap. 1. *De Peccatis in genere.*

2. *De Peccatis in specie.*

Sect. II.

Cap. 1. *De Virtutibus in genere.*

2. *De Fide.*

3. *De Spe.*

4. *De Charitate.*

5. *De Virtutibus moralibus, et de Vitiis oppositis.*

INSTITUTIONES

CATHOLICÆ

IN MODUM CATECHESEOS,

IN QUIBUS QUIDQUID AD RELIGIONIS HISTORIAM ET ECCLESIÆ DOGMATA, MORES, SACRAMENTA, PRECES, USUS ET CÆREMONIAS PERTINET, TOTUM ID BREVI COMPENDIO EX SACRIS FONTIBUS SCRIPTURÆ ET TRADITIONIS EXPLANATUR;

EX GALLICO IDIOMATE IN LATINUM SERMONEM TRANSLATÆ:

ADJECTIS SINGULIS È SCRIPTURA ET TRADITIONE PETITIS PROBATIONIBUS ET TESTIMONIIS.

AUCTORE EODEM ET INTERPRETE FRANCISCO-AMATO POUGET, MONTISPESSULANÆO, PRESBYT. CONGREGATIONIS ORATORII GALLICANI, SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS DOCTORE THEOLOGO.

EDITIO NOVA, CUM EMENDATIONIBUS ET APPENDICE.

TOMUS QUARTUS.

FATHERS COLLEGE ALMA LIBRARY 254 P862 Alma, California

APUD PERISSE FRATRES, BIBLIOPOLAS,

LUGDUNI
in priori domo
VIA MERCATORIA, 49,
ET VIA GENERALI, 60.

PARISIIS
in recentiori domo
VIA SANCTI-SULPITII, 38.

1857

1067

Rev. James Vila P.P.

Avenione, Typis Fr. Seguin, via dicta Bouquerie, 13.

INSTITUTIONES CATHOLICÆ

AD NORMAM CATECHESEOS.

SECUNDA PARS.

In qua expenditur quâ sit ratione vivendum, ut ad vitam perveniatur æternam, ad quam homines conditi.

CAPUT PRÆVIUM.

De vitâ Christianâ in genere.

Int. Disc. QUID nobis facto opus est, ut ad vitam perveniamus æternam, ad quam sumus conditi?

Resp. Christianè vivendum.

I. Quid intelligis per vitam Christianam?

R. Eam intelligo, quæ ad Christi mores et præcepta conformetur.

I. Quid hoc rei est Christi mores et præcepta?

R. Per se patet, id esse, quod Christus docuit et fecit, dùm in terris degeret. (A)

(A) MATTH. X. 38. Et qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus.

XVI. 24. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

S. AUG. *Epist.* 243. *alias* 38. *ad Lætum*, *n.* 11.... Tolle crucem tuam, et sequere Dominum. Nam cùm te præsens animadverterem domesticis curis à divino studio retardari, ferri te potiùs et duci à cruce tuà, non eam te ferre ac ducere sentiebam. Crucem enim nostram, quam Dominus portari à nobis jubet, ut eum expeditissimi sequamur, quid aliud quàm mortalitatem carnis hujus significat? Ipsa enim nos cruciat, donec absorbeatur mors in victoriam. Crux ergo hæc ipsa crucifigenda est, et transfigenda est clavis timoris Dei, ne solutis et liberis membris reluctantem portare non possis. Sequi enim Dominum, nisi eam portans, omninò non vales. Nam quomodò eum sequeris, si non es ejus? *Qui* autem *Jesu Christi sunt*, ait Apostolus (*Galat.* V. 24.), *carnem suam crucifixerunt cum passionibus et desideriis.*

S. BERNARD. *Serm.* 41. *de diversis*, *n.* 10. *in fine.* Faciendum est ut à

I. Quid Christus docuit et fecit?

R. Jam Christi vitam et mores et præcipua præcepta superiùs exposuimus. Hæc autem omnia commodè revocantur ad capita duo : nimirum ad fugam mundi, et amorem Dei.

Nam omnia morum præcepta revocantur ad hæc verba duo : *Declina à malo, et fac bonum.* (*Ps.* XXXVI. 27.) A malo declinatur quoties mundus vincitur. Mundus enim, seu, ut infrà dicemus, concupiscentia triplex ; quæ mundi nomine designatur, totius mali fons est. Fit bonum quoties Deus diligitur : quia, qui Deum diligit, Legem implevit. (B)

Quod autem fugiendus sit mundus constat ex multis Scripturæ testimoniis.

De mundo non estis, inquit Christus (*Joan.* XV. 17.) non Apostolis solummodò, sed et omnibus Christianis, *sed ego elegi vos de mundo.*

Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei, inquit Jacobus Apostolus (IV. 4.) *qui ergo voluerit amicus esse seculi hujus, inimicus Dei constituitur.*

(1. *Joan* II. 15.) : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt : si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.*

(*Ibid.* V. 19.) : *Scimus quoniam ex Deo sumus ; et mundus totus in maligno positus est.*

Mihi mundus crucifixus est et ego mundo, inquit Paulus Apostolus. (*Galat.* VI. 14.)

(*Philip.* III. 8.) : *Omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.*

(1. *Cor.* VII. 29. 30. *et* 31.) : *Tempus breve est ; reliquum est, ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint : et qui flent, tanquam non flentes : et qui gaudent, tanquam non gaudentes : et qui emunt, tanquam non possidentes : et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur ; præterit enim figura hujus mundi.*

prosperitate animo separemur, et adversitatem animo complectamur ; si voluimus illum sequi, qui regnum fugit, et ad passionem voluntarius venit.

(B) S. Aug. *Enarr.* 2. *in Ps.* 33. *n.* 19.... Parum est ut nulli noceas, nullum occidas, non fureris, non adulteres, non fraudem facias, non falsum testimonium dicas. *Declina à malo* : Cùm declinaveris, dicis, Securus sum, perfeci omnia, habebo vitam, videbo dies bonos. Non solùm *declina à malo* ; sed, *et fac bonum.* Parum est ut non exspolies : vesti nudum. Si non exspoliaveris, declinasti à malo : sed non facies bonum, nisi cùm peregrinum susceperis in domum tuam.

In 1. *Joan. c.* 2. *Tract.* 2. *n.* 10.... Quid vis, utrum amare temporalia, et transire cum tempore : an mundum non amare, et in æternum vivere cum Deo ?.... Raperis in præceps ? tene lignum. Volvit te amor mundi ? Tene Christum.

N. 11. Væ tibi, si amaveris condita, et deserueris Conditorem. Pulchra sunt tibi : sed quantò est ille pulchrior, qui ista formavit ?.... Inebriantur, et pereunt, et obliviscuntur creatorem suum : dùm non temperanter, sed cupidè utuntur creatis, creator contemnitur.... Non te prohibet Deus amare ista, sed non diligere ad beatitudinem ; sed approbare et laudare, ut ames Creatorem.

Hæc de fuga mundi dicta sufficiant. De amore Dei dicemus alibi fusiùs. Hìc per transennam notasse satis est, non posse quemquam servire dominis duobus, et unum Deum esse diligendum, ut ad vitam perveniatur æternam. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ, et ex totâ mente tuâ, et ex totâ virtute tuâ. Nemo potest duobus dominis servire.* (*Matth.* XXII. 37. *Marc.* XII. 30. *Matth.* VI. 24.) Hæc Christus.

I. Quid intelligis nomine mundi, quem fugiendum esse mox demonstrasti?

R. Intelligo ut jam suprà innui, hujus seculi concupiscentiam, voluptates, vanitatem, divitias, etc. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ: quæ non est ex Patre.... Et mundus transit, et concupiscentia ejus.* (1. *Joan.* II. 16. 17.)

Dùm ergo superiùs dixi mundum esse fugiendum; et hoc primum esse ex capitibus duobus, ad quæ revocantur omnia præcepta Evangelica circa mores; intellige fugiendam esse triplicem hanc concupiscentiam, in quâ tota mundi corruptio posita est. *Fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem,* inquit Petrus Apostolus. (2. *Epist.* I. 4.)

I. Quid intelligis per concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, et superbiam vitæ?

R. Concupiscentiæ carnis nomine intelliguntur omnes corporeæ voluptates. (C) Per concupiscentiam oculorum intelli-

(C) S. Aug. *De verâ Religione, c.* 38. *n.* 70. Verumtamen quanquam in hâc rerum extremitate miseri jaceant, ut vitia sua sibi dominari patiantur vel libidine, vel superbiâ, vel curiositate damnati, vel duobus horum, vel omnibus; quandiù sunt in hoc stadio vitæ humanæ, licet eis congredi et vincere, si priùs credant quod intelligere nondùm valent, et non diligant mundum: quoniam omne quod in mundo est, sicut divinitùs dictum est, *concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio seculi....* Concupiscentia carnis, voluptatis infimæ amatores significat: concupiscentia oculorum, curiosos: et ambitio seculi, superbos.

N. 71... Quisquis intùs verbo Dei pascitur, non quærit in istâ eremo voluptatem. Qui uni Deo tantùm subjectus est, non quærit in monte, id est, in terrenâ elatione jactantiam. Quisquis æterno spectaculo incommutabilis veritatis adhæresceit, non per fastigium hujus corporis, id est, per hos oculos præcipitatur, ut temporalia et inferiora cognoscat.

Lib. 10. *Confess. c.* 29. *n.* 40. O Amor, qui semper ardes et nunquam exstingueris, caritas Deus meus, accende me. Continentiam jubes; da quod jubes, et jube quod vis.

Cap. 30. *n.* 41. Jubes certè, ut contineam à concupiscentia oculorum, et ambitione seculi.

N. 42. Nunquid non potens est manus tua, Deus omnipotens, sanare omnes languores animæ meæ, atque abundantiore gratiâ tuâ lascivos motus etiam mei soporis exstinguere? Augebis, Domine, magis magisque in me munera tua, ut anima mea sequatur me ad te concupiscentiæ visco expedita, ut non sit rebellis sibi, atque ut in somnis etiam, non solùm non perpetret istas corruptelarum turpitudines, per imagines animales usque ad carnis fluxum, sed ne consentiat quidem.

Cap. 31. *n.* 44. Dùm ad quietem satietatis ex diligentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ.... et cùm salus sit causa edendi et bibendi, adjungit se tanquam pedissequa, periculosa jucunditas, et plerumque præire conatur.... nec idem modus utriusque est. Nam quod saluti satis est, delectationi parum est.

gitur vel avaritia vel curiositas. (D) Per superbiam vitæ intelligitur omne ambitionis et vanitatis et superbiæ ge-

N. 46. Eripe me ab omni tentatione. Non ego immunditiam obsonii timeo, sed immunditiam cupiditatis. Scio Noë omne carnis genus, quod cibo esset, usui manducare permissum.... Et scio Esaü lenticulæ concupiscentiâ deceptum.

N. 47... Et quis est Domine, qui non rapiatur aliquantulùm extra metas necessitatis.

Cap. 32. *n.* 48. De illecebra odorum non satago nimis. Cùm absunt non requiro, cùm adsunt non respuo, paratus etiam eis semper carere... Et nemo securus esse debet in ista vitâ, quæ tota tentatio nominatur.

Cap. 33. *n.* 49. Delectatio carnis meæ, cui mentem enervandam non oportet dari, sæpè me fallit, dum rationem sensus non ita comitatur, ut patienter sit posterior; sed tantùm quia propter illam meruit admitti, etiam præcurrere ac ducere conatur. Ita in his pecco non sentiens, sed posteà sentio.

N. 50. Aliquando autem hanc ipsam fallaciam immoderatiùs cavens erro nimiâ severitate: sed valdè interdùm, ut melos omne cantilenarum suavium quibus Davidicum psalterium frequentatur, ab auribus meis removeri velim, atque ipsius Ecclesiæ: Veruntamen, cùm reminiscor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ in primordiis recuperatæ fidei meæ, et nunc ipso quòd moveor, non cantu, sed rebus, quæ cantantur, cum liquidâ voce et convenientissimâ modulatione cantantur, magnam instituti hujus utilitatem rursùs agnosco. Ita fluctuo inter periculum voluptatis et experimentum salubritatis; magisque adducor, non quidem irretractabilem sententiam proferens, cantandi consuetudinem approbare in Ecclesiâ: ut per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis assurgat. Tamen cùm mihi accidit, ut me ampliùs cantus, quàm res, quæ canitur, moveat; pœnaliter me peccare confiteor, et tunc mallem non audire cantantem.

(D) S. Aug. *In* 1. *Joan. c.* 2. *Tract.* 2. *n.* 13. Desiderium oculorum dicit omnem curiositatem. Jam quàm latè patet curiositas? Ipsa in spectaculis, in theatris, in sacramentis diaboli, in magicis artibus, in maleficiis, ipsa est curiositas.

Lib. 10. *Confess. c.* 34. *n.* 52... Ista (*Lux*) corporalis.... illecebrosâ ac periculosâ dulcedine condit vitam seculi cæcis amatoribus.... Resisto seductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei, quibus ingredior viam tuam; et erigo ad te invisibiles oculos, ut tu evellas de laqueo pedes meos....

N. 53. Quàm innumerabilia variis artibus et opificiis, in vestibus, calceamentis, vasis, et cujuscemodi fabricationibus, picturis etiam, diversisque figmentis, atque his usum necessarium atque moderatum, et piam significationem longè transgredientibus, addiderunt homines ad illecebras oculorum, foràs sequentes quod faciunt, intùs relinquentes à quo facti sunt, et exterminantes quod facti sunt.... Pulchritudinum exteriorum operatores et sectatores indè trahunt approbandi modum, non autem indè trahunt utendi modum.

Cap. 35. *n.* 54. Huc accedit alia forma tentationis multipliciùs periculosa. Præter eam enim concupiscentiam carnis, quæ inest in delectatione omnium sensuum et voluptatum, cui servientes depereunt, qui longè se faciunt à te, inest animæ per eosdem sensus corporis quædam non se oblectandi in carne, sed experiendi per carnem vana et curiosa cupiditas, nomine cognitionis et scientiæ palliata. Quæ quoniam in appetitu noscendi est, oculi autem sunt ad cognoscendum in sensibus principes, concupiscentia oculorum eloquio divino appellata est.... Generalis experientia sensuum, concupiscentia.... oculorum vocatur.

N. 56. Me jam theatra non rapiunt, nec curo nosse transitus siderum, nec anima mea unquam responsa quæsivit umbrarum: omnia sacrilega sacramenta detestor.

N. 57. Veruntamen in quàm multis minutissimis et contemptibilibus rebus curiositas quotidiè nostra tentatur, et quàm sæpè labamur quis enumerat? Quoties narrantes inania, primò quasi toleramus, ne offendamus infirmos, deindè paulatim libenter advertimus.... et talibus vita

nus. (E) Porrò triplex hæc concupiscentia solet sub unico nomine cupiditatis comprehendi. Ideoque abstinere ab omni cupiditate, idem sonat, quod abstinere à triplici concupiscentiâ.

I. Quid intelligis nomine curiositatis ?

R. Intelligo cupiditatem ea videndi, sciendi, cognoscendi quæ nobis vel noxia vel inutilia sunt. Verbi gratiâ, addiscendi vanas et superfluas artes vel scientias, contuendi vana et lasciva spectacula, legendi libros per se malos, vel auctoritate legitimâ prohibitos, explorandi proximorum negotia, quæ nihil ad nos spectant, et cætera id genus. (F)

I. Cur abstinendum ab illa triplici cupiditate ?

mea plena est, et una spes mea magna valdè misericordia tua. Cùm enim hujuscemodi rerum conceptaculum fit cor nostrum, et portat copiosæ vanitatis catervas, hinc et orationes nostræ sæpè interrumpuntur atque turbantur, et ante conspectum tuum, dùm ad aures tuas vocem cordis intendimus, nescio undè irruentibus nugatoriis cogitationibus res tanta præciditur.

(E) S. Aug. *In* 1. *Joan. c.* 2. *Tract.* 2. *n.* 13. Non sit ambitio seculi. Ambitio seculi superbia est. Jactare se vult in honoribus ; magnus sibi videtur homo, sive de divitiis, sive de aliquâ potentiâ.

N. 14. Nihil invenis undè tentetur cupiditas humana, nisi aut desiderio carnis, aut desiderio oculorum, aut ambitione seculi....

Vide suprà lit. (C) S. Aug. *De verâ Religione c.* 38. *n.* 70. 71. *Vide etiam infrà Capitis secundi* §. *primum.*

Confess. Lib. 10. *c.* 39. *n.* 64. Etiam intùs est aliud in eodem genere tentationis malum, quo inanescunt qui placent sibi de se, quamvis aliis vel non placeant, vel displiceant, nec placere affectent cæteris. Sed sibi placentes multùm tibi displicent.

Lib. De verâ Relig. c. 46. *n.* 84. Quid aliud homo appetit, nisi solus esse, si fieri possit, cui cuncta subjecta sint ; perversâ scilicet imitatione Omnipotentis Dei.... Habet ergo et superbia quemdam appetitum unitatis et omnipotentiæ : sed in rerum temporalium principatu, quæ omnia transeunt, tanquam umbra.

Vide auctoritates S. Aug. *suprà allatas litt.* (C. D.) *hocce Capite.*

(F) *Vide* S. Aug. *suprà litt.* (D) *hocce* §.

De verâ Religione, c. 49. *n.* 94. Jam verò cuncta spectacula, et omnis illa quæ appellatur curiositas, quid aliud quærit, quàm de rerum cognitione lætitiam ? Quid ergo admirabilius, quid speciosius ipsâ veritate, ad quam omnis spectator pervenire se cupere confitetur, cùm vehementer, ne fallatur, invigilat ?

N. 95. Itaque in tantas nugas et turpitudines mersi sumus, ut, cùm interrogati quid sit melius, verum an falsum, uno ore respondeamus, verum esse melius : jocis et ludis tamen, ubi nos utiquè non vera, sed ficta delectant, multò propensiùs quàm præceptis ipsius veritatis hæreamus. Ita nostro judicio et ore punimur, aliud ratione approbantes, aliud vanitate sectantes.... Sed diligendo talia excidimus à vero,.... et ab eis recedentes amplexamur nostra phantasmata.

Cap. 51. *n.* 100. Omissis igitur et repudiatis nugis theatricis et poëticis, divinarum Scripturarum consideratione et tractatione pascamus animum, atque potemus vanæ curiositatis fame ac siti fessum et æstuantem, et inanibus phantasmatis, tanquam pictis epulis, frustrà refici satiarique cupientem : Hoc verè liberali et ingenuo ludo salubriter eruditmur. Si nos miracula spectaculorum, et pulchritudo delectant, illam desideremus videre sapientiam, quæ pertendit à fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.

Cap. 52. *n.* 101. Quid enim appetit curiositas, nisi cognitionem, quæ certa esse non potest, nisi rerum æternarum et eodem modo se semper habentium ?

R. 1. Quia ex illo triplici fonte derivatur omne peccatorum genus. *Radix omnium malorum cupiditas*, inquit Apostolus. 1. *Tim.* VI. 10. (G)

2. Quia cupiditas non est ex Deo Patre, sed ex maligno, ut jam diximus. (H)

3. Quia *mundus transit, et concupiscentia ejus* (1. *Joan.* II. 17.) Et fugienda omnia transitoria. Uni Deo adhærendum. (I)

(G) JACOB. I. 14. Unusquisque verò tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus et illectus. 15. Deindè concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum : peccatum verò cùm consummatùm fuerit, generat mortem.

S. AUG. *Lib.* 22. *de Civit. Dei, c.* 22. *n.* 1.... Quid amor ipse tot rerum vanarum atque noxiarum, et ex hoc mordaces curæ, perturbationes, mœrores, formidines, insana gaudia, discordiæ, lites, bella, insidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallacia, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, invidentia, homicidia, parricidia, crudelitas, sævitia, nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, impudicitia, fornicationes, adulteria, incesta, et contra naturam utriusque sexûs tot stupra, atque immunditiæ, quas turpe est etiam dicere, sacrilegia, hæreses, blasphemiæ, perjuria, oppressiones innocentium, calumniæ, circumventiones, prævaricationes, falsa testimonia, iniqua judicia, violentiæ, latrocinia, et quidquid talium malorum in mentem non venit, et tamen de vitâ istâ hominum non recedit ? Verùm hæc hominum sunt malorum, ab illâ tamen erroris et perversi amoris radice venientia, cum quâ omnis filius Adam nascitur.

N. 2.... Quid enim sibi volunt multimodæ formidines, quæ cohibendis parvulorum vanitatibus adhibentur ? Quid pedagogi, quid magistri, quid ferulæ, quid lora, quid virgæ, quid disciplina illa, quâ Scriptura sancta dicit dilecti filii latera esse tundenda, ne crescat indomitus, domarique jam durus aut vix possit, aut fortassè nec possit ? Quid agitur his pœnis omnibus, nisi ut debelletur imperitia, et prava cupiditas infrenetur, cum quibus malis in hoc seculum venimus ? Quid est enim, quòd cum labore meminimus, sine labore obliviscimur : cum labore discimus, sine labore nescimus : cum labore strenui, sine labore inertes sumus ? Nonnè hinc apparet in quid, velut pondere suo, proclivis et prona sit vitiosa natura, et quantâ ope, ut hinc liberetur, indigeat ? Desidia, segnities, pigritia, negligentia, vitia sunt utique quibus labor fugitur, cùm labor ipse etiam qui est utilis, pœna sit,

(H) *Lege auctoritates ex novo Testamento allatas suprà in ipsis responsionibus hujusce Capitis,*

(I) ECCLI. XVIII. 30. Post concupiscentias tuas non eas, et à voluntate tuâ avertere. 31. Si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.

MATTH. XI. 12. A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc, regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.

XVI. 24. *Vide suprà lit.* (A) *hocce capite.*

ROM. VI. 12. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.

GALAT. V. 24. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.

1. PETR. II. 1. Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes, et invidias, et omnes detractiones, 2. sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem.

S. AUG. *De verâ Religione, c.* 46. *n.* 87. Ea autem est regula dilectionis, ut quæ sibi vult bona provenire, et illi velit; et quæ accidere sibi mala non vult, et illi nolit : hanc voluntatem erga omnes homines servat. Nam erga neminem operandum est malum. *Dilectio proximi malum non operatur.* (*Rom.* XIII. 10.) Diligamus ergo, ut præceptum est, etiam inimicos nostros si verè invicti esse volumus. Nam si vel ipsum hominem homo dilexerit, non tanquam se ipsum, sed tanquam jumentum aut balneas, aut aviculam pictam vel garrulam, id est, ut ex eo aliquid

I. Cur uni Deo adhærendum ?

R. Quia Dominus Deus noster unus supremus est omnium Dominus, summum bonum, cui cuncta debemus, qui nos eduxit è nihilo, qui nos per Christum reconciliavit sibi, qui potest solus nos æternà felicitate donare, qui nos ideò condidit ut nos æternà illà beatitudine cumularet. (K)

I. Quomodò possumus adhærere Deo ?

R. Nunc, quoniam adhuc peregrinamur à Domino, fide et spe et inchoatà charitate adhæremus Deo. Cùm autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est, fides nimirùm et spes : et videntes Deum sicuti est, adhærebimus Deo solà charitate, et perfectâ illâ quidem. (L)

I. Quâ ratione possumus dijudicare, num reverà nunc adhæreamus Deo per fidem, spem et charitatem ?

R. Ex operibus solùm id cognosci potest. Si quis facit voluntatem Dei, is Deum diligit. Ostendenda fides, spes et charitas ex observatione mandatorum Dei et Ecclesiæ. Alioqui nulla charitas, et vana est fides, spesque inutilis. (M)

temporalis voluptatis aut commodi capiat, serviat necesse est, non homini, sed, quod est turpius, tam fœdo et detestabili vitio, quo non amat hominem sicut homo amandus est : quo vitio dominante, usque ad extremam vitam, vel potiùs mortem perducitur.

Cap. 47. *n.* 92. Homo, qui prosperis rebus proficit, asperis quid profecerit, discit. Cùm enim mutabilium bonorum adest copia, non eis confidit : sed cùm subtrahuntur, agnoscit utrum eum non ceperint. Quia plerumque cùm adsunt nobis, putamus quòd ea non diligamus : sed cùm abesse cœperint, invenimus qui simus. Hoc enim sine amore nostro aderat, quod sine dolore discedit.

Cap. 48. *n.* 93. Quem ergo delectat libertas, ab amore mutabilium rerum liber esse appetat; et quem regnare delectat, uni omnium regnatori Deo subditus hæreat, plus eum diligendo quàm seipsum : et hæc est perfecta justitia, quâ potiùs potiora, et minùs minora diliginus.

(K) S. Aug. *Lib.* 1. *Confess. c.* 1. *n.* 1.... Fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.

In Ps. 72. *n.* 31. *super v.* 25. *Quid enim mihi est in cœlo, et à te quid volui super terram* ? Comparavit voluntati suæ terrenæ præmium cœleste, quod accepturus est, vidit quid ibi sibi servaretur ; et cogitans et æstuans in cogitatione cujusdam rei ineffabilis, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.... servas mihi tu.... servas, inquit, mihi tu in cœlo divitias immortales, teipsum.

N. 32.... *Pars mea Deus meus*, non ad tempus pars mea ; *sed pars mea Deus in secula*.... Præmium Dei, ipse Deus est.

N. 34. *sup. v.* 28. *Mihi autem adhærere Deo bonum est*.... Hoc est totum bonum : Deo adhærere nihil est melius, quandò eum videbimus facie ad faciem. Modò ergo quid.... *ponere in Deo spem meam.* Quandiù ergo nondùm adhæsisti, ibi pone spem. Fluctuas, præmitte ad terram anchoram. Nondùm hæres per præsentiam, inhære per spem : *ponere in Deo spem meam.* Et quid hic agens pones in Deo spem tuam ? Quod erit negotium tuum, nisi ut laudes quem diligis, et facias tecum coamatores ejus?.... Ama Deum gratis, nulli invideas Deum. Rapite cum quotquot potestis, quotquot possessuri estis : non fit angustus ; nullos in illo limites facietis ; totum singuli possidebitis, et totum omnes habebitis.

In Ps. 86. *n.* 1.... Omnia desideria carnalia transiliat, seculique hujus pompam et illecebram calcet, nihilque sibi aliud proponat ubi consistat, nisi ex quo sunt omnia : in quibus etiam ipse laborat, donec ad finem perveniat.

(L) S. Aug. *Enchirid. ad Laurentium*, *c.* 3. *n.* 1. Quonam modò sit colendus Deus ?.... fide, spe, charitate.

(M) 1. Joan. II. 3. Et in hoc scimus, quoniam cognovimus eum, si

Ex dictis in hoc Capite collige totam Christianæ vitæ rationem hoc Davidis effato contineri ; *Declina à malo, et fac bonum.* (*Ps.* XXXVI. 27.)

Nomine mali peccatorum omne genus intelligitur, quorum radix cupiditas.

Nomine boni designantur virtutes, et debita mandatis Dei et Ecclesiæ subjectio et obedientia : quod solo charitatis nomine comprehenditur.

De his omnibus sigillatim agemus Sectionibus quatuor.

In primâ Sectione agemus de Peccatis.

In alterâ, de Virtutibus.

In tertiâ, de Præceptis Dei.

In quartâ, de Præceptis Ecclesiæ.

Atque ita methodo facili prosequemur quidquid pertinet ad Christianæ vitæ rationem (N)

mandata ejus observemus. 4. Qui dicit se nosse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est. 5. Qui autem servat verbum ejus, verè in hoc charitas Dei perfecta est : et in hoc scimus, quoniam in ipso sumus.

LUC. X. 16. Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me.

(N) *Qui Ethicam Christianam addiscere et meditari voluerint, evolvant magno studio, et summâ diligentiâ legant Scripturam sacram, præsertim verò novum Testamentum; Concilia omnia, præsertim Canones; eaque legendo, eodem spiritu, quo sunt directa, repleri studeant, ut ad eorum intelligentiam admittantur. Corpus Juris Canonici, et maximè Decreta Pontificum. Sanctorum Patrum opera omnia. Præcipuè verò legant è Latinis, SS. Augustinum, Gregorium magnum et S. Bernardum : ex Græcis S. Clementis Alexandrini Librum qui inscribitur Pædagogus, SS. Basilium, Athanasium, Chrysostomum. Inter recentiores verò evolvenda sunt opera S. Francisci Salesii, Ludovici Granatensis, Roderici vulgò Rodriguez, è Societati Jesu, et R. P. Saint-Jure ejusdem Societatis opera, et aliorum quorumdam scriptorum opera, quæ ab omnibus laudantur, tum ob sanam doctrinam, tum ob cœlestem unctionem, quâ Lectores suos perfundunt. Inter Theologos, qui Ethicam universam pertractarunt, aut eas elucidarunt Juris Canonici quæstiones quæ morum regulas spectant, primas tulit S. Thomas, nec alius in ea scientia dux est sequendus : huic adjungendi sunt S. Antoninus, Sylvester, Dominicus Soto, Joannes Medina, Navarrus, Toletus, Paulus Comitolus, Azor, Covarruvias, Sayrus, Fagnanus, Sylvius, D. de Merbes, Theologia moralis à Gratianopolitano Episcopo Eminent. Cardin. D. le Camus approbata : De Godeau Vinciensis Episcopi; Natalis Alexandri Dominicani moralis Theologia; Van-Espen et alii Doctores, tam Theologi quàm canonici. Verùm hosce auctores qui leget, semper meminerit morum regulas ex Scriptura et Traditione esse repetendas, easque non fidei nostræ solùm, sed et vitæ dirigendæ normam esse, proindèque opiniones, ac dogmata seu Scripturæ, seu Traditioni contraria, à quocunque auctore tradantur, omninò esse respuenda.*

SECUNDÆ PARTIS SECTIO PRIMA.

De Peccatis.

CAPUT PRIMUM.

De Peccatis in genere.

§. 1. de Peccatis in genere ; et de variis Peccatorum divisionibus.

I. QUID est peccatum ?

R. Variæ traduntur à Theologis, maximè ex mente S. Augustini, peccati definitiones. Definitur enim aversio à Deo, et conversio ad creaturam.

Definitur etiam, quod eòdem fermè recidit, inordinatus amor sui et rerum creatarum. (A)

Mitto cæteras peccati definitiones. Hæc una inter alias maximè arridet, quâ definitur uno verbo peccatum, transgressio legis Dei.

Transgressio. Quo generali nomine comprehenditur omne genus prævaricationis ; tunc enim legem transgredimur, cùm vel cogitamus, vel dicimus, vel facimus, vel omittimus aliquid contra legis præceptum. (B)

Legis Dei. Quo generali item nomine comprehenditur quidquid Deus præcipit vel per se, vel per alios. Itaque legis Dei nomine hìc intelligitur lex æterna, naturalis, positiva. (C)

Lex æterna nihil aliud est quàm increata *Divinaque ratio, vel Dei voluntas, quæ ordinem naturalem conservari jubet et perturbari vetat.* (*S. Aug. lib.* 22. *cont. Faust. c.* 27.) Hàc lege tenemur ex S. Augustino, (*de libero arbitrio, l.* 1. *c.* 15.) *avertere amorem à temporalibus, et eum mandatum convertere ad æterna.* (D)

(A) S. AUG. *Lib.* 22. *contra Faustum, c.* 27. Ergo peccatum, est factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra æternam legem. Lex verò æterna est, vel ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.

Cap. 28..... Si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret. Peccat ergo, qui delectationem illiciti relaxat potiùs quàm refrenat. Est autem illicitum, quod lex illa prohibet, quâ naturalis ordo servatur.

(B) S. AUG. *Lib.* 22. *contra Faustum, c.* 27. *Vide suprà litt.* (A) *hocce* §.

(C) S. AUG. *Lib.* 22. *contra Faustum, c.* 47. Alia sunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta.

(D) S. AUG. *Lib.* 1. *De libero arbitrio, c.* 6. *n.* 15. (*Augustinus.*) Quid illa lex, quæ summa ratio nominatur, cui semper obtemperandum est, et per quam mali miseram, boni beatam vitam merentur : per quam denique illa, quam temporalem vocandam diximus, rectè fertur, rectèque mutatur, potestne cuipiam intelligenti non incommutabilis æternaque videri ? An potest aliquando injustum esse, ut mali miseri, boni autem beati sint : aut ut modestus et gravis populus ipse sibi Magistratus creet, dissolutus verò et nequam istâ licentiâ careat ? (*Evodius.*) Video hanc æternam esse, atque incommutabilem legem. (*Aug.*) Simul

Lex naturalis est ratio quædam omnium hominum cordibus ingenita, quâ moventur ad bonum et avocantur à malo. De eâ lege loquitur Apostolus (*Rom.* II. 14. *et* 15.) his verbis : *Cùm gentes, quæ legem* (Moysi) *non habent, naturaliter* (id est, sine lege scriptâ) *ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex : qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus.* Eâ lege novimus alteri non etiam te videre arbitror in illâ temporali nihil esse justum atque legitimum, quod non ex hâc æternâ sibi homines derivarint : nam si populus ille quodam tempore honores dedit, quodam rursùs justè non dedit, hæc vicissitudo temporalis ut justa esset, ex illâ æternitate tracta est, quâ semper justum est gravem populum honores dare, levem non dare; an tibi aliter videtur? (*Evod.*) Assentior. (*Aug.*) Ut igitur breviter æternæ legis notionem, quæ impressa nobis est, quantùm valeo, verbis explicem, ea est, quâ justum est, ut omnia sint ordinatissima : tu si aliter existimas, prome. (*Evod.*) Quid tibi vera dicenti contradicam non habeo. (*Aug.*) Cùm ergo hæc sit una lex, ex quâ illæ omnes temporales ad homines regendos variantur, nùm ideo ipsa variari ullo modo potest? (*Evod.*) Intelligo omninò non posse : neque enim ulla vis, ultus casus, ulla rerum labes unquam effecerit, ut justum non sit omnia esse ordinatissima.

Cap. 7. *n.* 16. (*Aug.*) Age nunc videamus, homo ipse quomodò in seipso sit ordinatissimus : nam ex hominibus unà lege sociatis, populus constat : quæ lex..... temporalis est.....

Cap. 15. *n.* 32. (*Aug.*) Jubet igitur æterna lex avertere amorem à temporalibus, et eum mundatum convertere ad æterna. (*Evod.*) Jubet verò. (*Aug.*) Quid deindè censes temporalem jubere, nisi ut hæc, quæ ad tempus nostra dici possunt, quando eis homines cupiditate inhærent, eo jure possideant, quo pax et societas humana servetur, quanta in his rebus servari potest? Ea sunt autem primò hoc corpus, et ejus quæ vocantur bona, ut integra valetudo, acumen sensuum, vires, pulchritudo, et si qua sunt cætera, partim necessaria bonis artibus, et ideò pluris pensanda, partim viliora. Deindè libertas, quæ quidem nulla vera est, nisi beatorum et legi æternæ adhærentium : sed eam nunc libertatem commemoro, quâ se liberos putant, qui dominos homines non habent, et quam desiderant ii, qui à dominis hominibus manumitti volunt. Deindè parentes, fratres, conjux, liberi, propinqui, affines, familiares, et quicunque nobis aliquâ necessitudine adjuncti sunt. Ipsa denique civitas, quæ parentis loco haberi solet, honores etiam et laudes, et ea quæ dicitur gloria popularis. Ad extremum pecunia, quo uno nomine continentur omnia, quorum justè domini sumus, aut quorum vendendorum, aut donandorum habere potestatem videmur. Horum omnium quemadmodùm lex illa sua cuique distribuat, difficile et longum est explicare, et planè ad id, quod proposuimus, non necessarium. Satis est enim videre non ultrà porrigi hujus legis potestatem in vindicando, quàm ut hæc vel aliquid horum adimat, atque auferat ei, quem punit. Metu coercet ergo, et ad id, quod vult, torquet et retorquet miserorum animos, quibus regendis accommodata est. Dum enim hæc amittere timent, tenent in his utendis quemdam modum aptum vinculo civitatis, qualis hujuscemodi hominibus constitui potest. Non autem ulciscitur peccatum, cùm amantur ista, sed cùm aliis per improbitatem auferuntur.

Lib. 22. *contra Faustum*, *c.* 30. Æternâ lege consultà, quæ ordinem naturalem conservari jubet, perturbari vetat.

Serm. 81. *De verbis Evang. aliùs ex Sirmond.* 33. *n.* 2. *versùs finem.* Vide eruditum in lege Dei, (*de Job loquitur*) lege Dei dico æternâ. Nam lex illa in tabulis data Judæis, nondùm erat temporibus Job, sed manebat adhuc lex æterna in cordibus piorum, undè illa descripta est, quæ populo data est.

esse faciendum quod nobis fieri nolimus. (E) Potest ea lex obscurari in cordibus hominum ; deleri penitùs non potest, juxta illud S. Augustini (*Confess. l.* 2. *cap.* 4.) *Lex tua scripta*

(E) S. Aug. *Epist.* 157. *aliàs* 89. *ad Hilarium*, *n.* 15..... Legem quippè sive naturalem intelligamus, quæ in eorum apparet ætatibus, qui jam ratione uti possunt ; sive conscriptam, quæ data est per Moysen, quia nec ipsa vivificare potuit, et liberare à lege peccati et mortis, quæ tracta est ex Adam, sed magis addidit prævaricationis augmenta. *Ubi enim lex non est*, ait idem Apostolus(*Rom.* iv. 15.) *nec prævaricatio.* Proindè quoniam lex est etiam in ratione hominis, qui jam utitur arbitrio libertatis, naturaliter in corde conscripta, quâ suggeritur, ne aliquid faciat quisque alteri, quod pati ipse non vult : secundùm hanc legem prævaricatores sunt omnes, etiam qui legem per Moysen datam non acceperunt, de quibus in Psalmo cxviii. 119. legitur, *Prævaricatores æstimavi omnes peccatores terræ.* Non enim omnes peccatores terræ legem, per Moysen datam, prævaricaverunt : sed tamen, nisi aliquam prævaricassent, non appellarentur prævaricatores. *Ubi enim lex non est, nec prævaricatio.* (*Rom.* iv. 15.) Prævaricatâ ergo lege, quæ in Paradiso data est, nascitur homo ex Adam cum lege peccati et mortis, de quâ dicitur (*Rom.* vii. 23.) : *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis.* Quæ tamen, nisi malâ posteà consuetudine roboretur, faciliùs vincitur, non tamen nisi gratiâ Dei. Lege autem aliâ prævaricatâ, quæ est in usu rationis animæ rationalis, in ætate hominis jam ratione utentis, prævaricatores fiunt omnes peccatores terræ. Prævaricatâ verò lege etiam illâ, quæ data est per Moysen, multò ampliùs abundat delictum.

In Ps. 57. *n.* 1.... Quandoquidem manu Formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit : Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri ? (*Tob.* iv. 16.) Hoc et antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset undè judicarentur et quibus lex non esset data. Sed ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptum est et in tabulis, quod in cordibus non legebant. Non enim scriptum non habebant, sed legere nolebant. Oppositum est oculis eorum quod in conscientia videre cogerentur : et quasi forinsecùs admotâ voce Dei, ad interiora sua homo compulsus est.... Sed quia homines appetentes ea, quæ foris sunt, etiam à se ipsis exules facti sunt, data est etiam conscripta lex : non quia in cordibus scripta non erat ; sed quia tu fugitivus eras cordis tui, ab illo, qui ubique est, comprehenderis, et ad te ipsum intrà revocaris. Propterea scripta lex quid clamat eis, qui deseruerunt legem scriptam in cordibus suis ? *Redite prævaricatores ad cor.* (*Isai.* xlvi. 8.) Quis enim te docuit nolle accedi ab altero ad uxorem tuam ? Quis te docuit, nolle tibi furtum fieri ? Quis te docuit, nolle injuriam pati, et quidquid aliud vel universaliter vel particulariter dici potest ? Multa enim sunt, de quibus singulis interrogati homines, clarâ voce respondeant, nolle se pati. Age, si non vis pati ista, nunquid solus es homo ? Nonne in societate vivis generis humani ? Qui tecum factus est, socius tuus est ; et omnes facti ad imaginem Dei, nisi terrenis cupiditatibus conterant quod ille formavit. Quod ergo tibi non vis fieri, noli alteri facere. Judicas enim malum esse in eo, quod pati non vis : et hoc te cogit nosse lex intima, in ipso tuo corde conscripta. Faciebas, et clamabatur inter manus tuas : Quomodò cogeris redire ad cor tuum, cùm hoc pateris inter manus alienas ? Furtum bonum est ? Non. Interrogo, Adulterium bonum est ? Omnes clamant, Non. Homicidium bonum est ? Omnes clamant detestari se. Concupiscere rem proximi bonum est ? Non, vox omnium est. Aut si adhuc non confiteris, accedit qui concupiscat rem tuam : placeat tibi, et responde quod vis. Omnes ergo de his rebus interrogati clamant hæc bona non esse.

In Ps. 118. *Serm.* 25. *n.* 4..... Non immeritò prævaricatores æstimantur omnes peccatores terræ. Nullus enim est, qui faciat alteri injuriam, nisi qui fieri nolit sibi : et in hoc transgreditur naturæ legem, quam non sinitur ignorare, dùm id, quod facit, non vult pati.

est in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas. (F)

Lex Positiva ea est quæ à Legislatore vel verbo vel scripto traditur. Hæc autem vel est divina vel humana. Divina pòitur à Deo ipso : humana ab hominibus.

Lex Divina dividitur in veterem et novam.

Lex Vetus Judæis est scripto tradita per Moysen.

Lex Nova promulgata est per Christum, et per Spiritum sanctum scripta est *non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* (2. *Cor.* III. 3.)

Lex Humana vel est Ecclesiastica vel Civilis.

Lex Ecclesiastica ea est quæ sancitur ab Ecclesiâ.

Lex Civilis ea est quæ fertur à Principibus temporalibus.

Lege divinâ præceptum est ut Ecclesiæ, imò et Principibus temporalibus justa jubentibus, pareamus, idque *non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam :* nam *qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*, ex Apostolo. (*Rom.* XIII. 2. 5.) Ergo et legis humanæ transgressio rectè ponitur sub generali notione transgressionis legis Dei.

I. Quot sunt peccatorum genera ?

R. Peccatorum genus duplex, originale et actuale.

Peccatum originale illud est quod ab Adamo in posteros transmissum, à singulis hominibus ipsâ origine contrahitur. De quo jam satis diximus in primâ Parte. (*Sect.* 1. *Cap.* 3. §. 12.)

Peccatum actuale illud est, quod actu proprio et propriâ voluntate liberè committitur ab habentibus rationis usum.

I. Ab habentibus rationis usum, inquis ? Ergo non peccant, qui præ ebrietate malum operantur ; tunc enim privantur rationis usu ?

R. Peccant ebrii, et peccati labe tenentur, si culpâ suâ inebriati sint : tunc enim quod præ ebrietate malè egerunt, voluntarium fuit in suâ causâ. (G) Quisquis enim sciens et

(F) *Vide* S. AUG. *supr. litt.* (E) *hocce* §.

(G) S. AUG. *Lib.* 3. *de libero arbitrio, c.* 19. *n.* 53. Cùm verò ubique sit præsens (Deus,) qui multis modis creaturam sibi Domino servientem aversam vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem ; non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quòd negligis quærere quod ignoras ; neque illud quòd vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare contemnis : ista tua propria peccata sunt. Nulli enim homini ablatum est scire utiliter quæri, quod inutiliter ignoratur, et humiliter confitendam esse imbecillitatem, ut quærenti et confitenti, ille subveniat, qui nec errat dùm subvenit, nec laborat.

N. 54. Nam illud quod ignorans quisque non rectè facit, et quod rectè volens facere non potest, ideò dicuntur peccata, quia de peccato illo liberæ voluntatis originem ducunt. Illud enim præcedens meruit ista sequentia.... Non solùm peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum, liberâ enim voluntate et ab sciente committitur ; sed etiam illud quod jam de hujus supplicio consequatur necesse est.

De Gratiâ et libero arbitrio, c. 3. *n.* 5. *Luc.* XII. 47. 48. Servus qui nescit voluntatem domini sui, et facit digna plagis, vapulabit pauca ; servus autem qui scit voluntatem Domini sui, et facit digna plagis, vapulabit multa. Ecce ubi ostendit gravius peccare hominem scientem, quàm ne-

volens exponit se ebrietatis periculo, velle censetur id omne, quod ex ebrietate consequitur. Quòd si fortè accidat aliquem scientem. Nec tamen ideò confugiendum est ad ignorantiæ tenebras, ut in eis quisque requirat excusationem. Aliud est enim nescisse, aliud nescire noluisse. Voluntas quippè in eo arguitur, de quo dicitur (*Ps.* XXXV. 4.) *Noluit intelligere ut bene ageret.* Sed et illa ignorantia, quæ non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat; si propterea non credidit, quia non audivit omninò quid crederet; sed fortassè ut mitiùs ardeat. Non enim sine causâ dictum est (*Ps.* LXXVIII. 6.) *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt:* et illud quod ait Apostolus (2. *Thess.* I. 8.): * *Cùm venerit in flamma ignis dare vindictam in eos, qui ignorant Deum....* Verumtamen ut habeamus et ipsam scientiam, ne dicat unusquisque: Nescivi, non audivi, non intellexi; voluntas convenitur humana, ubi dicitur (*Ps.* XXXI. 9.): *Nolite esse sicut equus et mulus, quibus non est intellectus:* quamvis pejor appareat, de quo dictum est (*Prov.* XXIX. 19.): * *Verbis non emendabitur servus durus; si enim intellexerit, non obaudiet.* Quando autem dicit homo: Non possum facere quod præcipitur, quoniam concupiscentiâ meâ vincor: jam quidem de ignorantiâ non habet excusationem, nec Deum causatur in corde suo; sed malum suum in se cognoscit et dolet; cui tamen dicit Apostolus: (*Rom.* XXI. 21.) *Noli vinci à malo; sed vince in bono malum*, et utique cui dicitur.... Velle enim et nolle propriæ voluntatis est.

Lib. 4. *Operis imperfecti contra Julian. c.* 103. Qui volens fecit peccatum, nolens habet peccatum; volens impudicus, nolens reus: eo quippè nolente peccatum manet, quo nolente non fieret, Ac per hoc et non potest esse sine voluntate peccatum, quia non fit nisi voluntate; et potest esse sine voluntate peccatum, quia manet etiam sine voluntate, quod factum est voluntate.... Consuetudo non facta sit sine voluntate.

S. GREG. MAGN. Papa. *Lib.* 15. *moral. in Job. c.* 25.... Qui enim illa agunt, quæ Deus omnipotens prohibet, quid aliud faciunt, quàm suum animum contra Omnipotentem claudunt? Ita ejus mandatis obsistere, eum à cordis inhabitatione repellere est. Dicunt ergo: *Recede à nobis* (*Job.* XXI. 14.), qui ei ad se aditum præbere recusant, eumque pravis actibus impugnant, etiam si verbis laudare videantur. Dicunt etiam: *Scientiam viarum tuarum nolumus* (*Ibid.*), eo ipso quo ejus scientiam apprehendere contemnunt... Sed aliud est nescisse, aliud scire noluisse. Nescit namque qui apprehendere vult, et non valet. Qui autem, ut nesciat, aurem à voce veritatis avertit, iste non nesciens, sed contemptor addicitur.

S. THOMAS *prima secundæ, quæst.* 77. *art.* 7. *in corp. Passiones quæ usum rationis prorsus tollunt, ab omni culpâ excusant; nisi fortassis passiones istæ fuerint voluntariæ, quo casu et peccata sequentia homini imputantur.*

Respondeo dicendum, quod secundùm hoc solùm actus aliquis, qui de genere suo est malus, totaliter à peccato excusatur, quòd totaliter involuntarius redditur: undè si sit talis passio, quæ totaliter involuntarium reddat actum sequentem, totaliter à peccato excusat, alioquin non totaliter. Circa quod duo consideranda videntur. Primò quidem, quòd aliquid potest esse voluntarium, vel secundùm se, sicut quando voluntas directè in ipsum fertur, vel secundùm suam causam, quando voluntas fertur in causam et non in effectum, ut patet in eo, qui voluntariè inebriatur: ex hoc enim quasi voluntarium ei imputatur, quod per ebrietatem committit. Secundò considerandum est, quòd aliquid dicitur voluntarium directè, vel indirectè: directè quidem id in quod voluntas fertur: indirectè autem illud, quod voluntas potuit prohibere, sed non prohibet. Secundùm hoc igitur distinguendum est, quia passio quandoquidem est tanta, quòd totaliter aufert usum rationis, sicut patet in his, qui propter amorem vel iram insaniunt: et hanc si talis passio à principio fuerit voluntaria, imputatur actus ad peccatum: quia est voluntarius in suâ causâ, sicut etiam de ebrietate dictum est. Si verò causa non fuerit voluntaria, sed naturalis, puta cùm aliquis ex ægritudine, vel aliquâ ejusmodi causâ incidit in talem passionem, quæ totaliter aufert usum rationis, actus omninò redditur involuntarius, et

nullâ suâ culpâ, ne veniali quidem, inebriari, (ut contingit verbi gratiâ iis, qui, dùm vinum effervescit in cellariis, subitò illius vapore occupantur, etiamsi illud ne primis quidem labris gustaverint;) quod is malè egerit ebrius, non ipsi imputabitur ad culpam, sicuti non imputatur ad culpam amenti aut furioso aut phrenetico, quod ipsi malè egerint.

I. Quot sunt genera peccatorum actualium?

R. Peccatorum actualium multa genera sunt.

Nam 1. vel sunt mortalia, vel venialia.

2. Vel sunt omissionis, vel commissionis. Hæc autem vel corde, vel ore, vel opere committuntur.

3. Vel sunt spiritualia, vel carnalia.

4. Vel lædunt directè Deum, vel proximum, vel ipsum peccantem.

5. Vel sunt infirmitatis, vel malitiæ.

6. Vel sunt propria, vel simul et aliena.

7. Denique solemnis ea divisio est, quâ revocantur omnia peccata actualia ad capita septem, quæ dicuntur peccata capitalia.

(De singulis illis peccatorum generibus singillatim agemus sequentibus Paragraphis.)

§. 2. De singulis peccatorum Actualium generibus; ac 1° de Mortali et Veniali.

I. Peccati mortalis nomine quid intelligis? Quid nomine venialis?

R. Peccati mortalis nomine, illud peccati genus intelligitur, quod animam spiritaliter occidit. Nomine venialis autem, illud quod, càm non occidat spiritualiter animam, veniâ minus indignum est.

I. Quam nobis mortem animæ narras? Nonne immortalis anima est.

per consequens totaliter à peccato excusatur. Quandoque verò passio non est tanta, quòd totaliter intercipiat usum rationis: et tunc, ratio potest passionem excludere, divertendo ad alias cogitationes, vel impedire ne suum consequatur effectum: quia membra non applicantur operi, nisi per consensum rationis.... Undè talis passio non totaliter excusat à peccato.

2. 2. q. 71. art. 3. in corp. *Advocatus, si injustam causam scienter defendat, graviter peccat, et vinculo restitutionis tenetur: si verò se ignoranter defenderit, excusatur à peccato, pro ignorantiæ excusantis qualitate.*

Respondeo dicendum, quòd illicitum est alicui cooperari ad malum faciendum, sive consulendo, sive adjuvando, sive qualitercunque consentiendo: quia consilium et coadjuvans quodammodò est faciens. At Apostolus dicit ad Rom. (1. 32.) *Quòd digni sunt morte non solùm qui faciunt peccatum, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Undè et suprà dictum est, quòd omnes tales ad restitutionem tenentur. Manifestum est autem, quòd Advocatus et auxilium, et consilium præstat ei, cujus causæ patrocinatur: undè si scienter injustam causam defendit, absque dubio graviter peccat, et restitutionem tenetur ejus damni, quod contra justitiam per ejus auxilium altera pars incurrit. Si autem ignoranter injustam causam defendit, putans esse justam, excusatur secundùm modum, quo ignorantia excusari potest.

R. Immortalis est certè, si de morte naturali quæstio sit : mori potest, si de morte spirituali. Rem explico.

Animæ vita duplex; naturalis, et spiritualis. Naturalis ea est, quâ subsistit anima ; nam eo ipso, quo subsistit, vivit. Substantia enim ex se simplex et intelligens, nullis constans partibus inter se distinctis, eo ipso vivit, quo subsistit, nec mori potest, quin ad nihilum recidat.

Vita spiritualis animæ ea est, quæ inhabitante gratiâ et Spiritu Dei constat. (A) Est enim spiritus et gratia Dei aliquatenùs vita animæ ; quemadmodùm ipsa anima vita corporis est. Mortua spiritualiter anima est, statim atque inhabitante gratiâ et spiritu Dei destituitur. (B)

(A) ROM. VIII. 9. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu : si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. 10. Si autem Christus in vobis est : corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò vivit propter justificationem,

GAL. II. 20. Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.

S. AUG. *Lib.* 3. *de Civit. Dei*, *c.* 27. Et quamvis enim humana anima veraciter immortalis perhibeatur, habet tamen quamdam etiam ipsa mortem suam. Nam ideò dicitur immortalis, quia modo quodam quantulocunque non desinit vivere atque sentire : corpus autem ideò mortale, quoniam deseri omni vitâ potest, nec per seipsum aliquatenùs vivit. Mors igitur animæ fit, cùm eam deserit Deus : sicut corporis, cum id deserit anima. Ergo utriusque rei, id est, totius hominis mors est, cùm anima à Deo deserta deserit corpus. Ita enim nec ex Deo vivit ipsa, nec corpus ex ipsa.... Nam in illâ pœnâ ultimâ ac sempiternâ,... rectè mors animæ dicitur, quia non vivit ex Deo : mors autem corporis quonammodo, cùm vivat ex animâ ?.... Vivit itaque anima ex Deo, cùm vivit benè ; non enim potest benè vivere, nisi Deo operante in se quod bonum est.

Lib. 10. *Confess. cap.* 20. *n.* 29. Vivit anima mea de te, (*Deus.*)

Vide suprà Parte 1. *Sect.* 2. *Cap.* 3. §. 21. *auctoritates ex* S. AUG. *petitas*, *litt.* (A) *et quas hîc exhibemus infrà litt. seq.* (B).

(B) S. AUG. *Annot. in Job. cap.* 9. *v.* 12. Hæc est mors animæ, ut Deum nesciat.

Enarrat. in Psal. 70. *Serm.* 2. *n.* 3. *circa med.* Quæ sunt putas mirabilia Dei ? Quid mirabilius inter Dei mirabilia, quàm mortuos suscitare ? Numquid-nam ego mortuus sum, inquis ? Si mortuus non esses, non diceretur tibi : (*Ephes.* v. 14.) Surge qui dormis, et exsurge à mortuis, et illuminabit te Christus. Mortui sunt omnes infideles, omnes iniqui, corpore vivunt, sed corde exstincti sunt. Qui autem suscitat mortuum secundùm corpus, reddit eum luci huic videndæ, et huic aëri ducendo : non autem suscitator ejus ipse illi lux et aer est : incipit videre, quemadmodùm videbat antè. Anima non sic exsuscitatur. Anima enim exsuscitatur à Deo : quanquam et corpus exsuscitetur à Deo : sed Deus quando exsuscitat corpus, mundo reddit ; quando exsuscitat animam, sibi reddit. Si recedat aër mundi istius, moritur corpus : si recedat Deus, moritur anima. Cùm ergo animam suscitat Deus, nisi adsit qui suscitavit, suscitata non vivit. Non enim suscitat, et dimittit ut vivat sibi.... suscitat illam Deus, moritur si discesserit Deus. Dicam enim audacter, Fratres, sed tamen verum : duæ vitæ sunt, una corporis, altera animæ : sicut vita corporis anima, sic vita animæ Deus : quomodò si anima deserat, moritur corpus ; sic anima moritur, si deserat Deus.... Cùm mecum es vivo, et animæ meæ vita tu es, quæ morietur, si dimittatur sibi.

Enarrat. in Psal. 87. *n.* 12. Quis enarrabit in sepulcro misericordiam tuam, id est, animæ mortuæ, cujus mors jacet (*fortè* latet) sub corporis pondere ? et veritatem tuam in perditione, hoc est, in tali morte nihil horum valenti credere atque sentire ? Numquid enim in tenebris hujus mortis, hoc est, in homine, qui te obliviscendo vitæ lumen amisit, tua mirabilia et justitia cognoscentur ?

Ergo peccatum illud, quod gratiam et spiritum Dei expellit ab animâ, mortale dicitur.

Quod autem stat cum inhabitante spiritu Dei in animâ, dicitur veniale.

I. Id si ita est, omnia peccata mortalia dici debent, nullum veniale : quæ enim societas spiritûs Dei cum peccato ? Nunquid potest esse in eadem animâ et peccatum et Deus ipse, suprema sanctitas ? *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate* ? inquit Apostolus (1. *Cor.* VI. 14.)

R. Esse peccata quædam ex genere suo mortualia, quædam venialia probatur invictissimis ex Scripturâ et Traditione petitis argumentis.

1° Ex Scripturâ manifestè colligitur nullum esse hominem, qui non peccet ; nullum esse à quo quotidiè dici non oporteat, *Dimitte nobis debita nostra ;* (*Matth.* XI. 12.) si quis dixerit esse se sine peccato, veritatem in eo non esse. Et cætera id genus (C)

At peccata istius modi, quæ quotidiè committuntur vel à sanctissimis viris, talia non sunt, ut per ea exstinguatur spiritus, et expellatur à cordibus hominum : alioquin nullus esset justus super terram, ne unus quidem. Ergo peccata isthæc quotidiana leviora sunt, et stant simul cum inhabitante spiritu Dei in cordibus nostris.

Et certè quemadmodum multi dicuntur in Scripturis justi et sancti, ita multi, et longè plures, dicuntur mali et impii. Et Ecclesia bonos et malos complectitur, ut suprà §. 4. *C.* 3. *Sect.* 2. *Part.* 1. probavimus, adductis in medium Scripturæ testimoniis notissimis. (D) At si omnia peccata mortalia sunt, nullus jam erit, qui malus et impius dici non debeat : bonos inter et malos discrimen nullum erit. Siquidem malus est, qui peccati mortalis labe inficitur ; et nemo est, qui peccati alicujus labe non inficiatur.

Itaque ex Scripturâ sacrâ manifestè colligitur esse peccata quædam ex genere suo non mortalia, sed venialia, quæ stent simul cum justitiâ.

(C) ECCLE. VII. 21. Non est enim homo justus in terrâ, qui faciat bonum, et non peccet.

JACOB. III. 2. In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Potest etiam freno circumducere totum corpus.

1. JOAN. I. 8. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus ; ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.

(D) MATTH. XIII. 37.... Qui seminat bonum semen, est Filius hominis. 38. Ager autem, est mundus. Bonum verò semen, hi sunt filii regni. Zizania autem filii sunt nequam. 39.... Messis verò, consummatio seculi est.

Ibid. 49.... Exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum.

XXII. 10. Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes, quos invenerunt, malos et bonos : et impletæ sunt nuptiæ discumbentium, (*id est* Ecclesia.)

Ibid. 14. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.

Vide suprà 2. *h. Cap.* 3. *Sect.* 2. *Part.* 1. *Scripturæ sacræ testimonia tam sub litt.* (N) *quàm sub litt.* (O) *allata.*

2. Idem certissimâ Traditione demonstratur. Cujus testes selectos in plurimis proferre sufficiat SS. Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Cæsarium, quorum testimonia legetis ad marginem hîc transcripta. (E)

(E) S. AMBROS. *Lib.* 2. *de Pœnit. c.* 10. *n.* 91. Hoc ergo in Ecclesiâ facere fastidis, ut Deo supplices, ut patrocinium tibi ad obsecrandum sanctæ plebis requiras : ubi nihil est quod pudori esse debeat, nisi non fateri, cùm omnes simus peccatores : ubi ille laudabilior, qui sibi abjectior.

N. 95. Sicut unum baptisma, ita una pœnitentia, quæ tamen publicè agitur ; nam quotidiani nos debet pœnitere peccati : sed hæc delictorum leviorum, illa graviorum.

S. HIERONYM. *in c.* 2. *Jeremiæ p.* 537. Qui levi peccatorum sorde maculatus est, levioribus purgatur monitis. Porrò peccata gravia, quæ ad mortem trahunt, nec nitro, nec herba Borith dilui possunt : sed gravioribus tormentis indigent. * *Uniuscujusque* enim *opus quale sit, ignis probabit, et in igne revelabitur* (1. *Cor.* III. 13.) Pulchrèque addidit, *maculata es in iniquitate tua in conspectu meo* (*Jerem.* II. 22.) ; quòd etiamsi hominibus munda videaris, mihi munda non sis, qui novi conscientias singulorum. Undè et in alio loco dicitur : *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Ps.* CXIII. 2.)

Adv. Jovin. Lib. 2. *part.* 2. *t.* 4. *p.* 222. *nov. Edit.* Sunt peccata levia, sunt gravia. Aliud est decem millia talenta debere, aliud quadrantem. Et de otioso quidem verbo et adulterio rei tenebimur ; sed non est idem suffundi, et torqueri : erubescere, et longo tempore cruciari. Putas nostrum esse quod loquimur ? Audi Apostolum Joannem (1. *Epist.* V. 16.) : * *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabit ei vitam, peccanti non ad mortem. Qui verò peccaverit ad mortem, quis orabit pro eo?* Cernis quod si pro peccatis minoribus deprecemur, impetremus veniam. Si pro majoribus, difficilis impetratio sit, et inter peccata et peccata magnam esse distantiam.

S. AUG. *Enchirid. c.* 64. *n.* 17. Ipsa etiam vita cætera jam ratione utentis ætatis, quantalibet præpolleat fecunditate justitiæ, sine peccatorum remissione non agitur. Quoniam filii Dei, quandiù mortaliter vivunt, cum morte confligunt : et quamvis de illis sit veraciter dictum, *Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei* (*Rom.* VIII. 14.) ; Sic tamen Spiritu Dei excitantur, et tanquam filii Dei proficiunt ad Deum, ut etiam spiritu suo, maximè aggravante corruptibili corpore, tanquam filii hominum quibusdam humanis motibus deficiant ad se ipsos, et ideò peccent. Interest quidem quantùm : neque enim, quia peccatum est omne crimen, ideò crimen est etiam omne peccatum. Itaque sanctorum hominum vitam, quandiù in hâc mortali vivitur, inveniri posse dicimus sine crimine : *Peccatum* autem *si dixerimus quia non habemus*, ut ait tantus Apostolus (1. *Joan.* I. 8.) *nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est.*

N. 19. *cap.* 70. Sanè cavendum est, ne quisquam existimet infanda illa crimina, qualia qui agunt, regnum Dei non possidebunt, quotidiè perpetranda, et eleemosynis quotidiè redimenda. In melius quippè est vita mutanda, et per eleemosynas de peccatis præteritis est propitiandus Deus ; non ad hoc emendus quodam modo, ut ea semper liceat impunè committere : *Nemini enim dedit laxamentum peccandi* (*Eccli.* XV. 21.) : quamvis miserando deleat jam facta peccata, si non satisfactio congrua negligatur.

N. 19. *c.* 71. De quotidianis autem brevibus levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non dicitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit. Eorum est enim dicere, *Pater noster qui es in cœlis* (*Matth.* VI. 9.) qui jam Patri tali regenerati sunt ex aquâ et Spiritu. Delet omninò hæc oratio minima et quotidiana peccata.

Lib. 21. *de Civit. Dei, c.* 27. *et ult. n.* 2... *Fili peccasti, ne adjicias iterùm, et de præteritis deprecare, ut dimittantur tibi* (*Eccli.* XXI. 1.) Propter hoc ergo eleemosynæ faciendæ sunt, ut cùm de præteritis peccatis deprecamur, exaudiamur, non ut in eis perseverantes, licentiam malefaciendi nos per eleemosynas comparare credamus.

N. 3. Ideò autem Dominus et dextris eleemosynas ab eis factas, et sinistris non factas se imputaturum esse prædixit; ut hinc ostenderet quantùm valeant eleemosynæ ad priora delenda, non ad perpetua impunè committenda peccata.... Tales autem eleemosynas non dicendi sunt facere, qui vitam nolunt à consuetudine scelerum in melius commutare... Ita parum est eleemosynas quantaslibet facere pro quocunque scelere, et in consuetudine scelerum permanere.

N. 4. Oratio verò quotidiana, quam docuit ipse Dominus, undè et Dominica nominatur, delet quidem quotidiana peccata, cùm quotidiè dicitur, *dimitte nobis debita nostra.... sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* (*Matth.* VI. 12.).... Per hanc enim nobis voluit Salvator ostendere, quantumlibet justè in hujus vitæ caligine atque infirmitate vivamus, non nobis deesse peccata, pro quibus dimittendis debeamus orare, et eis, qui in nos peccant, ut et nobis ignoscatur, ignoscere. Non itaque propterea Dominus ait: *Si dimiseritis peccata hominibus, dimittet vobis et Pater peccata vestra* (*Ibid.* 14.), ut de hâc oratione confisi, securi quotidiana scelera faceremus, vel potentiâ quâ non timeremus hominum leges, vel astutiâ quâ ipsos homines falleremus: sed ut per illam disceremus, non putare nos esse sine PECCATIS, etiamsi à CRIMINIBUS essemus immunes.... Verumtamen nec ipsa MAGNA, à quibus omninò mutatis in melius moribus recedendum est, dimittuntur orantibus, nisi fiat quod ibi dicitur, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Si enim MINIMA peccata, sine quibus non est etiam vita justorum, aliter non remittuntur: quantò magis multis et magnis criminibus involuti, etiam si ea perpetrare jàm desinant, nullam indulgentiam consequuntur, si ad remittendum aliis, quod in eos quisque peccaverit, inexorabiles fuerint, cùm dicat Dominus: *Si autem non dimiseritis hominibus, neque Pater vester dimittet vobis* (*Ibid.* 15.).... *Judicium futurum sine misericordiâ illi, qui non fecit misericordiam.* (*Jacob.* II. 13.) Venire quippè debet in mentem etiam servus ille, cui debitori Dominus ejus relaxavit decem millia talentorum; quæ posteà jussit ut redderet, quia ipse non miserius est conservi sui, qui ei debebat centum denarios. In his ergo qui filii sunt promissionis et vasa misericordiæ, valet quod idem Apostolus, consequenter adjungens, dicit: *superexaltat autem misericordia judicio...*

Vide eumdem infrà litt. (I) *hocce 2.*

S. CÆSARIUS *Serm.* 37. *aliàs de Sanctis* 41. *nunc verò append. tom.* 5. *Serm.* 104. *n.* 1.... Illo transitorio igne, de quo dixit Apostolus. (1. *Cor.* III. 15.) *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem*, non CAPITALIA, sed MINUTA peccata purgantur. Et quamvis, quod pejus est, non solùm majora, sed etiam minuta, si nimiùm plura sint, mergunt: de ipsis majoribus sive minoribus peccatis, et si non omnia, vel aliqua commemoranda sunt, ne aliquis se inaniter excusare conetur, et dicat, nescire se quæ sint minuta peccata, vel quæ crimina capitalia.

N. 2. Et quamvis Apostolus capitalia plura commemoraverit, nos tamen ne desperationem facere videamur, breviter dicimus quæ sint illa: sacrilegium, homicidium, adulterium, falsum testimonium, furtum, rapina, superbia, invidia, avaritia; et, si longo tempore teneatur, iracundia: et ebrietas, si assidua sit, in eorum numero computatur. Quicunque enim aliqua de istis peccatis in se dominari cognoverit, nisi dignè se emendaverit, et, si habuerit spatium, longo tempore pœnitentiam egerit, et largas eleemosynas erogaverit, et à peccatis ipsis abstinuerit; illo transitorio igne, de quo ait Apostolus, purgari non poterit, sed æterna illum flamma sine ullo remedio cruciabit.

N. 3. Quæ autem sunt minuta peccata, licèt omnibus nota sint, tamen quia longum est ut omnia replicentur, opus est ut ex eis vel aliqua nominemus. Quoties aliquis aut in cibo aut in potu plus accipit quàm necesse sit, ad minuta peccata noverit pertinere. Quoties plus loquitur quàm oportet, aut plus tacet quàm expedit. Quoties pauperem importune petentem exasperat. Quoties cùm corpore sit sanus, aliis jejunantibus prandere voluerit; aut somno deditus tardiùs ad Ecclesiam surgit. Quoties, excepto desiderio filiorum, uxorem suam cognoverit. Quoties in carcere clausos, et in vinculis positos tardiùs requisierit. Quoties infirmos tardiùs visitaverit. Si discordes ad concordiam revocare neglexerit.

Si plus aut proximum, aut uxorem, aut filium, aut servum exasperaverit quàm oportet; si ampliùs fuerit blanditus quàm expedit. Si cuicunque majori personæ aut ex voluntate, aut ex necessitate adulari voluerit. Si pauperibus esurientibus cibum non dederit; aut nimiùm deliciosa, aut sumptuosa sibi convivia præparaverit. Si se in Ecclesiâ aut extra Ecclesiam fabulis otiosis, de quibus in die judicii ratio reddenda est, occupaverit. Si dùm incautè juramus, et cùm hoc per aliquam necessitatem implere non poterimus, utiquè perjuramus. Et cùm omni facilitate et temeritate maledicimus; cùm scriptum sit, *Neque maledici regnum Dei possidebunt.* (1. *Cor.* VI. 10.) Et cùm aliquid suspicamur temerè, quod tamen plerumque non ita, ut credimus, comprobatur, sine ullâ dubitatione delinquimus. Hæc enim, et his similia, ad minuta peccata pertinere non dubium est, quæ sicut jam dixi, enumerari vix possunt, et à quibus non solùm populus Christianus, sed etiam nullus Sanctorum immunis esse potuit aliquandò, aut poterit. Quibus peccatis licèt occidi animam non credamus, ita tamen eam velut quibusdam pustulis, et quasi horrendâ scabie replentia deformem faciunt, ut eam ad amplexus illius sponsi cœlestis aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant.

N. 4. Et ideò continuis orationibus, et frequentibus jejuniis, et largioribus eleemosynis, et præcipuè per indulgentiam eorum, qui in nos peccant, assiduè redimantur; ne fortè simul collecta cumulum faciant, et demergant animam. Quidquid enim de istis peccatis à nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandum est, de quo dixit Apostolus (1. *Cor.* III. 13. 15.): *Quia in igne revelabitur: et si cujus opus arserit, detrimentum patietur.* Aut enim, dùm in hoc mundo vivimus, ipsi nos per pœnitentiam fatigamus: aut certè, volente aut permittente Deo, multis tribulationibus pro istis peccatis affligimur: et si Deo gratias agimus, liberamur.... Ita peccata ipsa in hoc seculo purgantur, ut in futuro ille ignis purgatorius aut non inveniat, aut certè parum inveniat, quod exurat. Si autem nec in tribulatione Deo gratias agimus, nec bonis operibus peccata redimimus, ipsi tandiù in illo purgatorio igne moras habebimus, quandiù supradicta peccata minuta, tanquam ligna, fenum, stipula, consumantur.

N. 5. Sed dicit aliquis: Non pertinet ad me quandiù moras habeam, si tamen ad vitam æternam perrexero. Nemo hoc dicat, fratres carissimi, quia ille purgatorius ignis durior erit, quàm quidquid potest in hoc seculo pœnarum aut cogitari, aut videri, aut sentiri.... Et ideò totis viribus unusquisque laboret, ut capitalia crimina possit evadere, et minuta peccata ita operibus bonis redimere, ut de ipsis nihil videatur remanere, quod ille ignis possit absumere. Illi autem, qui capitalia crimina committunt, si quandiù vivunt, ea redimere pœnitentiæ medicamentis noluerint, ad illum ignem, de quo dicit Apostolus (*Ibid.* 15.); *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem....* Illam duram et irrevocabilem sententiam audituri sunt: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* (*Matth.* XXV. 41.) Et ideò, qui ab ista perpetuâ pœnâ, et ab illo purgatorio igne desiderant liberari, crimina capitalia non admittant: aut si jam commiserunt, fructuosam agant pœnitentiam, et illa parva vel quotidiana peccata bonis operibus redimere non desistant.

N. 6. Quibus tamen operibus minuta peccata redimantur, planiùs vobis insinuare desidero. Quoties infirmos visitamus, in carcere clausos, et positos in vinculis requirimus, discordes ad concordiam revocamus, indicto in Ecclesiâ jejunio jejunamus, pedes hospitibus abluimus, ad vigilias frequenter convenimus, eleemosynam ante ostium prætereuntibus pauperibus damus, inimicis nostris, quoties petierunt, veniam indulgemus: istis operibus, et his similibus, minuta peccata redimuntur quotidiè.

N. 7. Pro capitalibus verò criminibus non hoc solùm sufficit: sed addendæ sunt lacrymæ, rugitus et gemitus, continuata et longo tempore pertracta jejunia, largiliores eleemosynæ erogandæ, ultrò nos ipsos a communione Ecclesiæ removentes, in luctu, et in tristitiâ multo tempore permanentes, et pœnitentiam etiam publicè agentes: quia justum est, ut qui cum multorum destructione se perdiderit, cum multorum ædificatione se redimat.

I. Quandonam peccatur mortaliter ?

R. Quando violatur lex Dei in re gravi, et cum perfecto rationis consensu.

I. Quinam sunt peccati mortalis effectus ?

R. Qui peccant mortaliter ii subeunt et inimicitiam Dei, et servitutem diaboli, et æterni supplicii reatum.

I. Quandonam peccatur venialiter ?

R. Quando violatur lex Dei vel in re levi, vel si in re gravi, certè non ex pleno voluntatis consensu. (F)

N. 8. Omnes sancti, qui Deo fideliter serviunt, lectioni et orationi vacare, et in bonis operibus perseverare contendunt, nec capitalia crimina, nec minuta peccata, id est, ligna, fenum et stipulam supra fundamentum Christi, sed bona opera, id est, aurum, argentum, lapides pretiosos superædificantes, per ignem illum, de quo dicit Apostolus, (1. *Cor.* III. 13.) *Quia in igne revelabitur*, absque ullâ violatione transibunt. Illi verò, qui quamvis capitalia crimina non admittant, et ad perpetranda minuta peccata sunt faciles, et ad redimenda sunt negligentes; ad vitam æternam, pro eo quòd in Christum crediderunt, et capitalia peccata non admiserunt, venturi sunt : sed priùs aut in hoc seculo per Dei justitiam vel misericordiam, sicut jam dictum est, amarissimis tribulationibus sunt excoquendi, aut illi ipsi per multas eleemosynas, et præcipuè dùm inimicis suis clementer indulgent, per Dei misericordiam liberandi, aut certè illo igne, de quo dicit Apostolus, longo tempore cruciandi, ut ad vitam æternam sine maculâ et rugâ perveniant. Illi vero, qui aut homicidium, aut sacrilegium, aut adulterium, vel reliqua his similia commiserunt, sicut jam dictum est, si eis digna pœnitentia non subvenerit, non per purgatorium ignem transire merebuntur ad vitam, sed æterno incendio præcipitabuntur ad mortem.

Distinctionem porrò peccati in mortale et veniale Theologicè sic explicat S. THOM. 1. 2. *q.* 88. *art.* 1. *in corp.* Cùm enim peccatum sit quædam infirmitas animæ,... peccatum aliquod mortale dicitur ad similitudinem morbi, qui dicitur mortalis, ex eo quòd inducit defectum irreparabilem per destitutionem alicujus principii.... Principium autem spiritualis vitæ, quæ est secundùm virtutem, est ordo ad ultimum finem,.... qui quidem si destitutus fuerit, reparari non potest per aliquod principium intrinsecum, sed solùm per virtutem divinam : .... ideò hujusmodi peccata dicuntur mortalia quasi irreparabilia. Peccata autem, quæ habent inordinationem circa ea, quæ sunt ad finem, conservato ordine ad ultimum finem, reparabilia sunt; et hæc dicuntur venialia. Tunc enim peccatorum veniam habet, quando reatus pœnæ tollitur, qui cessat cessante peccato.... Ad tertium dicendum, quòd ille qui peccat venialiter, inhæret bono temporali, non ut fruens : quia non constituit in eo finem, sed ut utens, referens in Deum non actu, sed habitu.

Art. 2. *in corp.* Respondeo dicendum, quòd peccatum veniale à veniâ dicitur : .... non meretur pœnam æternam, sed temporalem.... Cùm enim voluntas fertur in aliquid quod secundùm se repugnat charitati, per quam homo ordinatur in ultimum finem, illud peccatum ex suo objecto habet quòd sit mortale : undè est mortale ex genere, sive sit contra dilectionem Dei sicut blasphemia, perjurium, et hujusmodi : sive contra dilectionem proximi, sicut homicidium, adulterium, et similia; undè hujusmodi sunt peccata mortalia ex suo genere. Quandoque verò voluntas peccantis fertur in id, quod in se continet quamdam inordinationem, non tamen contrariatur dilectioni Dei et proximi : sicut verbum otiosum, risus superfluus, et alia hujusmodi : et talia sunt peccata venialia ex suo genere....

(F) S. THOMAS 1. 2. *q.* 88. *art.* 6. *in corp.* Potest tamen id, quod est ex genere mortale, esse veniale propter imperfectionem actûs, quia non perfectè pertingit ad rationem actûs moralis, cùm non sit deliberatus, sed subitus. Et hoc fit per subtractionem quamdam, scilicet deliberatæ

I. Si quis justus impotentis libidinis impetu abreptus, vel ingenti metu fractus legem Dei violaverit in re gravi; moxque reversus in se resipuerit; peccavitne is venialiter, an mortaliter?

R. Peccavit mortaliter : quippè in re gravi. Neque enim tollunt libidinis impotentia vel metus liberum voluntatis consensum. Peccavit, quia liberè voluit : libidinem vel quietem legi Dei prætulit, idque in re gravi : Ergo lethalis culpæ labe tenetur. (G) Si quis aliter senserit, is facilem ad omne licentiæ genus aditum patefaciet. (H)

rationis, et quia à ratione deliberata habet speciem moralis actûs, indè est quod per talem subtractionem solvitur species.

1. 2. *q.* 88. *art.* 2. *in corp.* Similiter etiam ex parte agentis contingit, quòd aliquod peccatum, quod ex suo genere est mortale, sit veniale, propter hoc scilicet quòd actus est imperfectus, id est, non deliberatus ratione, quæ est principium proprium mali actûs.

(G) S. THOM. 1. 2. *q.* 88. *art.* 2. *in corp.* Contingit quandoque quòd id quod est peccatum veniale ex genere, ratione sui objecti, sit mortale ex parte agentis : vel quia in eo constituit finem ultimum, vel quia ordinat ipsum ad aliquid, quod est peccatum mortale ex genere : putà cùm aliquis ordinat verbum otiosum ad adulterium committendum.

2. 2. *Quæst.* 125. *de Timiditate, art.* 1. *in corp.* Dicendum, quòd aliquid dicitur esse peccatum in actibus humanis propter inordinationem : nam bonum actûs humani in ordine quodam consistit. Est autem hic debitus ordo, ut appetitus regimini rationis subdatur. Ratio autem dictat aliqua esse fugienda, et aliqua esse prosequenda; et inter fugienda, quædam dictat esse magis fugienda, quàm alia : et similiter etiam inter prosequenda, quædam dictat esso magis prosequenda, quàm alia, et quantùm est bonum prosequendum, tantùm esse oppositum malum fugiendum. Indè est quòd ratio dictat quædam bona magis esse prosequenda quàm quædam mala fugienda. Quando ergo appetitus fugit ea, quæ ratio dictat esse sustinenda, ne desistat ab aliis, quæ magis prosequi debet; timor inordinatus est, et habet rationem peccati.

Art. 3. *in corp.* Quandoque verò hujusmodi inordinatio timoris pertingit usque ad appetitum rationalem, qui dicitur voluntas, quæ ex libero arbitrio refugit aliquid non secundùm rationem : et talis inordinatio timoris quandoque est peccatum mortale, quandoque veniale. Si enim aliquis propter timorem, quo refugit periculum mortis, vel quodcunque aliud temporale malum, sic dispositus est, ut faciat aliquid prohibitum, vel prætermittat aliquid quod est præceptum in lege divina : talis timor est peccatum mortale.

(H) *Censura* CLERI GALLICANI, *lata in Comitiis generalibus 4. Sept. anni* 1700. *art.* 28. *n.* 114. « Pleraque peccata de quibus ait Apostolus (*Galat.* v. 21.), quod *qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*, et quæ expressè adversantur præceptis Decalogi, mortalia dici possunt.... quoniam..., horum facinorum rei, aut amisêre omnem charitatis sensum, aut exiguum retinent, ita ut ipsis omninò dominetur cupiditas. »

N. 115. « Id tamen intelligi posset adhibito eo temperamento, ut qui planè repugnantes, ac velut inviti ista perpetrassent, aut gravis mali impendentis metu, aut æstu libidinis abrepti, ita ut ab istis angustiis liberati acri dolore tangerentur ob commissum peccatum, tam certò affirmari non potest excidisse illos gratiâ, aut incurrisse pœnam damnationis; quanquam enim hoc momento dominata sit cupiditas, brevis et transitoria potuit esse ejus modi dominatio, quâ voluntatis intima dispositio non mutatur.... Hoc temperamentum naturaliter consequitur ex doctrina sancti Augustini. »

Censura. Hæ propositiones quæ divinæ charitatis habitum docent, aut significant posse consistere cum peccatis adversùs Decalogum, ac de quibus ait Apostolus, quod qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt, falsæ sunt, perniciosæ, erroneæ, verbo Dei contrariæ : *Quæ enim parti-*

I. Quinam sunt peccati venialis effectus ?

R. Illud non tollit quidem vitam spiritualem : sed vires animæ debilitat, disponit et sternit viam ad peccatum mortale, efficit nos minùs gratos Deo, auget diaboli vires et impetus in nos ; pœnam meretur, temporalem illam quidem, sed maximam. (1)

cipatio justitiæ cum iniquitate ,.... quæ conventio Christi ad Belial (2. *Cor.* VI. 14. *et* 15.) ? Ad excusanda et imminuenda cujusvis generis præcepta, viam aperiunt, et imponunt sancto Augustino.

(1) S. AUG. *Serm.* 351. *de Utilitate agendæ pœnit.* 1. *aliàs* 50. *inter* 50. *homil. c.* 3. *n.* 3. Altera verò pœnitentia est, cujus actio per totam istam vitam, quâ in carne mortali degimus, perpetuâ supplicationis humilitate subeunda est. Primò, quia nemo vitam æternam, incorruptibilem, immortalemque desiderat, nisi eum vitæ hujus temporalis, corruptibilis, mortalisque pœniteat.... Quis dubitet in quâcunque temporali felicitate versemur, pœnitere tamen nos debere hujus vitæ, ut ad illam incorruptionem totâ aviditate curramus ?.... Quis ergo festinat atque optat ad patriam remeare, et illam speciem, quæ est facie ad faciem contemplari, nisi quem peregrinationis suæ pœnituerit ? Ex quo dolore pœnitentis, etiam vox illa miserabilis erumpit et sonat, * *Heu me, quoniam peregrinatio mea longinqua facta est.* (*Ps.* CXIX. 5.) ,....

N. 4.... Ne quis per baptismum quamvis justificatus sit à prioribus peccatis, tamen superbire audeat, si nihil committat, undè ab altaris communione separetur, quasi jam de plenâ secùritate se jactans, sed potiùs servet humilitatem, quæ penè una disciplina Christiana est : nec superbiat terra et cinis, donec ista non tota transeat.... Quis itaque sanæ mentis non ingemiscat ? Cui non per pœnitentiam sic esse displiceat ? Quis non totâ humilitate supplicans divino adjutorio, se exaudibilem præbeat, donec transeat omnis ista tentationum materies atque umbra terrena ?... Deindè quamvis se quisque glorietur sic habere corpus edomitum, ut mundo crucifixus ab omni opere malo, in servitutem redacta membra castiget, ne jam regnet peccatum in ejus mortali corpore, ad obediendum desideriis ejus ; solum unum Deum verum colat, nulli simulacrorum ritui deditus, nullis sacris dæmoniorum irretitus, non accipiens in vanum nomen Domini Dei sui, quietem sempiternam certus exspectans, debitum honorem parentibus reddens, nec cruentus homicidio, nec fornicatione turpatus, nec furto fraudulentus, nec mendacio duplicatus, nec rei, nec uxoris alienæ concupiscentiâ sordidus ; non in suis etiam rebus aut luxuriâ diffluat, aut arescat avaritiâ ; non sit contentiosus, non sit contumeliosus, non maledicus ; vendat postremò omnia sua, et det pauperibus, et sequatur Christum, atque thesauro cœlesti radicem cordis infigat : Quid videtur addi posse ad tam plenam justitiam ? Tamen nolo glorietur.... Eroget sanè pecuniam dominicam : consulat proximo, sicut sentit sibi esse consultum.... Versabitur ergo iste in rebus humanis, non carnalis, sed spiritalis acquisitionis devinctus officio ; non quidem negotiis secularibus obligatus, sed tamen quia militat Deo, non otio desidiæ torpidus et abjectus. Det ergo, si potest, suas eleemosynas omnes cum omni hilaritate.... non tædio frangatur in difficultatibus rerum, quæ necesse est existant, ut ostendatur homini quòd homo est. Non ira subrepat in eum, qui aut odiosè irruit, aut inopportunè inopiâ coactus, petit ; aut negotio suo, cùm tu majore occupatus es, indifferenter flagitat subveniri.... Non det quidquam amplius, vel minus quàm oportet : non loquatur amplius quàm opus est.... Sed tamen de terrâ siccâ pulverem contrahunt.... Non solùm ergo propter ipsam vitæ hujus mortalitatem et ignorantiam, et propter diei malitiam ,.... quam jubemur ferre atque portare ,.... et sustinere Deum viriliter agendo, ut fructum afferamus cum tolerantiâ : sed etiam propter ipsum pulverem mundi hujus, qui per itinera consulendi consulentium pedibus adhærescit, et damna, quæ in ipsâ negotiosissimâ dispensationis actione contingunt, quæ Dominus præstet ut eum lucris majoribus compensentur, quotidianam debemus habere pœnitentiam.

N. 5. Quantò magis Ecclesiæ provinciales (*id est* Laïci) secularibus negotiis obligati, quotidianam debent agere pœnitentiam? Qui, quamvis à furtis, à rapinis, à fraudibus, ab adulteriis et fornicationibus, omnique luxuriâ, à crudelitate odiorum et inimicitiarum pertinaciâ, ab omni denique idololatriæ fœditate, spectaculorum nugacitate, hæresum atque schismatum impiâ vanitate, atque ab omnibus hujuscemodi flagitiis et facinoribus immunes, puri atque integri esse debeant: tamen propter administrationem rerum secularium, et conjugiorum arctissima vincula, tum multa peccant, ut non tam de istius mundi pulvere aspergi, quàm luto obliniri videantur.... Solâ enim generandi causâ est inculpabilis sexûs utriusque commixtio. Quàm multa sunt alia peccata, sive in loquendo de rebus et negotiis alienis, quæ non ad te pertinent: sive in vanis cachinnationibus, cùm scriptum sit, *Stultus in risu exaltat vocem suam, sapiens autem vix tacitè ridebit* (*Eccli.* XXI. 23.): sive in ipsis escis, quæ ad necessitatem sustentandæ hujus vitæ præparantur, avidior atque immoderatior appetitus, sæpè excessum modum postridianâ cruditate contestans: sive in vendendis et emendis rebus caritatis et vilitatis vota perversa. Piget cuncta colligere, quæ quisque in se ipso certiùs comprehendit atque reprehendit, si divinarum Scripturarum speculum non negligenter attendat. Quæ quamvis singula non lethali vulnere ferire sentiantur, siculi homicidium et adulterium, vel cætera hujusmodi: tamen omnia simul congregata velut scabies, quò plura sunt, necant, aut nostrum decus ita exterminant, ut ab illius sponsi speciosi formâ præ filiis hominum carissimis amplexibus separent, nisi medicamento quotidianæ pœnitentiæ desiccentur.

N. 6. Quod si falsum est, undè quotidie tundimus pectora? Quod nos quoque Antistites ad altare assistentes cum omnibus facimus. Unde etiam orantes dicimus, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* (*Matth.* VI. 12.).... Utique de quotidianis peccatis hoc dicimus, pro quibus etiam sacrificia eleemosynarum, jejuniorum, et ipsarum orationum ac supplicationum quisque pro suis viribus offerre non cessat. Quisquis itaque se diligenter attendens, nullâ se ipsum adulatione seducit, satis intelligit cum quanto periculo mortis æternæ, et cum quanta penuria perfectæ justitiæ peregrinetur à Domino.... Nam si non habemus peccata et tundentes pectora dicimus, *Dimitte nobis debita nostra*; ex hoc ipso certè et graviter, nullo dubitante, peccamus, cùm inter ipsa sacramenta mentimur.

Tract. 12. *in Joan. n.* 13. Oportet ut oderis in te opus tuum, et ames in te opus Dei. Cùm autem cœperit tibi displicere quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua. Initium operum bonorum, confessio est operum malorum.... Qui autem facit veritatem, accusat in se mala sua: non sibi parcit, non sibi ignoscit, ut Deus ignoscat, quia, quod vult ut Deus ignoscat, ipse agnoscit.

N. 14. Christus paratus est ignoscere, sed agnoscentibus.... In dilectione autem ejus et in misericordiâ ejus qui ambulat, etiam liberatus ab illis lethalibus et grandibus peccatis, qualia sunt facinora, homicidia, furta, adulteria, propter illa, quæ minuta videntur esse peccata linguæ, aut cogitationum, aut immoderationis in rebus concessis, facit veritatem confessionis: et venit ad lucem in operibus bonis: quoniam minuta plura peccata si negligentur, occidunt. Minutæ sunt guttæ, quæ flumina implent; minuta sunt grana arenæ: sed si multa arena imponatur, premit, atque opprimit. Hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruens: paulatim per sentinam intrat, sed diù intrando et non exhauriendo, mergit navim. Quid est autem exhaurire, nisi bonis operibus agere, ne obruant peccata, gemendo, jejunando, tribuendo, ignoscendo. Iter autem hujus seculi molestum est, plenum est tentationibus: in rebus prosperis ne extollat, in rebus adversis ne frangat. Qui tibi dedit felicitatem hujus seculi, ad consolationem tuam dedit, non ad corruptionem. Rursùs qui te flagellat in isto seculo, ad emendationem, non ad damnationem facit. Ferto patrem erudientem, ne sentias judicem punientem.

S. Greg. Magn. *Lib.* 10. *Moral. in Job. c.* 9.... Ad iniquitatem ducimur, cùm priùs per levia delicta deflectimus, ut usu cuncta levigante,

I. Si quis peccata venialia parvi-pendat, versaturne is in errore gravi?

R. Versatur. 1° Enim peccata isthæc, etiamsi venialia, Deum lædunt. At quidquid Deum lædit et offendit, debet esse grave Christiano.

2. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* (*Eccli.* XIX. 1.) A peccatis levioribus facilis est ad graviora progressus, atque indè ad ruinam. (K)

3. Mortalis est sæpè, habitâ ratione adjunctorum, culpa, nequaquàm post committere etiam graviora timeamus. Nam, dùm moderari lingua otiosa verba negligit, more inolitæ remissionis capta, audax ad noxia prorumpit: dùm gulæ incumbitur, ad levitatis protinùs insaniam proditur: cumque mens subigere delectationem carnis renuit, plerumque et ad perfidiæ voraginem ruit.... *Qui modica spernit, paulatim decidit* (*Eccli.* XIX. 1.) Si enim curare parva negligimus insensibiliter seducti, audenter etiam majora perpetramus.... Quia igitur à levioribus malis incipitur, et ad graviora pervenitur; vanitas mentem obnubilat, iniquitas cæcat.

(K) S. BASIL. *in Psal.* 61. *pag.* 290. *edit. Paris. in fol. ann.* 1618... Tantisper dùm exigui sunt momenti, et eadem in pauco numero, quæ admittimus, peccata, leniter ac sensim aliquò usque movemur, perindè atque assolent plantæ teneliæ hac illac motitari susurro impulsæ auræ leniter ac placidè aspirantis. Mox ubi plura accesserint gravioraque peccata: juxta proportionem coalescentis peccati intendi solet et animæ agitatio.

Regulæ Breviores. R. *ad interrog.* 4. Cùm Dominus etiam pronuntiaverit (*Matth.* XII. 36.), quòd omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii, nihil omninò, tanquam minutum, contemni debet. Qui enim rem contemnit, contemnetur ab eâ. Quanquam quis est, qui peccatum ullum (cujuscunque modi illud sit) leve audeat appellare? Cùm asseruerit Apostolus (*Rom.* II. 23.), Quod per transgressionem legis Deum inhonoras.

S. AUG. *In Joan. Evang. cap.* 3. *Tract.* 12. *n.* 13. *et* 14. *et* S. GREG. M. *lib.* 10. *Moral. in Job. cap.* 9. *Vide hocce* 2. *litt. superiori.*

S. AUG. *Serm.* 56. *in Matth.* 6. *de Orat. Dom. aliàs* 48. *de diversis, cap.* 7. *n.* 11. Qui baptizantur et exeunt, sine debito ascendunt, sine debito pergunt. Qui autem baptizantur et tenentur in hac vita, de fragilitate mortali contrahunt aliquid, undè etsi non naufragatur, tamen oportet ut sentiuetur. Quia, si non sentinatur, paulatim ingreditur undè tota navis mergatur.

Cap. 8. *n.* 12. Dimissis ergo peccatis omnibus per lavacrum regenerationis, in magnas angustias contrusi fuerimus, si non nobis daretur quotidiana mundatio sanctæ orationis. Eleemosynæ et orationes mundant peccata; tantùm ne talia committantur, undè necesse sit separari nos à pane quotidiano, vitantes debita, quibus debetur certa et severa damnatio.... Istis ergo exceptis, non deest undè homo peccet. Quod non oportet videndo libenter peccat. Et quis teneat oculi velocitatem?.... Quis teneat aurem vel oculum?

C. 9.... Ista omnia si colligantur contra nos, num ideò non premunt, quia minuta sunt? Quid interest, utrum te plumbum premat, an arena? Plumbum una massa est, arena minuta grana sunt, sed copiâ te premunt. Minuta sunt peccata: non vides de guttis minutis flumina impleri, et fundos trahi? Minuta sunt, sed multa sunt.

Serm. 261. *in die Ascensionis Domini* 1. *aliàs de diversis* 12. *n.* 10. *c.* 11. Minora peccata sunt quæ habeo. Non sunt multa? Nam quomodo minora sunt, quæ premunt, obruunt? Sed parvi morbi sunt. Congerie premunt. Quid minutius pluviæ guttis? Flumina implent. Quid minutius granis tritici? Horrea implent. Tu attendis quia minora sunt, et non attendis quia multa sunt....

Serm. 278. *aliàs de diversis* 34. *in Conversione S. Pauli* 1. *c.* 12. Sunt autem peccata levia et minuta, quæ devitari omninò non possunt, quæ

quæ venialis esse videbatur. Nec facilè semper mortale peccatum à veniali discernitur. (L)

I. Peccatorum venialium remissionem possumusne propriis meritis et viribus adipisci?

R. Peccati cujuscunque, sive venialis sive mortalis, remissionem et veniam non nisi ex virtute Sanguinis Christi et meritis ipsius consequimur. (M)

quidem videntur minora, sed multitudine premunt. Nam et acervus frumenti minutissimis granis colligitur, et tamen onerantur indè naves: et si ampliùs onerentur, demerguntur.... Sed et si pluvia sit nimia, minutissimis guttis tamen multos interficit.... ex mullitudine exstinguit.... Minutæ (bestiæ) cùm fuerint multæ congregatæ, plerumque interimunt, et talem perniciem inferunt, ut pœnis ejusmodi gens superba Pharaonis judicari meruerit.

(L) S. Aug. *Enchirid. n.* 21. *c.* 78. Quæ sint autem levia, quæ gravia peccata, non humano, sed divino sunt pensanda judicio. Videmus enim quædam ab ipsis quoque Apostolis ignoscendo fuisse concessa: quale illud est quod venerabilis Paulus conjugibus ait: *Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi; et iterum ad idipsum estote, ne vos tentet Satanas propter incontinentiam vestram* (1. *Cor.* VII. 5.) quod putari posset non esse peccatum, misceri scilicet conjugi non filiorum procreandorum causâ, quod bonum est nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis; ut fornicationis, sive adulterii, sive cujusquam alterius immunditiæ mortiferum malum, quod turpe est etiam dicere, quò potest, tentante Satanâ, libido pertrahere, incontinentium devitet infirmitas. Posset ergo.... hoc putari non esse peccatum, nisi addidisset: *Hoc autem dico secundùm veniam, non secundùm imperium.* (*Ibid.* 6.) Quis autem jam esse peccatum neget, cùm dari veniam facientibus, Apostolicâ auctoritate, fateatur?.... Propter hæc atque hujusmodi peccata, et alia licèt iis minora, quæ fiunt verborum et cogitationum offensionibus, Apostolo Jacobo confitente ac dicente (III. 2.) *In multis offendimus omnes:* oportet ut quotidiè crebroque oremus Dominum, atque dicamus, *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI. 12.): nec in eo, quod sequitur, mentiamur, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

Cap. 79. *n.* 21. Sunt autem quædam (*peccata*) quæ levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri suo, Fatue, reum gehennæ putaret, nisi veritas diceret (*Matth.* V. 22.)? Cui tamen vulneri subjecit continuò medicinam, præceptum fraternæ reconciliationis adjungens: mox quippè ait (*Ibid.* 23.) *Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversus te*, etc. Aut quis æstimaret quàm magnum peccatum sit, dies observare et menses et annos et tempora, sicut observant qui certis diebus, sive mensibus, sive annis volunt vel nolunt aliquid inchoare, eò quòd secundùm vanas doctrinas hominum fausta vel infausta existiment tempora; nisi hujus mali magnitudinem ex timore Apostoli pensaremus, qui talibus ait; *Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis* (*Galat.* IV. 11.)? Huc accedit, quòd peccata, quamvis magna et horrenda, cùm in consuetudinem venerint, aut parva aut nulla esse creduntur; usque adeò ut non solùm non occultanda, verùm etiam prædicanda ac diffamanda videantur, quando, sicut scriptum est (*Psal.* X. 3.) *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui iniqua gerit benedicitur....* In Genesi dicitur (XVIII. 20.): *Clamor Sodomorum et Gomorrhæorum multiplicatus est*: quia non solùm jam apud eos non puniebantur illa flagitia, verùm etiam publicè, veluti lege, frequentabantur. Sic nostris temporibus ista multa mala, et si non talia, in apertam consuetudinem jam venerunt, ut pro his non solùm excommunicare aliquem Laïcum non audeamus, sed nec Clericum degradare.

(M) S. Aug. *De sanct. Virginit. c.* 40. *n.* 42. Nisi fortè reverâ ideò minùs timebis, magisque inflaberis, ut modicum diligas eum, qui te tantùm dilexit, ut traderet semetipsum pro te, quia modicum tibi dimisit, viventi videlicet à pueritia religiosè, pudicè, piâ castitate, illibata virgi-

§. 3. De cæteris peccatorum actualium Generibus.

I. Quid est peccatum omissionis ?

R. Est præternissio rei alicujus lege Dei præceptæ. Si quis, verbi gratiâ, dives non erogat eleemosynam, si quis abest à sacro diebus Dominicis, *si quis domesticorum curam non habet*, (1. *Tim.* v. 8.) etc. ii peccant omissione.

I. Quid est peccatum commissionis ?

R. Actus legi Dei contrarius, verbi gratiâ, mendacium, furtum, adulterium, etc.

I. Quid est peccatum cordis, oris, operis ?

R. Corde peccatur, 1° Ubi actio prava solâ mente concipitur, cum aliquo saltem voluntatis consensu. 2° Ubi quis rem pravam spontè et cum voluptate cogitat, etiam seposito consensu voluntatis in rem pravam.

Ore peccatur, cùm profertur aliqua vox legi Dei contraria.

nitate. Quasi verò non tu multò ardentiùs diligere debeas eum, qui flagitiosis ad se conversis quæcunque dimisit, in ea te cadere non permisit ?.... Ergone hunc quantò ejus donis ornatiores estis, tantò minùs amabitis ? Averterit tam horrendam ipse dementiam. Proindè quoniam verum veritas dixit, quod ille, cui modicum dimittitur, modicum diligit ; vos ut ardentissimè diligatis, cui diligendo, à conjugiorum nexibus liberi vacatis, deputate vobis tanquam omninò dimissum, quidquid mali à vobis non est, illo regente, commissum.... Quis ergo donat ista ? Quis distribuit propria unicuique, sicut vult ? Nempe Deus, apud quem non est iniquitas. Ac per hoc qua æquitate ille faciat alios sic, alios autem sic, homini nosse, aut impossibile, aut omninò difficile est : quin tamen æquitate faciat dubitare fas non est. *Quid* itaque *habes*, *quod non accepisti* (1. *Cor.* IV. 6.) ? Aut qua perversitate minùs diligis, à quo ampliùs accepisti ?

Cap. 41. *n.* 42. Quapropter hæc prima sit induendæ humilitatis cogitatio, ne à se sibi putet esse Dei virgo quòd talis est, ac non potiùs hoc donum optimum desuper descendere à patre luminum, (*Jac.* I. 17.) apud quem non est transmutatio, nec momenti obumbratio. Ita enim non putabit modicum sibi esse dimissum, ut modicum diligat, et ignorans Dei justitiam, ac suam volens constituere, justitiæ Dei non subjiciatur.... Sed cautiùs et veriùs cogitabit, omnia peccata sic habenda tanquam dimittantur, à quibus Deus custodit, ne committantur. Testes sunt voces piarum deprecationum in Scripturis sanctis, quibus ostenditur, ea ipsa, quæ præcipiuntur à Deo, non fieri, nisi dante atque adjuvante, qui præcipit. Mendaciter enim petuntur, si ea, non adjuvante ejus gratiâ, facere possemus.

Cap. 50. *n.* 50. Sed quoniam etiam satagentibus vigilantibusque ne peccent, subrepunt quodammodo ex humanâ fragilitate peccata, quamvis parva, quamvis pauca, non tamen nulla ; eadem ipsa fiunt magna et gravia, si eis superbia incrementum et pondus adjecerit : à Sacerdote autem, quem habemus in cœlis, si piâ humilitate perimantur, totâ facilitate purgantur.

Concil. Trident. *Sess.* 6. *de Justif. cap.* 9. Quamvis autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa unquam fuisse peccata, nisi gratis divinâ misericordiâ propter Christum, nemini tamen fiduciam et certitudinem remissionis peccatorum suorum jactanti, et in eâ solâ quiescenti, peccata dimitti vel dimissa esse dicendum est.... Nam sicut nemo priùs de Dei misericordiâ, de Christi merito, deque sacramentorum virtute et efficaciâ dubitare debet ; sic quilibet, dùm se ipsum, suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de suâ gratiâ formidare, et timere potest : cùm nullus scire valeat, certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecuturum.

Opere peccatur, cùm actio mala exteriùs committitur. Hæc per se patent.

I. Quæ sunt peccata spiritualia, quæ carnalia ?

R. Peccata spiritualia ea sunt, quæ solo spiritu perficiuntur, qualia sunt superbia, invidia, desidia.

Carnalia ea sunt, quæ carne consummantur, qualia sunt gula, luxuria.

Apostolus tamen invidiam ponit inter opera carnis, quamvis ea videatur ad solam mentem pertinere. (A) Sed eò loci Apostolus nomine carnis ipsam concupiscentiam intelligit : quo sensu nullum est peccatum spirituale, quod non pertineat ad opera carnis. (1. *Tim.* VI. 10.) *Omnium* enim malorum seu peccatorum *radix cupiditas*, seu concupiscentia.

I. Quæ sunt peccata, quæ vel Deum, vel ipsum peccantem, vel proximum lædunt ?

R. Absolutè loquendo, nullum est peccatum, quo Deus et peccans ipse non lædatur : Deus quidem, quia peccatum quodlibet est transgressio legis Dei : peccans autem, quia peccatum quodlibet peccanti nocet.

Solemnis tamen est et jure quidem recepta apud omnes Theologos, ea peccatorum divisio, quâ peccata dicuntur alia in Deum, alia in proximum, alia in peccantem ipsum commissa.

Peccata in Deum ea sunt, quibus directè et immediatè Dei majestas offenditur : qualia sunt blasphemia, sacrilegium, infidelitas, idololatria, etc.

Peccata in proximum ea sunt, quibus violatur ordo servandus erga proximos, sive superiores, sive inferiores : qualia sunt furtum, falsum testimonium, adulterium, homicidium, etc.

Peccata in se ipsum ea sunt, quibus violatur ordo, quem unus quisque debet erga seipsum servare. Qualia sunt gula, luxuria, etc.

Triplex hoc peccati genus innuit Apostolus his verbis : (*Tit.* II. 12.) *Sobriè*, *justè et piè vivamus in hoc seculo. Sobriè*, ne peccemus in nos ipsos ; *justè*, ne peccemus in proximum ; *piè*, ne peccemus in Deum. (B)

(A) GALAT. V. 19. Manifesta sunt autem opera carnis : quæ sunt fornicatio,.... 21. invidiæ,.... et his similia.

(B) S. FULGENTIUS *lib.* 1. *de Remissione peccatorum*, *c.* 28. *ad Euthymium*. Illorum est igitur spes beata, illorum exspectatio certa, illorum felicitas futura, qui abnegantes impietatem, et secularia desideria, sobriè et justè et piè vixerint in hoc seculo. Sobrietas itaque et justitia et pietas debent à Christianis intentissimè custodiri. Sobrietatem autem custodit quisquis mores suos vitamque componit : et ille justè vivit, qui proximo nec mali aliquid ingerit, et, in quantum potest, adjutorium bonæ operationis impendit. Ille etiam piè vivit, qui perversum aliquid nec credit de Deo, nec dicit. Quisquis ergo vult ad regnum pervenire cœlorum, vivat sobrius in semetipso, justitiam servet in proximo, pius perseveret in Deo.

GAUFRIDI Abbatis *Declamationes ex* BERNARDO, *c.* 38. *n.* 47. *tom.* 2. *edit. Mabillonii*, *pag.* 302. Sobrietas voluptatem carnis impugnat, justitia seculi vanitatem ; dum videlicet cuique reddens quod suum est, et adu-

I. Quænam sunt peccata infirmitatis ?

R. Peccata infirmitatis ea sunt, quæ ex fragilitate naturæ committuntur, verbi gratiâ, ex metu, concupiscentiâ, irâ vel aliâ perturbatione animi, vel ex pravo habitu. (C)

I. Quænam sunt peccata ignorantiæ ?

R. Peccata ignorantiæ ea sunt, quæ ex ignoratâ lege Dei committuntur ab eo, qui legem scire potuit et debuit.

Hinc celebris apud Theologos divisio ignorantiæ in eam, quæ dicitur vincibilis, et eam, quæ dicitur invincibilis. Vincibilis ea est, quæ superari potest, et quæ proindè non excusat à peccato, in iis quæ scire debuimus.

Invincibilis ea est, quæ nullatenùs superari potest, et quæ proindè non excusat à peccato. (D)

lantem deplorat, et compatitur irascenti. Denique et ipse Salvator, dum Baptistæ manibus celsum illum verticem inclinaret, *Sic*, inquit (*Matth.* III. 15.) *decet nos implere omnem justitiam* ; solam nimirùm humilitatem justitiam reputans. Exhibeatur ergo sobrietas nobis, justitia proximo, pietas Deo. Pietas enim cultus Dei est.

(C) S. Aug. *Serm.* 30. *de verbis Psalm.* 118. *et Apost. c.* 5. *n.* 6. Si ergo (*Gal.* V. 17.) concupiscit caro adversùs spiritum, ut in hoc ipso, non quod vis, agas, quia vis ut non concupiscat, et non potes : tene saltem in gratia Domini voluntatem, et in ejus adjutorio persevera : dic ei quod cantasti (*Ps.* CXVIII.), *Gressus meos dirige secundùm verbum tuum, et ne dominetur mihi omnis iniquitas.* Quid est, *Ne dominetur mihi omnis iniquitas* ? Audi Apostolum (*Rom.* VI. 12.) : Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Quid est, non regnet ? Ad obediendum desideriis ejus. Non dixit : Noli habere desideria mala. Quomodo enim in hac carne mortali, ubi caro concupiscit adversùs spiritum, et spiritus adversùs carnem, non habeo desideria mala ? Illud ergo fac, non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus. Et si sunt desideria, non eis obediatur, ne iniquitas dominetur.

Legendus S. Aug. *variis in locis suprà Cap.* 1. §. 1. *hujusce secundæ Partis, et* S. Greg. Magn. *Lib.* 15. *Moral. in Job. c.* 25. *ibid. litt.* (G)

(D) S. Hieron. *Lib.* 1. *Dialog. adversùs Pelagianos, edit. D. Martianay, pag.* 504. *tom.* 4. Ecclesia etiam ea, quæ per ignorantiam delinquimus, et solâ cogitatione peccamus, delicta esse fatetur : in tantum, ut hostias pro errore jubeat offerri, et Pontifex, qui pro cuncto populo deprecatur, antè pro se offerat victimas, qui certè nunquam pro aliis juberetur offerre, nisi justus ipse esset, nec rursùm pro se offerret, si peccato careret ignorantiæ.... Volunt enim eloquia Scripturarum etiam ignorantiam habere peccatum : undè et Job offert hostias pro filiis suis ; ne fortè per ignorantiam in cogitatione peccaverint.

S. Aug. *De Gratia et libero arbitrio, c.* 3. *n.* 5. *et Lib.* 3. *de Libero arbitrio, c.* 19. *n.* 53. *et* 54. *et* S. Greg. *Lib.* 15. *Moral. in Job. c.* 25. *Vide superiùs hocce Capite* §. 1. *litt.* (G)

S. Thomas 1. 2. *q.* 76. *art.* 2. *in conclus. Ignorantia quæ studio superari non potest, atque ob id invincibilis dici solet, nullum est peccatum : sed tantummodò vincibilis, si sit eorum quæ quis scire tenetur.... non illorum quæ scire non tenetur....*

In corp.... Undè omnes tenentur scire communiter ea, quæ sunt fidei, et universalia juris præcepta : singuli autem ea, quæ ad eorum statum vel officium spectant.... Manifestum est autem, quod quicunque negligit habere vel facere id, quod tenetur habere vel facere, peccat peccato omissionis ; undè propter negligentiam ignorantia eorum, quæ aliquis scire tenetur, est peccatum ; non autem imputatur homini ad negligentiam, si nesciat ea, quæ scire non potest : undè horum ignorantia dicitur : quia studio superari non potest, et propter hoc talis ignorantia, cùm non sit voluntaria, eò quòd non est in potestate nostrâ eam repellere, non est peccatum. Ex quo patet, quòd nulla ignorantia invin-

Quænam autem illa sint, quorum ignorantia vincibilis est vel invincibilis, variè disputatur apud Theologos, quorum hìc referre controversias nostri non est instituti.

I. Quænam sunt peccata malitiæ ?

R. Ea sunt, quæ quis committit sciens et volens, nullà ad id impellente perturbatione animi. (E).

I. Ergo peccata malitiæ graviora sunt peccatis iis, quæ vel ex ignorantià, vel ex infirmitate committuntur ?

R. Graviora sunt ex se et naturà suà, si cætera sint paria ; sed ex adjunctis possunt fieri leviora. Quod ut intelligatur adverte, omne peccatorum genus esse vel peccatum malitiæ, vel peccatum infirmitatis, vel peccatum ignorantiæ. (F)

Possumus peccare contra Deum, vel contra proximum, vel contra nosmetipsos ex malitia, ex ignorantia, ex infirmitate.

Peccata sive spiritualia, sive carnalia committi possunt ex malitia, ex infirmitate, vel ex ignorantia.

Possumus vel corde, vel ore, vel opere peccare ex ignorantiâ, ex malitiâ, ex infirmitate.

Denique possumus peccare venialiter sicut et mortaliter ex malitià, vel ex infirmitate, vel ex ignorantia.

His positis, nemo non intelligit fieri posse ut quandoque peccatum ex malitiâ commissum levius sit peccato infirmitatis, si comparetur nimirùm peccatum veniale malitiæ cum peccato mortali infirmitatis. Imò et in genere peccati mortalis gravius esse potest peccatum infirmitatis peccato malitiæ. Si quis, verbi gratiâ, ex pura malitia furetur diviti centum aureos, peccat mortaliter ; sed leviùs tamen peccat, quàm si ex infirmitate et impotentiâ cupiditatis adulterium committeret cum uxore illius divitis, vel si filiæ ejus virgini stuprum inferret.

cibilis est peccatum, ignorantia autem vincibilis est peccatum, si sit eorum, quæ aliquis scire tenetur : non autem si sit eorum, quæ quis scire non tenetur....

Ad secundum dicendum, quòd privatio gratiæ, etsi secundùm se non sit peccatum, tamen ratione negligentiæ præparandi se ad gratiam potest habere rationem peccati.

(E) S. Aug. *Confess. lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 9. Ego furtum facere volui et feci, nullà compulsus egestate nec penuriâ, sed fastidio justitiæ, et sagina iniquitatis. Nam id furatus sum, quod mihi abundabat, et multò meliùs. Nec eâ re volebam frui, quam furto appetebam ; sed ipso furto et peccato.... Dicat tibi nunc ecce cor meum, quid ibi quærebat ; ut essem gratis malus, et malitiæ meæ causa nulla esset nisi malitia. Fœda erat, et amavi eam ; amavi perire ; amavi defectum meum : non illud, ad quod deficiebam, sed defectum meum ipsum amavi.

(F) S. Greg. Magn. *Lib.* 6. *in* 1. *Regum*, *cap.* 15, *pag.* 557. Studio autem et voluntate peccare magna prævaricatio est : infirmitate verò peccare, tantò tolerabilius est, quantò is, qui peccato subjacet, ejusdem peccati viribus impar est.

Lib. 15. *Moral in Job. cap.* 25. *Vide suprà* §. 1. *hujusce Cap. litt.* (G)

Lib. 31. *cap.* 8. Aliud est infirmitate, aliud malitiâ peccare.

Epist. lib. 1. *epist.* 16. Minoris excessus est veritatem non cognoscere, quàm in eadem cognita non manere. Aliudque est quod ab errante committitur, aliud quod per scientiam perpetratur.

Ergo dum dicuntur peccata malitiæ graviora peccatis infirmitatis aut ignorantiæ, intellige id solùm, si aliundè cætera sint paria, adeò ut in eodem genere gravitatis unum hoc discrimen intercedat, quòd hinc malitia, indè infirmitas causa peccati fuerint.

I. Quid intelligis per septem peccata capitalia?

R. Intelligo capita septem, ad quæ reduci solent cætera peccata omnia, quæ possunt ab homine perpetrari.

I. Quænam illa sunt?

R. Superbia, avaritia, luxuria, gula, invidia, ira, pigritia, quam Theologi vulgò acediam vocant. (G) Ex his, velut

(G) S. Greg. Magn. *Lib. 3. Moral. in Job. c. 17. paulò ante finem.* Quia.... plerumque ex bonis per incuriæ vitium mala nascuntur : vigilanti studio contemplatur (*justus*) quomodò ex doctrina, arrogantia; ex justitia, crudelitas; ex pietate, remissio; ex zelo, ira; ex mansuetudine, torpor oriatur.... Nam cùm adipiscendis doctrinæ studiis elaborat, mentem sollicitè contra certamen arrogantiæ præparat. Cùm culpas delinquentium justè ulcisci desiderat, sagacissimè evitat ne modum justitiæ crudelitas vindictæ transcendat;.... cùm se recti zeli stimulis excitat, summopere providet ne plus quàm necesse est, iræ se flammà succendat. Cùm magnà mansuetudinis tranquillitate se temperat, vigilanter observat, ne torpore frigescat.... Neque enim culpæ omnes pari recessu cor occupant. Sed dum majores et paucæ neglectam mentem præveniunt, minores et innumeræ ad illam se catervatim fundunt. Ipsa namque vitiorum regina superbia cùm devictum plenè cor ceperit, mox illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis ducibus devastandum tradit. Quos videlicet duces exercitus sequitur : quia ex eis proculdubio importunæ vitiorum multitudines oriuntur.... Radix cuncti mali superbia est, de qua Scripturà attestante, dicitur : *Initium omnis peccati est superbia* (*Eccli.* x. 15.) Primæ autem ejus soboles, septem nimirùm principalia vitia, de hac virulenta radice proferuntur : scilicet inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria.... Nam de inani gloria, inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinaciæ, discordiæ, et novitatum præsumptiones oriuntur. De invidia, odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, afflictio autem in prosperis nascitur. De ira, rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ proferuntur. De tristitia, malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis circa illicita nascitur. De avaritia, proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentiæ, et contra misericordiam obdurationes cordis oriuntur. De ventris ingluvie, inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensûs circa intelligentiam propagantur. De luxuria, cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis seculi, horror autem vel desperatio futuri generantur.... Ex quibus videlicet septem, quinque spiritalia, duoque carnalia sunt. Sed unumquodque eorum tantà sibi cognatione jungitur, ut nonnisi unum de altero proferatur. Prima namque superbiæ soboles, inanis est gloria, quæ dum oppressam mentem corruperit, mox invidiam gignit, quia nimirùm, dùm vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipisci valeat, tabescit. Invidia quoque iram generat; quia quantò interno livoris vulnere animus sauciatur, tantò etiam mansuetudo tranquillitatis amittitur.... Ex ira quoque tristitia oritur : quia turbata mens quò se inordinatè concutit, eò addicendo confundit.... Tristitia quoque ad avaritiam derivatur.... post hæc verò duo carnalia vitia, id est, ventris ingluvies, et luxuria supersunt, sed cunctis liquet quòd de ventris ingluvie luxuria nascitur.

S. Thomas *prima secundæ quæst. octogesima quarta artic. quarto in corp.* Vitia capitalia dicuntur, ex quibus alia oriuntur, præcipuè secundùm rationem causæ finalis. Hujusmodi autem origo potest attendi

ex fonte, manant cætera peccata omnia. Hinc capitalia dicuntur.

I. Peccata capitalia suntne omnia mortalia ?

R. Aliquando mortalia, aliquando venialia sunt : seu, quod idem est, vel mortaliter, vel venialiter peccari potest per superbiam, avaritiam, luxuriam, et cætera peccata capitalia.

Peccatur per ea mortaliter, quando peccatur in re gravi et cum pleno voluntatis consensu. Peccatur per ea venialiter, cùm peccatur in re levi, vel cum imperfecto voluntatis consensu. (H).

I. Cur ergo peccata capitalia vulgò mortalia dicuntur ?

R. Sic vulgus imperitum loquitur, sed parùm accuratè.

dupliciter. Uno quidem modo secundùm conditionem peccantis, qui sic dispositus est, ut maximè afficiatur ad unum finem, ex quo ut plurimùm in alia peccata procedat ; sed iste modus originis sub arte cadere non potest, eò quòd infinitæ sunt particulares hominum dispositiones. Alio modo secundùm naturalem habitudinem ipsorum finium ad invicem ; et secundùm hoc in pluribus unum vitium ex alio oritur, undè iste modus originis sub arte cadere potest. Secundùm hoc illa vitia capitalia dicuntur, quorum fines habent quasdam primarias rationes movendi appetitum, et secundùm harum rationum distinctionem distinguuntur capitalia vitia. Movet autem aliquid appetitum dupliciter. Uno modo directè et per se, et hoc modo bonum movet appetitum ad prosequendum, malum autem secundùm eamdem rationem ad fugiendum : alio modo indirectè et quasi per aliud ; sicut aliquis aliquod malum prosequitur propter aliquod bonum adjunctum, vel aliquod bonum fugit propter aliquod malum adjunctum. Bonum autem hominibus est triplex ; est enim primò quoddam bonum animæ ; quod scilicet ex sola apprehensione rationem appetibilitatis habet ; sicut excellentia laudis vel honoris, et hoc bonum inordinatè prosequitur inanis gloria. Aliud est bonum corporis ; et hoc vel pertinet ad conservationem individui, sicut cibus et potus ; et hoc bonum inordinatè prosequitur gula. Aut ad conservationem speciei, sicut coïtus, et ad hoc ordinatur luxuria. Tertium bonum est exterius, scilicet, divitiæ ; et ad hoc ordinatur avaritia. Et eadem quatuor vitia inordinatè fugiunt quatuor mala contraria. Vel aliter ; bonum movet præcipuè appetitum, ex hoc quòd participat aliquid de proprietate felicitatis, quam naturaliter omnes appetunt. De cujus ratione est, primò quædam profectio : felicitas est perfectum bonum, ad quod pertinet excellentia vel claritas ; quam appetit superbia vel inanis gloria. Secundò de ratione ejus est sufficientia ; quam appetit avaritia, in divitiis eam promittentibus. Tertiò est de conditione ejus delectatio ; sine qua felicitas esse non potest.... hanc appetunt gula et luxuria. Quòd autem aliquis bonum fugiat propter aliquod malum conjunctum, hoc contingit dupliciter : quia aut hoc est respectu boni proprii, et sic est accidia, quæ tristatur de bono spirituali propter laborem corporalem adjunctum. Aut est de bono alieno : et hoc si sit sine insurrectione, pertinet ad invidiam, quæ tristatur de bono alieno, in quantum est impeditivum propriæ excellentiæ. Aut est cum quadam insurrectione ad vindictam : et sic est ira. Et ad eadem vitia pertinet prosecutio mali oppositi.

(H) *Lege quæ superiùs diximus hujusce Capitis Paragrapho secundo* de Peccato mortali et veniali.

CAPUT SECUNDUM.

De Peccatis in specie.

§. 1. De Superbia.

I. Quid est Superbia ?

R. (*S. Aug. de Civitate Dei l.* 14. *c.* 13. *n.* 1.) *Superbia est perversæ celsitudinis appetitus. Perversa enim celsitudo est, deserto eo cui debet animus inhærere principio, sibi quodammodo fieri atque esse principium. Hoc fit, cùm sibi nimis placet. Sibi verò ita placet, cùm ab illo bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quàm ipse sibi.* (A).

I. Estne superbia grave peccatum ?

R. Est peccatorum omnium et primum, et gravissimum, et periculosissimum.

Primum. Quia *à superbia initium sumpsit omnis perditio*, inquit Tobias, IV. 14. Peccarunt enim Angeli et primi homines per superbiam. (B)

(A) ECCLI. X. 14. Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo. 15. Quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus. Quoniam initium omnis peccati est superbia.

S. AUG. *Epist.* 118. *aliàs* 56., *c.* 1. *n.* 6. *ad Dioscorum....* Non sit finis miseriæ, quandiù finis officiorum nostrorum in re instabili collocatur. In aliquo igitur firmo atque incommutabili bono te figere volumus constantissimæ intentionis domum, et securissimam requiem omnis bonæ atque honestæ actionis tuæ.... At mihi non videtur, atque omninò ipsa veritas negat, vel tantis ad se anfractibus, quæ tam proxima est, vel tantis sumptibus, quæ tam gratuita est, perveniri.

Cap. 2. *n.* 12. Nam cognitio veritatis, omnia falsa, si modò proferantur, etiam quæ priùs inaudita erant, et dijudicare et subvertere idonea est.

Cap. 3. *n.* 13. Summum id dicitur, quo cuncta referuntur : eo enim fruendo quisque beatus est.... Ibi requies appetendi, ibi fruendi securitas, ibi tranquillissimum gaudium optimæ voluntatis.

N. 14. Tam potenti enim naturâ Deus fecit animam, ut ex ejus plenissimâ beatitudine, quæ in fine temporum sanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quòd est corpus, non beatitudo, quæ fruentis et intelligentis est propria, sed plenitudo sanitatis, id est incorruptionis vigor.

N. 15. Cùm scipso sibi quasi suo bono animus gaudet, superbus est.

(B) ISAI. XIV. 12. Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui manè oriebaris ? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes ? 13. Qui dicebas in corde tuo : In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte Testamenti, in lateribus aquilonis. 14. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. 15. Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.

S. AUG. *Lib.* 12. *de Civit. Dei.*, *c.* 1. *n.* 2. Alii suâ potestate potiùs delectati, velut bonum suum sibi ipsi essent, à superiore communi omnium beatifico bono ad propria defluxerunt ; et habentes elationis fastum pro excelsissima æternitate, vanitatis astutiam pro certissima veritate, studia partium pro individua caritate, superbi, fallaces, invidi effecti sunt. Beatitudinis igitur illorum (Angelorum) causa est, adhærere Deo. Quocirca istorum (dæmonum) miseriæ causa ex contrario est intelligenda, quod est, non adhærere Deo. Quamobrem si, cùm quæritur, cur isti sint miseri, rectè respondetur, quia non adhærent Deo.

Maximum. Tum quia fons est et origo cæterorum omnium, tum quia nullum aliud est, quod Deo magis adversetur, ipsiusque supremum dominium lædat magis. (C)

Periculosissimum. Tum quia, (*S. Aug. Ep.* 211. *aliàs* 109. *ad Sanctimoniales. n.* 6.) *etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant.* Undè etiam (*Epist.* 118. *ad Dioscor. aliàs* 56. *n.* 22.) *in rectè factis timenda est, ne illa, quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur*, inquit S. Augustinus. (D)

Cap. 6. Cùm verò causa miseriæ Angelorum malorum quæritur, ea meritò occurrit, quòd ab illo, qui summè est, aversi, ad seipsos conversi sunt, qui non summè sunt : et hoc vitium quid aliud quàm superbia nuncupatur? *Initium* quippe *omnis peccati, superbia.* (*Eccli.* x. 15.) Noluerunt ergo ad illum custodire fortitudinem suam : et qui magis essent, si ei, qui summè est, adhærerent, se illi præferendo, id quod minus est, prætulerunt.

Lib. 14. *c.* 13. *n.* 1. *Vide suprà Responsione primâ hujusce paragraphi.*

S. Bernard. *In advent. Domini, serm.* 1. *n.* 3. Fugite superbiam, fratres mei, quæso, multùm fugite. Initium omnis peccati superbia : quæ tam velociter ipsum quoque sideribus cunctis clariùs micantem æternâ caligine obtenebravit Luciferum : quæ non modò Angelum, sed Angelorum primum in diabolum commutavit.

(C) Eccli. x. 14. *Vide supra litt.* (A) *hocce paragrapho.*

S. Aug. *Enarr.* 1. *in Psal.* xviii. *n.* 14. *Et mundabor à delicto magno :* quo alio, nisi superbiæ? Non enim est majus delictum, quàm apostatare à Deo, quod est initium superbiæ hominis. *Eccli.* x. 14.

Enarr. 2. *n.* 15. Delictum magnum arbitror esse superbiam.... Quæritis quàm magnum sit hoc delictum, quod dejecit Angelum, quod ex Angelo fecit diabolum, eique in æternum interclusit regnum cœlorum? Magnum hoc delictum est, et caput atque causa omnium delictorum. Scriptum est enim (*Eccli.* x. 15.), *Initium peccati omnis superbia*, et ne quasi leve aliquid contemnas, *initium*, inquit (*Ibid.* 14.), *superbiæ hominis apostatare à Deo.* Non leve malum est hoc vitium, fratres mei : Huic vitio in his personis, quas videtis amplas, displicet humilitas Christiana.... Ab hoc vitio, quod est caput omnium vitiorum, quia inde cætera vitia nata sunt, facta est apostasia à Deo, eunte animâ in tenebras, et malè utente libero arbitrio, peccatis etiam cæteris consecutis... Propter hoc vitium, propter hoc magnum superbiæ peccatum, Deus humilis venit. Hæc causa, hoc peccatum magnum, iste ingens morbus animarum, omnipotentem medicum de cœlo deduxit, usque ad formam servi humiliavit, contumeliis egit, ligno suspendit : ut per salutem tantæ medicinæ curetur hic tumor. Jam tandem erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis Deus.

S. Thom. 2. 2. *q.* 162. *art.* 6. *in c.* In peccato duo attenduntur, scilicet conversio ad commutabile bonum; quæ materialiter se habet in peccato; et aversio à bono incommutabili, quæ est formalis et completiva ratio peccati. Ex parte autem conversionis non habet superbia quòd sit maximum peccatorum : quia celsitudo, quam superbus inordinatè appetit, secundùm suam rationem non habet maximam repugnantiam ad bonum virtutis; sed ex parte aversionis superbia habet maximam gravitatem : quia in aliis peccatis homo à Deo avertitur, vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, sive propter desiderium cujuscunque alterius boni. Superbia habet aversionem à Deo ex hoc ipso quod non vult Deo, et ejus regulæ subjici. Undè Boëtius dicit, quod cùm omnia vitia fugiant à Deo, sola superbia se Deo opponit. Propter quod etiam specialiter dicitur *Deus superbis resistit* (*Jacob.* iv. 6).... Consequens est quòd superbia sit gravissimum peccatorum.

(D) S. Aug. *Epist.* 118. *aliàs* 56. *ad Dioscor. c.* 3. *n.* 22. Huic (Christo) te, mi Dioscore, ut totâ pietate subdas velim, nec aliam tibi ad capescendam, et obtinendam veritatem viam munias, quæ munita est ab illo, qui gressum nostrorum tanquam Deus vidit infirmitatem. Ea est autem

Tum quia illius peccati fontem et radicem in nobis ipsis habemus : nihilque vivit in nobis priùs et moritur tardiùs quàm superbia. (E)

prima humilitas, secunda humilitas, tertia humilitas, et quoties interrogares, hoc dicerem, non quòd alia non sint præcepta, quæ dicantur, sed nisi humilitas omnia quæcunque benefacimus et præcesserit et comitetur et consecuta fuerit, et proposita quam intueamur, et apposita cui adhæreamus, et imposita quâ reprimamur, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu superbia. Vitia quippè cætera in peccatis, superbia verò in rectè factis timenda est, ne illa, quæ laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.

Epist. 211. *aliàs* 109. *ad Sanctimoniales*, *n.* 6. Nec erigant (Sorores pauperes) cervicem, quia sociantur eis, ad quas foris accedere non audebant, sed sursùm cor habeant, et terrena bona non quærant, ne incipiant monasteria esse divitibus utilia, non pauperibus, si divites illic humiliantur, et pauperes illic inflantur. Sed rursùs etiam illæ, quæ aliquid esse videbantur in seculo, non habeant fastidio sorores suas, quæ ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt, magisque studeant non de parentum divitum dignitate, sed de pauperum sororum societate gloriari. Nec extollantur, si communi vitæ de suis facultatibus aliquid contulerunt : ne de suis divitiis magis superbiant, quia eas monasterio partiuntur, quàm si eis in seculo fruerentur. Alia quippè quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur ut fiant : superbia verò etiam bonis operibus insidiatur ut pereant : et quid prodest dispergere dando pauperibus et pauperem fieri, si anima misera superbior efficiatur contemnendo, quàm fuerat possidendo ?

De natura et gratia contra Pelagium, *c.* 27. *n.* 31. Cætera vitia tantùm in malefactis valent, sola autem superbia etiam in rectè factis cavenda est. Undè admonentur illi, (justi scilicet) nè dona Dei suæ potestati tribuendo, seseque extollendo graviùs pereant, quàm si nihil operarentur boni, quibus dicitur, *cum timore et tremore vestram* ipsorum *salutem operamini* : *Deus enim est, qui operatur in vobis et velle et operari, pro bonâ voluntate.* (*Philipp.* II. 12. 13.) Quare ergo cum timore et tremore, et non potiùs cum securitate, si Deus operatur ; nisi quia propter voluntatem nostram, sine qua benè non possumus operari, citò potest subrepere animo humano, ut quod benè operatur, suum tantummodò existimet et dicat in abundantia sua : *Non movebor in æternum.* (*Ps.* XXIX. 17.)

S. GREG. MAGN. *Lib.* 34. *Moral. in Job. c.* 18.... Se superbia intrinsecùs celat, sed ab ea protinùs aperta vitia pullulant.... Alia quippè vitia eas solummodo virtutes impetunt, quibus ipsa destruuntur : ut videlicet ira patientiam, gastrimargia abstinentiam, libido continentiam expugnet. Superbia autem, quam vitiorum radicem diximus, nequaquam unius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra se erigit, et quasi generalis ac pestifer morbus corpus omne corrumpit : ut quidquid illà invadente agitur, etiam si esse virtus ostenditur, non per hoc Deo, sed soli vanæ gloriæ serviatur.... Quia quò ampliùs res virtutis sine humilitate agitur, eò latiùs ista dominatur.... Quisquis verò ejus in se tyrannidem captivà mente susceperit, hoc primum damnum patitur, quod clauso cordis oculo, judicii æquitatem perdit. Nam cuncta, quæ ab aliis benè geruntur, displicent : et sola ei, quæ ipse vel pravè egerit, placent. Semper aliena opera despicit, semper miratur quæ ipse facit ; quia et quidquid egerit, egisse se singulariter credit, atque in eo, quod exhibet per gloriæ cupiditatem, sibimetipsi favet per cogitationem : et cùm se in cunctis transcendere cæteros æstimat per lata cogitationum spatia secum deambulans, laudes suas tacitus clamat... Elatio alios ex rebus secularibus, alios verò ex spiritalibus possidet. Aller namque intumescit auro, alter eloquio, alter infimis et terrenis rebus, aller summis cœlestibusque virtutibus.

S. THOM. 2. 2. *q.* 162. *art.* 6. *ad primum.* Difficile est vitare aliquod peccatum propter ejus latentiam ; et hoc modo superbiam difficile est vitare : quia etiam ex ipsis bonis occasionem sumit.

(E) S. AUG. *Serm.* 1. *in Ps.* XVIII. *n.* 14. Et verè ille immaculatus est,

Tum quia si fortè dominetur in homine superbia, signum est ut plurimùm reprobationis. (F)

I. Cur ais superbiam signum esse reprobationis ?

R. 1. Quia superbia specialis veluti caracter est reproborum. Omnes reprobi superbi sunt, ad exemplum diaboli, qui dicitur in Scripturis *rex super universos filios superbiæ.* (G)

2. Quia *Deus superbis resistit*, nec nisi *humilibus dat gratiam.*

I. Quænam sunt variæ superbiæ species ?

R. Quatuor vulgò recensentur.

1. Si quis in semetipso glorietur propter bona vel animæ, vel corporis, vel naturæ, vel gratiæ; contra id quod ait Apostolus; (1. *Cor.* IV. 7.) *Quid habes quod non accepisti : si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ?*

2. Si quis, quod sibi datum fuisse desuper fatetur, id putet propriis se accepisse meritis, aut sic se gerat quasi existimaret deberi sibi aliquid à Deo.

3. Si quis arroget sibi, quod non habet, illudque habere se mentiatur.

4. Si quis spernet cæteros. (H)

qui etiam hoc delicto caret : quia hoc est ultimum redeuntibus ad Deum, quod recedentibus primum fuit.

(F) S. GREGOR. MAGN. *Moral. in Job. Lib.* 34. *c.* 18. *in fine.* Quia igitur Redemptor noster corda regit humilium, et Leviathan iste Rex dicitur superborum, apertè cognoscimus, quòd evidentissimum reproborum signum superbia est, at contrà humilitas electorum. Cùm ergo quam quisque habeat, cognoscitur : sub quo Rege militet invenitur. Unusquisque enim quasi quemdam titulum portat operis ; quo facilè ostendat sub cujus serviat potestate rectoris. Undè et per Evangelium dicitur : *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* (*Matth.* VII. 16.) Ne igitur nos Leviathan istius membra vel mira faciendo fallerent, apertum signum Dominus, quo deprehendi valeant, demonstravit, dicens : *Ipse est Rex super universos filios superbiæ* (*Job.* XLI. 25.) : qui et si quando fictam speciem humilitatis assumunt, semetipsos tamen celare in omnibus nequaquam possunt : quia eorum superbia diù latere non sustinens, cùm ex alia tegitur, ex alia actione denudatur. Qui verò sub Rege humilitatis militant, semper pavidi, atque ex omni latere circumspecti, adversùm jacula elationis pugnant, et quasi contra venientes ictus solum magis in suo corpore oculum custodiunt, dùm in semetipsis principaliter humilitatem tuentur.

(G) S. GREGORIUS MAGN. *Moral. in Job. Lib.* 34. *cap.* 18. *in fine. Vide suprà litt.* (F) *hoc paragrapho.*

(H) S. AUG. *Lib.* 10. *Confess. c.* 39. *n.* 64. Etiam intùs est aliud in eodem genere tentationis malum, quo inanescunt, qui placent sibi de se, quamvis aliis vel non placeant, vel displiceant, nec placere affectent cæteris. Sed sibi placentes multum tibi displicent, non tantùm de non bonis quasi bonis, verùm etiam de bonis tuis quasi suis ; aut etiam sicut de tuis, sed tanquam ex meritis suis : aut etiam sicut ex tua gratia, non tamen socialiter gaudentes, sed aliis invidentes ea.

S. GREG. MAGN. *Lib.* 23. *Moral. in Job. c.* 4. Neque enim parva condemnatio est, ex eo bono, quod communiter datur, privatè gloriari : scire bonum undè acceperit, et nescire quomodo uti debeat quod accepit. *Quatuor* quippè sunt species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur : cùm bonum aut à semetipsis habere se æstimant ; aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant ; aut certè cùm jactant se habere quod non habent ; aut, despectis cæteris, singulariter videri appetunt habere quod habent. A semetipso enim bonum se habere jactabat, cui per Apostolum dicitur : *Quid autem habes quod non accepisti ?* Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis ?

Rursùm ne dari nobis bonum gratiæ pro nostris præcedentibus meritis crederemus, idem Apostolus admonet, dicens : *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, sed Dei donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ephes.* II. 8. *et* 9.... Rursùm nonnulli jactant se habere quod non habent, sicut divinà voce per Prophetam de Moab dicitur (*Jer.* XLVIII. 29.) : Superbiam ejus, et arrogantiam ejus ego novi, et quod non sit juxta eum virtus ejus. Et sicut Angelo Ecclesiæ Laodiceæ dicitur : *Quia dicis quòd dives sum, et locupletatus, et nullius egeo : et nescis quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus.* (*Apoc.* III. 17.) Rursùm nonnulli, despectis cæteris, videri appetunt singulariter bonum habere quod habent. Undè et pharisæus idcircò absque justificatione de templo descendit, quia bonorum operum meritum sibi quasi singulariter tribuens, oranti publicano se prætulit.... In hac itaque arrogantiæ *quarta* specie crebrò humanus animus labitur : ut id quod habet, habere se singulariter glorietur. In qua tamen similitudini diabolicæ vicinius appropinquat : quia quisquis bonum se habere singulariter gaudet, quisquis videri sublimior cæteris quærit, illum videlicet imitatur, qui despecto bono societatis Angelorum.... Altissimi similitudinem superbe appetens, per iniquum desiderium, quasi ad quoddam culmen conatus est singularitatis erumpere.

S. THOMAS *secunda secundæ quæst.* 162. *art.* 4. *in corp.* Superbia importat immoderatum excellentiæ appetitum.... Et ideò cùm aliquis attribuit sibi majus bonum quàm habeat, consequens est quòd ejus appetitus tendit in excellentiam propriam ultra modum sibi convenientem. Et sic est tertia species superbiæ, cùm scilicet aliquis jactat se habere quod non habet.... Et ideò, cùm aliquis æstimat bonum quod habet ab alio ac si haberet à seipso, fertur per consequens appetitus ejus in propriam excellentiam supra suum modum. Est autem dupliciter aliquis causa sui boni. Uno modo, efficienter. Alio modo, meritoriè. Et secundùm hoc sumuntur duæ primæ superbiæ species, scilicet cùm quis à semetipso habere æstimat quod à Deo habet, vel cùm propriis meritis sibi datum desuper credit.... *Quarta* superbiæ species, est cùm aliquis, despectis cæteris, singulariter vult videri.

Ad tertium dicendum, quòd ingratus est, qui sibi attribuit quod ab alio habet; undè duæ primæ superbiæ species ad ingratitudinem pertinent. Quòd autem aliquis se excuset de peccato quod habet, pertinet ad tertiam speciem : quia per hoc aliquis attribuit sibi bonum innocentiæ, quod non habet. Quòd autem aliquis præsumptuosè tendat in id, quod supra ipsum est, præcipue videtur ad quartam speciem pertinere, secundùm quam aliquis vult aliis præferri.

Ad quartum.... *Primus* gradus humilitatis est corde et corpore semper humilitatem ostendere, defixis in terram aspectibus, cui opponitur curiositas, per quam aliquis curiosè utiquè et inordinatè circumspicit. *Secundus* gradus humilitatis est, ut pauca verba et rationabilia loquatur aliquis, non clamosà voce, contra quem opponitur levitas mentis, per quam scilicet homo superbè se habet in verbo. *Tertius* gradus humilitatis est, ut non sit facilis, et promptus in risu : cui opponitur inepta lætitia. *Quartus* gradus humilitatis est taciturnitas usque ad interrogationem, cui opponitur jactantia. *Quintus* gradus humilitatis est, tenere quod communis regula monasterii habet; cui opponitur singularitas, per quam scilicet aliquis sanctior vult apparere. *Sextus* gradus humilitatis est credere et pronuntiare se omnibus viliorem; cui opponitur arrogantia, per quam scilicet homo se aliis præfert. *Septimus* gradus humilitatis est ad omnia inutilem et indignum se confiteri et credere; cui opponitur præsumptio, per quam scilicet aliquis reputat se sufficientem ad majora. *Octavus* gradus humilitatis est.... in duris et asperis patientiam amplecti; cui opponitur simulata confessio, per quam scilicet aliquis non vult subire pœnam pro peccatis, quæ simulatè confitetur. *Decimus* gradus humilitatis est obedientia; cui opponitur rebellio. *Undecimus* gradus humilitatis est, ut homo non delectetur facere propriam voluntatem; cui opponitur libertas, per quam scilicet homo delectatur liberè facere quod vult. Ultimus autem gradus humilitatis est timor Dei; cui opponitur peccandi consuetudo, quæ implicat Dei contemptum.

I. Quænam peccata prodeunt à superbia, velut à radice ?

R. Jam diximus omnia omninò peccata à superbia ortum habere : sunt tamen aliqua, quæ ab ea, velut à radice, specialiùs prodeunt.

1. Inanis gloria. (I)

2. Inobedientia. (K)

3. Jactantia. Si quis in proprias laudes tumidus erumpat, nullâ necessitate cogente. (L) Nam necessitas quandoque

(I) S. Aug. *Lib.* 10. *Confess. c.* 36. *n.* 59, Timeri et amari velle ab hominibus, non propter aliud, sed ut indè sit gaudium quod non est gaudium, misera vita est, et fœda jactantia.... Itaque nobis, quoniam propter quædam humanæ societatis officia necessarium est amari et timeri ab hominibus, instat adversarius veræ beatitudinis nostræ, ubique spargens in laqueis : Euge, euge : ut dùm avidè colligimus, incautè capiamur, et à veritate tua gaudium nostrum deponamus, atque in hominum fallacia ponamus ; libeatque nos amari et timeri, non propter te, sed pro te.... Gloria nostra tu esto ; propter te amemur, et verbum tuum timeatur in nobis. Qui laudari vult ab hominibus, vituperante te, non defendetur ab hominibus, judicante te, nec eripietur, damnante te.

Lib. 5. *De Civit. Dei*, *c.* 14.... Saltem cupiditas gloriæ superetur dilectione justitiæ : .... ipse amor humanæ laudis erubescat, et cedat amori veritatis. Tam enim est hoc vitium inimicum piæ fidei, si major in corde sit cupiditas gloriæ quàm Dei timor vel amor, ut Dominus diceret, *Quomodo potestis credere, gloriam ab invicem exspectantes, et gloriam, quæ à solo Deo est, non quærentes.* (*Joan.* v. 44.)

(K) 1. Reg. xv. 22. Nunquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potiùs ut obediatur voci Domini ? Melior est enim obedientia quàm victimæ : et auscultare magis quàm offerre adipem arietum. 23. Quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare ; et quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Pro eo ergo quòd abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne sis rex.

Rom. i. 30. Deo odibiles superbos, elatos.... parentibus non obedientes. xiii. 2. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.

(L) Proverb. xxvii. 1. Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies. 2. Laudet te alienus, et non os tuum ; extraneus, et non labia tua.

S. Aug. *De Civit. Dei*, *lib.* 5. *cap.* 18. *n.* 2. Si Torquatus, filium, non quia contra patriam, sed etiam pro patria, tamen quia contra imperium suum, id est, contra quod imperaverat pater Imperator, ab hoste provocatus juvenili ardore pugnaverat, licèt vicisset, occidit ; ne plus mali esset in exemplo imperii contempti, quàm boni in gloria hostis occisi : ut quid se jactent, qui pro immortalis patriæ legibus omnia, quæ multò minùs quàm filii diliguntur, bona terrena contemnunt ? Si Furius Camillus etiam ingratam patriam, à cujus cervicibus acerrimorum hostium Veientium jugum depulerat, damnatusque ab æmulis fuerat, à Gallis iterum liberavit, quia non habebat potiorem, ubi posset vivere gloriosus ; cur extollatur, velut grande aliquid fecerit, qui forlè in Ecclesia ab inimicis carnalibus gravissimam exhonorationis passus injuriam, non se ad ejus hostes Hæreticos transtulit, aut aliquam contra illam hæresim condidit, sed eam potiùs, quantum valuit, ab Hæreticorum perniciosissima pravitate defendit ; cùm alia non sit, non ubi vivatur in hominum gloria, sed ubi vita acquiratur æterna ?.... Quomodo autem se audebit extollere de voluntaria paupertate Christianus, ut in hujus vitæ peregrinatione expeditior ambulet viam, quæ perducit ad patriam, ubi veræ divitiæ ipse Deus est, cùm audiat vel legat L. Valerium, qui in suo defunctus est Consulatu, usque adeò fuisse pauperem, ut nummis à populo collatis ejus sepultura curaretur ?.... Aut quid se magnum fecisse prædicabit, quòd nullo præmio mundi hujus fuerit ab æternæ illius patriæ societate seductus, cùm Fabricium didicerit tantis muneribus Pyrrhi Regis Epirotarum, promissâ etiam quarta parte Regni, à Ro-

urget laudare et extollere semetipsum, quod et fecit Apostolus. (M)

mana civitate non potuisse divelli, ibique in sua paupertate privatum manere maluisse....

N. 3. Si virtutes, quarum istæ utcunque sunt similes, quas isti pro civitatis terrenæ gloria tenuerunt, pro Dei gloriosissima civitate non tenuerimus, pudore pungamur; si tenuerimus, superbiâ non extollamur.

(M) 2. Cor. XII. 1. Si gloriari oportet (non expedit quidem :) veniam autem ad visiones et revelationes Domini. 2. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, (sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit,) raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum. 3. Et scio hujusmodi hominem, (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit :) 4. Quoniam raptus est in paradisum : et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. 5. Pro hujusmodi gloriabor : pro me autem nihil gloriabor nisi in infirmitatibus meis. 6. Nam, et si voluero gloriari, non ero insipiens : veritatem autem dicam : parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me.... 9.... Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. 10. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis.... 11. Factus sum insipiens, vos me coegistis. Ego enim à vobis debui commendari : nihil enim minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli : tametsi nihil sum : 12. Signa tamen Apostolatûs mei facta sunt super vos, in omni patientiâ, in signis, et prodigiis, et virtutibus.

S. Chrysost. *Homil.* 5. *de laudibus S. Pauli.* Cùm videris eum magna de seipso sonantem, similiter admireris, ac si illum videas semetipsum depreciantem : ut enim illud humilitatis, ita et illud magnanimitatis est. Quando enim gloriantem videris, admirare : sed similiter lauda, cùm illum vides humilia de se et contemptibilia dicentem. Nam et hoc est animi arrogantiâ vacui, et illud dilectione et humanitate pleni : in dispensationem si quidem multorum salutis ista faciebat.... Neque alius quisquam tantas, non dico occasiones, sed prorsùs necessitates habuit arrogantiæ, neque tamen ullus aliter ita se mundè ab omni jactantiâ subduxit. Hæc itaque animo attentiore considera.... Nihil enim otiosè ille faciebat, sed omnia cum causa justa, probabilique ratione. Hæc autem tam opportunè aptèque faciebat, ut magis mereretur loquendo de se, quàm tacendo, laudari. Qui nisi fecisset istud, culpabilior esset illis, qui scipsos importunè laudare didicerunt : et nisi etiam gloriatus fuisset, creditos sibi perdidisset, omnesque res inimicorum, dùm se humiliat, extulisset. Sic noverat utrumque temperare, et cum recto consilio atque sententia ea, quæ videntur reprobanda, perficere tam utiliter et commodè, ut non minùs de illis placeret, quàm cùm imperata compleret. Ampliùs enim tunc Paulus placuit gloriando, quàm alter laudes proprias occultando : nec tantùm quisquam profuit cùm sua merita celaret, quantùm iste cùm proderet. Sed hoc quoque est multò admirabilius, quia de se non modò locutus, verùm etiam quantûm oportuit, est locutus. Non enim quasi maximam licentiam de opportunitate nactus immoderatiùs laudibus suis usus est : sed considèratissimè quousque cum progredi liceret, agnovit. Neque tamen istud sufficere sibi credidit, sed ne alios hoc sermone vetaret, idque efficeret ut semetipsos inaniter prædicarent : libenter se etiam insipientem vocavit, quanquam, certè invitante causâ, de propriâ aliquid laude perstrinxerit.... Vide quantâ procuratione usus sit, qui cùm gloriaturus esset, non semel, non secundò, sed sæpiùs differendo atque cunctando dicebat : *Utinam sustineritis modicum quid insipientiæ meæ* (2. *Cor.* XI. 1.); et rursùs : *Quod loquor, non loquor secundùm Deum, sed in insipientiâ.* (*Ibid.* 17.).... Quis ergo tam stultus, quis ita inveniatur omni sensu atque ratione privatus, qui videns sanctum illum, etiam cùm tanta ei necessitas immineret, cunctantem tamen, atque metuentem, grande aliquid de seipso loqui.... Quis, inquam, sic sit insipiens, qui non etiam majore abundantiâ cautionis laudes suas fugiat. Et tunc fortè solùm de illis aliquid attingat, quando id opportunissimum tempus exegerit.... Grande malum est, dilectissimi, de seipso aliquid grande dicere atque mirabile, extremæque

4. Hypocrisis, quam toties Christus insectatus est. (N)

omninò dementiæ est, nullâ imminente necessitate rerum, et necessitate violentâ, propriis laudibus velle decorari : non est enim hoc secundùm Deum loqui ; indicium potiùs est istud insaniæ. Hoc enim nobis omnem prorsùs mercedem evacuat, et quidem plurimis laboribus sudoribusque quæsitam.... Necessitate cogente, non universa fudit in medium, sed plura etiam et majora celavit. Venio, inquit, ad visiones et revelationes Dei : parco autem,.... ne quis de me existimet super id quod videt vel audit aliquid ex me. Hoc verò dicendo nos erudit, ut ne existente quidem necessitate, omnia, quorum nobis conscii sumus, in medium proferendo vulgemus, sed ea solùm, quæ audientibus utilia judicamus :.... Etenim altiùs de se efferre sermonem, gloriosi est, et insolenter sese jactantis : dicere autem illa, quæ præsenti causæ tantummodò necessaria sunt futura, amantis est multorumque commoda cogitantis... Videsne igitur per quanta docuerit auditorem non inaniter gloriari ? Primò quidem dùm ostendit se, istud adactum necessitate fecisse. Secundò, dùm tamen se insipientem vocavit, et plurimis laudes suas satisfactionibus temperavit. Tertiò, quia non cuncta confessus est, sed majora suppressit, et hoc certè cùm necessitate quâdam in sua præconia cogeretur. Quartò, dùm sub alterius persona dixit : Scio hominem. Quintò, cùm non omnes virtutes suas adduxit in medium, sed eam partem, quam præsens tempus maximè flagitabat....

(N) Matth. VI. 1. Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis : alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est. 2. Cùm ergo facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in Synagogis, et in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.... 5. Et cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in Synagogis et angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus : amen dico vobis, receperunt mercedem suam.... 16. Cùm autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes : exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

XXIII. 5. Omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus, etc. *Ibid.* 27. Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intùs verò plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitiâ. 28. Sic et vos à foris quidem paretis hominibus justi : intùs autem pleni estis hypocrisi et iniquitate. *Lege caput integrum.*

Luc. XII. 1.... Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.

S. Chrysost. *Homil.* 19. *in Matth.* c. 6.... Cùm verò dixisset (*Dominus*) *ne faciatis* (*eleemosynam*) *coram hominibus :* adjecit, *ut videamini ab eis.* Multamque præceptum hoc continet cautionem, et ineffabilem quamdam Dei erga homines curam, et parcimoniam. Potest enim aliquis etiam coram hominibus eleemosynam facere, nec tamen hoc ideò facere, ut eam oculis hominum ostentet ; et aliquis non coram hominibus faciens, eo tamen animo facere, ut sese id facientem optet videri, propter quod non omninò indiscretè factum ipsum, sed voluntatem aut coronat, aut punit : nisi enim hæc diligentia fuisset adjuncta, fecisset plurimos ad misericordiam segniores ; quia scilicet non omnes ubique possent per cuncta id facere latenter. Protecà ab hujus te vinculo necessitatis absolvens, non fine operis, sed voluntate operantis mercedem, damnumque definit. Postquam igitur edixit, ne quid ad ostentationem fiat, quantumque id damnum inferret, edocuit,.... *Non habebitis*, inquit (*Matth.* VI. 1.) *mercedem apud Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Verùm ne hic quidem stare contentus est, sed ad ulteriora progreditur, aliisque rursùs modis plurimùm eos ab inani glorià dehortatur.... *Cùm*, inquit (*Ibid.* 2.) *facis eleemosynam, noli tubâ canere ante te, sicut hypocritæ faciunt....* Et bene nominavit hypocritas, erat quippè larva ipsa eleemosynæ, mens verò inhumanitatis atque crudelitatis. Non enim, ut proximorum miserentur, dabant, sed ut ipsi delectatione gloriæ pascerentur : quod certè erat crudelitatis extremæ, alio quidem fame pereunte, honorem et gloriam captare, ac non potiùs consulere ejus inopiæ, etc.

5. Contentio, si veritate, charitate, necessitate destituatur. (O)

6. Pertinacia in propria sententia, si hæc veritati et justitiæ repugnet. (P)

S. Aug. *De Serm. Dom. in monte, lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 5. Noli sic velle innotescere, ut hypocritæ. Manifestum est autem, hypocritas non quod oculis prætendunt hominum, id etiam corde gestare. Sunt enim hypocritæ simulatores, tanquam pronuntiatores personarum alienarum, sicut in theatricis fabulis.... Sic in Ecclesia, vel in omni vitâ humanâ, quisquis se vult videri quod non est, hypocrita est. Simulat enim justum, non exhibet; quia totum fructum in laude hominum ponit, quam possunt etiam simulantes percipere, dùm fallunt eos, quibus videntur boni, ab eisque laudantur. Sed tales ab inspectore cordis Deo mercedem non accipiunt, nisi fallaciæ supplicium: *Ab hominibus* autem, inquit (*Matth.* VI. 2.), *perceperunt mercedem suam:....* Qui non ob aliud eleemosynam faciunt, nisi ut glorificentur ab hominibus; non si glorificentur ab hominibus, sed si ideò faciant, ut glorificentur... Laus enim humana non appeti à rectè faciente, sed subsequi debet rectè facientem; ut illi proficiant, qui etiam imitari possunt quod laudant, non ut hic putet aliquid eos sibi prodesse, quem laudant.

(O) 1. Timoth. VI. 4. Superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones et pugnas verborum: ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ. 5. Conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem. 6. Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia.

Jacob. III. 14. Quod si zelum amarum habetis, et contentiones sint in cordibus vestris: nolite gloriari, et mendaces esse adversùs veritatem.

S. Aug. *Confess. lib.* 12. *cap.* 25. *n.* 34. Cùm verò dicit, inquit, non hoc ille sensit quod tu dicis, sed quod ego dico; neque tamen negat quod uterque nostrùm dicit, utrumque verum esse. O vita pauperum Deus meus, in cujus sinu non est contradictio, plue mihi mitigationes in cor, ut patienter tales feram qui non mihi hoc dicunt, quia divini sunt, et in corde famuli tui viderunt quod dicunt, sed quia superbi sunt, nec noverunt Moysi sententiam, sed amant suam, non quia vera est, sed quia sua est. Alioquin et aliam veram pariter amarent, sicut ego amo quod dicunt, quandò verum dicunt; non quia ipsorum est, sed quia verum est; et ideò jam nec ipsorum est, quia verum est, jam et ipsorum est et meum est: quoniam in commune omnium est veritatis amatorum. Illud autem quod contendunt non hoc sensisse Moysen, quod ego dico, sed quod ipsi dicunt, nolo, non amo: quia et si ita est, tamen ista temeritas non scientiæ, sed audaciæ est, nec visus, sed typhus eam peperit.

(P) S. Aug. *Epist.* 143. *aliàs* 7. *ad Marcellinum*, *n.* 2.... Nimis perverè seipsum amat, qui et alios vult errare, ut error suus lateat. Quantò enim melius et utilius, ut ubi ipse erravit, alii non errent, quorum admonitu errore careat: quod si noluerit, saltem comites erroris non habeat.

N. 3. Romani maximus auctor Tullius eloquii, *Nullum unquam verbum*, inquit de quodam, *quod revocare vellet, emisit.* Quæ quidem laus, quamvis præclarissima videatur, tamen credibilior est de nimiùm fatuo, quàm de sapiente perfecto. Nam et illi quos vulgò moriones vocant, quantò magis à sensu communi dissonant, magisque absurdi et insulsi sunt, tantò magis nullum verbum emittunt, quod revocare velint: quia dicti mali, vel stulti, vel incommodi pœnitere, utique cordatorum est.... Illius quippè scripta summâ sunt auctoritate dignissima, qui nullum verbum, non quod revocare vellet, sed quod revocare deberet, emisit. Hoc quisquis nondùm est assequutus, secundas habeat partes modestiæ, quia primas non potuit habere sapientiæ: quia non valuit omnia non pœnitenda diligenter dixisse, pœniteat quæ cognoverit dicenda non fuisse.

7. Discordiæ, dissensiones, æmulationes, iræ, rixæ. (Q)
8. Præsumptio novitatum in rebus, quæ ad fidem vel ad mores pertinent. (R)

(Q) GALAT. v. 20. Inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ.

S. AUG. *de utilitate Jejunii*, *c.* 8. *n.* 10. Gaudeamus de illis (Paganis,) quia veniunt ad unitatem, non ad divisionem.... Concordemus, fratres, colentes unum Deum, ut et illos deserere multos Deos exhortemur quodammodo nostrâ concordiâ, ut ad pacem et ad unitatem veniant colendi unum Deum. Sentit (*diabolus*) esse vitam nostram charitatem, mortem nostram dissensionem : lites immisit inter Christianos, quia multos Deos non potuit fabricare Christianis : sectas multiplicavit, errores seminavit, hæreses instituit.

Serm. 49. *aliàs de temp.* 237. *c.* 6. *n.* 6.... Permane amicus esse amborum. Qui discordant inter se, concordent per te. Mala, si quæ audis ab altero de altero, noli prodere alteri.... Audisti ab irato verbum, à dolente, à succensente : moriatur in te ... Nolite amare vitia amicorum vestrorum, si amatis amicos vestros.

Cap. 7. *n.* 7.... Odi vitia mea, cor sanandum offero medico meo. Persequor ea, quantùm possum, gemo de illis, confiteor quia sunt in me, et ecce ego accuso me.... Ira, festuca est : odium, trabes est. Sed nutris festucam, et fit trabes : ira inveterata fit odium, festuca nutrita fit trabes. Ut ergo festuca non fiat trabes, non occidat sol super iracundiam vestram.... Eam (*iram*) in te ipso excoluisti, falsis suspicionibus irrigasti, verba adulantium et ad te mala verba de amico deferentium credendo, nutristi.... Discite ergo justitiam, ut non oderitis nisi vitia, homines ametis....

Serm. 359. *aliàs de diversis* 91. *et ex Sirmondianis* 37. *n.* 1.... Quis est enim qui non congaudet concordibus fratribus? et quod dolendum in rebus humanis tam magna res rara est : res ab omnibus laudatur, à paucissimis custoditur. Beati qui in seipsis amplectuntur, quod etiam in aliis laudare cogantur.

N. 2. Fratres ergo si volunt esse concordes, non ament terram. Sed si volunt non amare terram, non sint terra. Quærant possessionem, quæ dividi non potest, et semper concordes erunt.... Quid tam iniquum, quàm velle ditescere alterius paupertate?

(R) 1. TIMOTH. VI. 20. O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ. 21. Quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.

VINCENTIUS LIRINENSIS *Commonitorio* 1. *c.* 27.... *O Timothee, depositum custodi.* Prævidebat futuros, quos etiam prædolebat errores. Quis est hodie *Timotheus*, nisi vel generaliter universa Ecclesia, vel specialiter totum corpus Præpositorum, qui integram divini cultûs scientiam vel habere ipsi debent, vel aliis infundere? Quid est *depositum custodi*? Custodi, inquit, propter fures, propter inimicos, ne dormientibus hominibus, superseminent zizania super illud tritici bonum semen, quod seminaverat Filius hominis in agro suo. *Depositum*, inquit, *custodi.* Quid est *depositum?* Id est, quod tibi creditum est, non quod à te inventum : quod accepisti, non quod excogitasti : rem non ingenii, sed doctrinæ : non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis; rem ad te perductam, non à te prolatam; in quâ non auctor esse debes, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens.... Catholicæ fidei talentum inviolatum, illibatumque conserva. Quod tibi creditum est, hoc penes te maneat, hoc à te tradatur. Aurum accepisti, aurum redde :.... Noto auri speciem, sed naturam planè. O Timothee, ô Sacerdos, ô Tractator, ô Doctor, si te divinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrinâ esto spiritalis tabernaculi Beseleel, pretiosas divini dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna sapienter, adjice splendorem, gratiam, venustatem. Intelligatur te exponente illustrius, quod anteà obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod antè vetustas non intellectum venerabatur : eadem tamen, quæ didicisti, doce, ut cùm dicas novè, non dicas nova.

S. Aug. *Epist.* 54. *aliàs* 118. *ad Januarium, lib.* 1. *c.* 1. *n.* 1. Primò itaque tenere te volo.... Dominum nostrum Jesum Christum, sicut ipse in Evangelio loquitur, leni jugo suo nos subdidisse et sarcinæ levi : undè sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit, sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio Corporis et Sanguinis ipsius, et si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur :.... Illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicuti quod Domini passio et resurrectio et ascensio in cœlum, et adventus de cœlo Spiritûs sancti, anniversariâ solemnitate celebrantur, et si quid aliud tale occurrit, quod servatur ab universâ, quàcunque se diffundit, Ecclesia.

Cap. 2. *n.* 2. Alia verò quæ per loca terrarum, regionesque variantur, sicuti est quod alii jejunant sabbato, alii non : alii quotidie communicant corpori et sanguini Domini, alii certis diebus accipiunt : alibi nullus dies prætermittitur, quo non offeratur, alibi sabbato tantùm et Dominico, alibi tantùm Dominico : et si quid aliud hujusmodi animadverti potest, totum hoc genus rerum liberas habet observationes : nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quam fortè devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum, et propter eorum, inter quos vivitur, societatem servandum est....

N. 3.... Cùm Romam venio, (inquit Ambrosius ad Augustinum) jejuno sabbato : cum hic sum, non jejuno. Sic etiam tu, ad quam fortè Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. Hoc cùm matri renuntiassem, libenter amplexa est. Ego verò de hac sententia etiam atque etiam cogitans, ita semper habui, tanquam eam cœlesti oraculo acceperim. Sensi enim sæpè dolens et gemens multas infirmorum perturbationes fieri, per quorumdam fratrum contentiosam obstinationem, vel superstitiosam timiditatem, qui in rebus hujusmodi, quæ neque Scripturæ sanctæ auctoritate, neque universalis Ecclesiæ Traditione, neque vitæ corrigendæ utilitate, ad certum possunt terminum pervenire (tantùm quia subest qualiscunque ratiocinatio cogitantis, aut quia in sua patria sic ipse consuevit, aut quia ibi vidit, ubi peregrinationem suam quò remotiorem à suis, eò doctiorem factam putat) tam litigiosas excitant quæstiones, ut, nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum existiment.

Cap. 4. *n.* 5. Sit aliquis peregrinus in eo fortè loco, ubi perseverantes in oratione Quadragesimæ, nec quintâ sabbati lavant, relaxantve jejunium ; Non, inquit, hodie jejunabo. Quæritur causa : Quia non fit, inquit, in patriâ meâ. Quid aliud ille, nisi consuetudinem suam consuetudini alterius præponere conatur ?.... Violant certè quietem et pacem suam de superfluâ quæstione rixando. Mallem tamen in rebus hujusmodi, ut et ille in hujus, et hic in illius patriâ ab hoc, quod cæteri faciunt, non abhorreret. Si verò etiam cùm in aliena patriâ peregrinaretur, ubi major et frequentior et ferventior est populus Dei, vidit, verbi gratiâ, bis offerri quintâ sabbati hebdomadæ ultimæ quadragesimæ, et manè et ad vesperam, veniensque in patriam suam, ubi in fine diei mos est offerri, malè atque illicitè fieri contendat, quoniam alibi aliter ipse viderit, puerilis est iste sensus, cavendus in nobis, tolerandus in aliis, corrigendus in nostris.

Cap. 5. *n.* 6.... Si divinæ Scripturæ perscribit auctoritas, non sit dubitandum quin ita facere debeamus, ut legimus, ut jam non quomodò faciendum, sed quomodò sacramentum intelligendum sit, disputemus. Similiter etiam si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia. Nam et hinc quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est. Sed neque hoc, neque illud inest in eo, quod tu quæris. Restat igitur ut de illo tertio genere sit, quod per loca regionesque variatur. Faciat ergo quisque quod in eâ Ecclesiâ, ad quam venit, invenerit. Non enim quidquam eorum contra fidem sit, aut contra mores, hinc vel indè meliores. His enim

9. Ambitio, vitium toties à Christo profligatum. (S)

I. Quodnam est superbiæ remedium?

R. Humilitas.

I. Quid est humilitas?

R. Amor Dei usque ad contemptum sui humilitas est, ex S. Augustino. (*Lib.* 14. *de Civit. Dei, c.* 13. *n.* 1.) Eòdem recidit quod ait S. Bernardus (*de Grad. humil. c.* 1. *n.* 2.) *humilitatem esse virtutem, quâ homo ex verissima sui agnitione sibi ipsi vilescit.*

Nec absimile est quod dicitur à Sancto Thoma, cæterisque Theologis de humilitatis definitione.

Humilitas, inquit S. Thomas (2. 2. *q.* 161. *art.* 11. *in corp.*), *est virtus, ad quam propriè pertinet ut aliquis reprimat seipsum, ne inordinatè feratur in ea, quæ sunt supra se: ad hoc autem necessarium est, ut aliquis cognoscat id, in quo deficit à proportione ejus quod suam virtutem excedit.*

Atqui, ex Apostolo, nihil sumus, et quidquid boni in nobis est, à Deo est. (*Galat.* VI. 3.) *Si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit*, inquit Apostolus (1. *Cor.* IV. 7.), *ipse se seducit.* Et: *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?*

Hinc sequitur hæc esse Christianæ humilitatis officia; 1. Ut *in nullo gloriemur, quando nostrum nihil sit*, ait S. Augustinus (*l.* 4. *cont. duas Epist. Pelag. cap.* 9. *n.* 25. *et* 26.) post S. Cyprianum. (*Epist. ad Quirin.*)

2. Ut nosmetipsos despiciamus.

3. Ut præponamus nos nemini.

4. Ut contemnamus neminem.

5. Ut nec hominum famam atque existimationem, nec honoris auram, nec sublimitatis apicem ambiamus.

6. Ut subjectionem imperio, modestiam fastui, silentium et obscuritatem splendori præponamus.

causis, id est, aut propter fidem, aut propter mores, vel emendari oportet, quod perperàm fiebat, vel institui quod non fiebat. Ipsa quippe mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat; quapropter quæ utilis non est, perturbatione infructuosa consequenter noxia est....

(S) MATTH. XVIII. 1. Accesserunt Discipuli ad Jesum, dicentes: Quis putas, major est in regno cœlorum? 2. Et advocans Jesus parvulum, statuit eum in medio eorum, 3. Et dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. 4. Quicunque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum.

XX. 20. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. 21. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram, in regno tuo. 22. Respondens autem Jesus, dixit: Nescitis quid petatis?.... 24. Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus. 25. Jesus autem vocavit eos ad se, et ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum: et qui majores sunt, potestatem exercent in eos. 26. Non ita erit inter vos: sed quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister: 27. et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. 28. Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam, redemptionem pro multis.

XX. 8. Vos autem nolite vocari Rabbi : unus est enim magister vester, omnes autem vos fratres estis. 9. Et patrem nolite vocare vobis super terram : unus est enim Pater vester, qui in cœlis est. 10. Nec vocemini magistri : quia Magister unus est Christus. 11. Qui major est vestrûm, erit minister vester. 12. Qui autem se exaltaverit, humiliabitur : et qui se humiliaverit, exaltabitur.

LUC. XXII. 24. Facta est autem et contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. 25. Dixit autem eis : Reges gentium dominantur eorum : et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. 26. Vos autem non sic : sed qui major est in vobis, fiat sicut minor : et qui præcessor est, sicut ministrator. 27. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonnè qui recumbit? Ego autem in medio vestrûm sum, sicut qui ministrat.

1. COR. XIII. 4. Charitas patiens est, benigna est : charitas non æmulatur, non agit perperàm, non inflatur, 5. Non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum. 6. Non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati : 7. Omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.

PHILIPP. II. 1. Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritûs, si qua viscera miserationis : 2. Implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, 3. Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam : sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes,.... 4. Non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum. 5. Hoc enim sentire in vobis, quod et in Christo Jesu. 6. Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. 7. Sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. 8. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

HEB. V. 4. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. 5. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret.... 8. Et quidem cùm esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam.

S. GREG. NAZ. *Apologet. orat.* 1. *pag.* 5. *edit. Morelli in fol. ann.* 1609. Aliorum me puduit, qui cùm plerisque nihilo meliores sint, atque utinam non etiam multò pejores, illotis, ut dici solet, manibus, profanisque animis in sanctissima mysteria sese inferunt, ac priusquam digni sint, qui ad res sacras accedant, sacrarium ipsum ambiunt, et circum sacrosanctam mensam sese invicem premunt ac protrudunt, tanquam non virtutis exemplum, sed victûs parandi occasionem et subsidium hunc ordinem esse judicantes.

S. CHRYSOST. *Homil.* 3. *in Act. Apostol.*... Petrus. Quàm est fervidus? Quàm agnoscit creditum à Christo gregem? Quàm in hoc choro princeps est? Et ubique primus omnium cœpit loqui.... Jam et illud considera quàm Petrus agit omnia ex communi discipulorum sententiâ, nihil auctoritate suâ, nihil cum imperio.... multitudini permittit judicium, simul eos, qui eligebantur, reddens reverendos, et seipsum liberans ab invidiâ simultateque, quæ poterat à cæteris oboriri. Nam hæc semper ingentia gignit mala,.. Vide verò Jacobi modestiam. Is acceperat Hierosolymis Episcopi munus, et tamen hic nihil loquitur. Considera autem et aliorum discipulorum singularem modestiam, quo pacto concedunt ei solium, nec ampliùs ambiunt discceptantes inter sese. Illorum enim Ecclesia talis erat, qualis est in cœlis, nihil habens rerum mundanarum, non parietibus, non marmoribus, sed fervore eorum, qui convenerant, relucens.... Primus hic Doctorem constituit; non dixit : Nos ad docendum sufficimus. Usque adeò aberat ab omni inanis gloriæ studio, et ad unum tantùm spectabat. Quanquam autem habebat constituendi jus par omnibus, tamen hæc congruenter fiebant ob virtutem viri, et ob hoc quòd tum temporis, præfectura non honos erat, sed cura subditorum. Ea res nec patiebatur eos, qui eligebantur, efferri, quòd ad pericula vocabantur, nec eos, qui non fuissent electi, veluti contemptûs affici mœrore.... Non jam omnibus loquor, sed his tantùm, qui principatum affectant. Si credis Dei esse electionem, ne indigneris : illi

enim indignaris, et adversùs illum irritaris. Illius enim est electio..... Sed si quando ob aliquam causam res devenerit ad contentionem, non tanquam ad principatum aut præfecturam fratrum accedamus, sed tanquam ad illorum honorem ac refocillationem. Etenim si novisses quòd Episcopus debet omnium onera gestare, quòd aliis irascentibus datur venia, ipsi verò nequaquam : quòd aliis peccantibus superest excusatio, ipsi verò minimè : haudquaquàm festinasses ad primatum, haudquaquàm accurrisses. Undique premitur ab amicis et inimicis, à suis et ab alienis. Nonnè terrarum orbis imperium tenet Imperator? Hic autem unius civitatis Episcopus est. Sed tantò plus curarum habet hic, quantùm interest inter aquam fluminis vento agitatam, et inter mare intumescens et insaniens. Quam ob rem tandem? Quoniam illic complures sunt qui adjuvant, eò quòd legibus ac mandatis omnia peraguntur : hic verò nihil tale. Neque enim licet ex auctoritate præcipere.... Proindè si quis ad summum Sacerdotium accesserit, velut ad sollicitudinem et curam, nullus illud facilè susceperit. Nunc autem non aliter quàm profanos magistratus, et hanc affectamus dignitatem, nimirum ut glorificemur, et honoremur apud homines, perdimur apud Deum. Ambitio tua sit tecum in perditionem, quoniam putasti ambitu humano parari donum Dei.

Lib. 3. *de Sacerdotio*, *c.* 10. Inter quæ illud præcipuum, Sacerdotis animum honoris illius desiderio undique vacare oportet. Nam si ad eum principatum adipiscendum vehementi animi affectu rapietur, eo adepto, impotentiorem sanè ambitionis suæ flammam incendet, ac vi tandem captus, ut sibi adeptum honorem stabiliat, nulli non peccato serviet,... Oportere autem puto tantà cum religione ac cautione ad rem ipsam accedere, ut illius molem ac magnitudinem primùm prorsùs detrectes : deindè, adepto honore, aliorum judicia sententiasque non exspectes, si quod fortè commissum deprehendatur, propter quod oporteat te honorem illum deponere : quin potiùs illud antevertens te ipse munere abdices. Sic enim par est, ut divinam concilies impetresque misericordiam : qui si tibi honorem illum præter decorum tanquam mordicùs retinere studueris, indignus es qui veniam consequaris : tum verò divinam iram magis ac magis incendis, altero peccato, et eo graviore per te addito.

S. Hieronym. *Epist.* 83. *ad Oceanum*.... Et hoc in Nicænà quoque Synodo (*scitis*) à Patribus esse decretum, ne de alia ad aliam Ecclesiam Episcopus transferatur : ne virginalis pauperculæ societate contemptà, ditioris adulteræ quærant amplexus :.... *Si quis Episcopatum desiderat*, *bonum opus desiderat*. (1. *Timoth.* III. 2.) Opus, non dignitatem : laborem, non delicias : opus per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio.... *Ne in superbiam elatus*, *incidat in judicium diaboli*.... Ignorat momentaneus Sacerdos humilitatem.... Nescit seipsum contemnere : de dignitate transfertur ad dignitatem.... De cathedra quodammodò ducitur ad cathedram, id est, de superbia ad superbiam. Judicium autem et ruina diaboli, nulli dubium, quin arrogantia sit. Incidunt in eam qui in puncto horæ, nec dum discipuli, jam magistri sunt.

S. Ambros. *Lib.* 4. *Luc. n.* 10. Exiguis momentis mens inclinatur humana : et huc atque illuc per versutias suadentis frequenter impellitur...

N. 17. Tria præcipuè docemur esse tela diaboli, quibus ad convulnerandam mentem hominis consuevit armari : gulæ unum, aliud jactantiæ, ambitionis tertium.

N. 21. Sequitur jactantiæ telum, quo proclivè delinquitur : quia dùm homines gloriam virtutis suæ jactare desiderant, de loco meritorum suorum et statione decedunt....

N. 22. Ita est enim jactantia, ut, dùm se putat unusquisque ad alliora conscendere, sublimium usurpatione factorum ad inferiora trudatur.

N. 26. Utitur et diabolus testimoniis Scripturarum, non ut doceat, sed ut circumscribat et fallat. Cognovit aliquem attentum religioni, virtutibus clarum, signis et operibus præpotentem : jactantiæ tendit laqueum, ut hujusmodi virum inflet tumore : quò pietati se non credat, sed credat jactantiæ ; nec Deo deputet, sed sibi arroget.

N. 28.... Docemur hic inanis ambitionis flabra despicere, quòd omnis dignitas secularis diabolicæ subjaceat potestati, ad usum fragilis, et inanis ad fructum.

N. 29. **A Deo potestatum ordinatio ; à malo ambitio potestatis. Nec potestas mala, sed is, qui malè utitur potestate.... Non potestas mala, sed ambitio....**

N. 30. **Hoc ipso perniciosior ambitio, quòd blanda quædam est conciliatricula dignitatum ; et sæpè quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subvertere, facit ambitio criminosos. Habet enim forensem gratiam, domesticum scelus : et ut dominetur aliis, priùs servit. Curvatur obsequio, ut honore donetur : et dùm vult esse sublimior simulatâ humilitate, fit vilior, et fit remissior ; cùm in ipsa potestate, quod præcellit, alienum sit ; legibus enim imperat, sibi servit.**

S. Aug. *Serm.* 2. *in Psal.* **xxxvi.** *n.* 1.... **Genus justorum conatur in sublimia per humilitatem : genus iniquorum præponderat ad inferiora per elationem. Hoc enim se deprimit ut surgat, illud se extollit ut cadat.**

Lib. 19. *de Civit. Dei, c.* 19. **In actione verò non amandus est honor in hac vita, sive potentia ; quoniam omnia vana sub sole : sed opus ipsum, quod per eumdem honorem vel potentiam fit, si rectè atque utiliter fit, id est, ut valeat ad eam salutem subditorum, quæ secundùm Deum est.... Propter quod ait Apostolus (1.** *Tim.* **iii.) : *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Exponere voluit quid sit Episcopatus ; quia nomen est operis, non honoris.... Ut intelligat non se esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse.... Locus verò superior, sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur, atque ministretur ut decet, tamen indecenter appetitur. Quamobrem otium sanctum quærit charitas veritatis : negotium justum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati : si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem.**

S. Greg. Magn. *Pastoral. part.* 1. *c.* 6. **Et sunt nonnulli, qui ex solâ humilitate refugiunt, ne eis, quibus impares se æstimant, præferantur. Quorum profectò humilitas, si cæteris quoque virtutibus cingitur, tunc ante Dei oculos, vera est, cùm ad respuendum hoc, quod utiliter subire præcipitur, pertinax non est. Neque enim verè humilis est, qui superni nutùs arbitrium, ut debeat præesse, intelligit, et tamen præesse contemnit. Sed divinis dispositionibus subditus, atque à vitio obstinationis alienus, cùm sibi regiminis culmen imperatur, si jam donis præventus est, quibus et aliis prosit, et ex corde debet fugere, et invitus obedire.**

Cap. 7. **Superbus enim fortassè esset, si ducatum plebis innumeræ sine trepidatione susciperet : et rursùm superbus existeret, si auctoris imperio obedire recusaret.... Hinc ergo, hinc quique præcipites colligant, cum quanta culpa ex appetitu proprio cæteris præferri non metuunt, si sancti viri plebium ducatum suscipere, Deo etiam jubente, timuerunt. Moyses, suadente Domino, trepidat : et infirmus quisque, ut honoris onus suscipiat, anhelat.**

Cap. 8. **Plerumque verò qui præesse concupiscunt, ad usum suæ libidinis instrumentum Apostolici sermonis arripiunt, quo ait (2.** *Tim.* **iii. 2.) : Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat : qui tamen laudans desiderium, in pavorem vertit protinùs quod laudavit, cùm repentè subjungit : oportet autem Episcopum irreprehensibilem esse.... Et favet ergo desiderio, et terret ex præcepto, ac si apertè dicat : Laudo quod quæritis, sed priùs discite quod quæritis : ne dùm vosmetipsos metiri negligitis, tantò fœdior vestra reprehensibilitas appareat, quantò et à cunctis conspici in honoris arce festinatis. Magnus enim regendi artifex favoribus impellit, terroribus retrahit : ut auditores suos et descripto irreprehensibilitatis culmine restringat à superbiâ, et officium laudando quod quæritur, componat ad vitam.... Ipse ergo sibi testis est, quia Episcopatum non appetit, qui non per hunc boni operis ministerium, sed honoris gloriam quærit. Sacrum quippè officium non solùm non diligit omninò, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhelans, in occultâ meditatione cogitationis cæterorum subjectione pascitur, laude propriâ lætatur, ad honorem cor elevat, rerum affluentium abundantiâ exsultat.**

Cap. 9. **Sæpè sibi de se mens ipsa mentitur, et fingit se de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat ;**

7. Denique ut subjecti simus et Deo in omnibus, et proximo juxta ordinem à Deo ipso constitutum. (T)

I. **Quid hoc rei est subjectum esse Deo in omnibus?**

R. **Is Deo subjectus est in omnibus, qui Deo in omnibus obsequitur; qui in ea vocatione, ad quam vocatus à Deo est, permanet; qui tenet eum locum, in quo positus est à Deo; qui propriæ infirmitatis conscius eligit locum infimum, sed tamen divinis dispositionibus subditus, et à vitio**

quæ principari appetens, fit ad hoc pavida cùm quærit, audax cùm pervenerit. Tendens enim, ne non perveniat, trepidat: sed repente pervenieus, jure sibi hoc debitum ad quod pervenerit, putat. Nequaquàm valet in culmine humilitatem discere, qui in imis positus non desinit superbire. Nescit laudem cùm suppetit fugere, qui ad hanc didicit cùm deesset anhelare.... Virtutibus pollens, coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus ne coactus accedat.

S. BERNARD. *Serm.* 6. *in Psal.* Qui habitat, *n.* 3.... Time sagittam. Leviter volat, leviter penetrat: sed dico tibi, non leve infligit vulnus, citò interficit. Nimirùm sagitta hæc vana gloria est: non est, undè hæc impugnet pusillanimes et remissos. Qui ferventiores esse videntur, ipsi paveant, ipsi sibi caveant in hâc parte: nihilominùs adhuc solliciti non deserere scutum inexpugnabile veritatis. Quid enim aliud tam contrarium vanitati?.... Semetipsam noverit anima, de se teneat veritatem. Difficilè prorsùs, ni fallor, homo verbis laudantium hominem in vitâ suâ abduci poterit altum sapere, si se intùs ad lucem veritatis sollicità consideratione discutiat. Nonnè enim si propriam cogitat conditionem, dicturus est sibi; *Quid superbis terra et cinis* (*Eccli.* X. 9.)? Nonne si propriam consideret corruptionem: fateamur necesse est quoniam non est in eo bonum? Sed et si fortè aliquid habere videtur, non inveni puto, quid respondeat Apostolo dicenti: *Quid habes quod non accepisti* (1. *Cor.* IV. 7.)? Et alibi: *Qui stat, videat ne cadat.* (1. *Cor.* X. 12.)

N. 4. Planè cupiditas, radix iniquitatis; ambitio, subtile malum, secretum virus, pestis occulta, doli artifex, mater hypocrisis, livoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicinâ languorem.... veste spolians nuptiali, et virtutum exercitia fructu pietatis evacuans? Quantos pestis hæc nequiter supplantatos turpiter quoque dejecit.... Quid verò hunc fovet vermem aliud quàm mentis alienatio, et oblivio veritatis?.... Nimirum hæc est quæ dicit (*Matth.* XVI. 26.): *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, se autem perdat, et detrimentum sui faciat?* Et item? (*Sap.* VI. 7.): *Potentes*, ait, *potenter tormenta patientur.* Hæc est quæ sedulà suggestione reducit in mentem, quàm sit in ambitu frivola consolatio, grave judicium, usus brevis, finis ignotus.

(T) S. BERNARD *de Gradib. humilitatis et superbiæ. c. h. n.* 14.... *Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo; et sic videbis festucam ejicere de oculo fratris tui.* (*Matth.* VII. 5.) Trabes in oculo grandis et grossa, superbia in mente est: quæ quâdam corpulentiâ sui vanâ, non sanâ, tumidâ, non solidâ, oculum mentis obscurat, veritatem obumbrat; ita ut si tuam occupaverit mentem, jam tu te videre, jam te talem, qualis es, vel quasi esse potes, non possis sentire.... Quid enim aliud est superbia, quàm amor propriæ excellentiæ? Undè et nos possumus dicere per contrarium humilitatem propriæ excellentiæ esse contemptum.

N. 15. Ego quidem, cùm adhuc veritatem non nossem, aliquid me putabam esse, cùm nihil essem. At postquam in Christum credendo, id est, ejus humilitatem imitando, veritatem agnovi: ipsa quidem exaltata est in me ex mea confessione: sed ego *humiliatus sum nimis*, id est, valdè vilui mihi ex mei consideratione.

Cap. 10. *n.* 37. Per gloriam et ignobilitatem Sancti proficiunt, dùm inter singularia dona quæ recipiunt, communi hominum vanitate pulsari se sentiunt: et dùm per gratiam supra se aliquid cernunt, non obliviscantur quod sunt....

Cap. 11. *n.* 39. **Monachus enim, qui sui negligens, alios curiosè circumspicit, dùm quosdam suspicit superiores, quosdam despicit inferiores : et in aliis quidem videt quod invidet, in aliis quod irridet. Indè fit ut pro mobilitate oculorum levigatus animus, nullà utique sui curà aggravatus, modò per superbiam ad alta se erigat, modò per invidiam in ima demergat : nunc per invidiam nequiter tabescit, nunc per excellentiam pueriliter hilarescit. In altero nequam, in altero vanus, in utroque superbus existit : quia et quòd superari se dolet, et quòd superare se gaudet, amor propriæ excellentiæ facit.**

Cap. 14. *n.* 42. **Turpe est ei, qui se supra cæteros jactat, si non plus cæteris aliquid agat, per quod ultra cæteros appareat.... Nec tamen melior esse studet, sed videri :.... ad omnia denique sua strenuus, ad communia piger. Cùm autem ex his quæ singulariter, sed inaniter agit, apud simpliciores ejus opinio excreverit, qui profectò opera probant quæ cernunt, sed undè prodeant non discernunt ; dùm miserum beatificant, in errorem inducunt.**

Cap. 16. *n.* 44. **Qui alios se præcellere putat, quomodò non plus de se, quàm de aliis præsumat ? Primus in conventibus residet, in consiliis primus respondet : non vocatus accedit, non jussus se intromittit : reordinat ordinata, reficit facta. Quidquid ipse non fecerit aut ordinaverit, nec rectè factum, nec pulchrè existimat ordinatum. Judicat judicantes, præjudicat judicaturis. Si, cùm tempus advenerit, non promoveatur ad prioratum ; suum Abbatem aut invidum judicat, aut deceptum. Quod si mediocris ei aliqua obedientia injuncta fuerit, indignatur, aspernatur, arbitrans se non esse minoribus occupandum, qui se ad majora sentit idoneum. Sed qui sic promptulus ad omnia se magis temerè, quàm liberè consuevit ingerere, impossibile est eum aliquandò non errare. Ad Prælatum autem pertinet errantem arguere. Sed quomodo culpam suam confitebitur, qui nec esse putat, nec putari culpabilis patitur ? Propterèà cùm ei culpa imputatur, crescit, non amputatur : si ergo cùm argutus fuerit, declinare cor ejus videris in verba malitiæ, in octavum gradum, qui dicitur defensio peccatorum, noveris corruisse.**

Cap. 17. *n.* 45. **Multis verò modis fiunt excusationes in peccatis. Aut enim dicit, qui se excusat : Non feci ; aut, Feci quidem, sed benè feci : aut si malè, Non multùm malè ; aut si multùm malè, Non malà intentione. Si autem et de illà, sicut Adam vel Eva, convincitur, alienà suasione excusare se nititur. Sed qui procaciter etiam aperta defendit, quandò occultas et malas cogitationes, cordi suo advenientes, humiliter revelaret Abbati ?....**

Cap. 18. *n.* 46.... **Multò periculosior est fallax ac superba confessio, quàm pervicax** (procax) **et obstinata defensio....** *Qui nequiter humiliat se, èt interiora ejus plena sunt dolo.* (*Eccli.* XIX. 23.)....

Cap. 19. *n.* 48. **Hic, nisi miseratio superna respiciat, ut** (quod valdè difficile talibus est) **universorum judiciis tacitus acquiescat ; frontosus mox ex impudens factus, tantò deteriùs, quantò desperatiùs in decimum gradum per rebellionem corruit, quique priùs latenter arrogans fratres contempserat, jam patenter inobediens etiam magistrum contemnit.** *Tertius*, inquit Regula S. Benedicti (*lib.* 7. *cap.* 31.) *, gradus est, ut quis pro Dei amore omni obedientiâ se subdat majori.*

Serm. 4. *n.* 4.... **Humilitas duplex est : altera cognitionis, altera affectionis, quæ hìc dicitur cordis. Priore cognoscimus quod nihil sumus : et hanc discimus à nobis ipsis, et ab infirmitate propriâ : posteriore calcamus gloriam mundi ; et hanc ab illo discimus, qui** *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens* (*Philipp.* 11. 7.) **qui etiam quæsitus in regnum, fugit ; quæsitus ad tanta probra et ignominiosum supplicium crucis, sponte obtulit semetipsum.**

S. THOMAS 2. 2. *q.* 161. *art.* 1. *in corp.* ***Humilitas est virtus, quâ animus firmatur ne inordinatè tollatur....*** **Et ideò circa appetitum boni ardui necessaria est duplex virtus : una quidem, quæ temperet et refrænet animum, ne immoderatè tendat ad excelsa ; et hoc pertinet ad virtutem humilitatis....**

Ad. 5. **Humilitas autem, secundùm quod est specialis virtus, præcipuè respicit subjectionem hominis ad Deum, propter quem etiam aliis humiliando se subjicit.**

obstinationis alienus, superiùs ascendere non pertinaciter recusat, cùm certissimè vocatur à Patre-familias. (V)

I. Quid hoc rei est subjectum esse proximo juxta ordinem à Deo ipso constitutum?

R. Is subjectus est proximo juxta ordinem à Deo ipso constitutum, qui, quantumlibet præpollens genere, dignitate, meritis, virtutibus, dotibus, nunquam tamen sese interiùs præfert proximo, quantumlibet ille præ natalitiis, officiis, vitiis despiciendus esse videatur.

Quod autem pertinet ad externam significationem subjectionis, demissionis, vel imperii, habenda ratio est statûs et dignitatis et officiorum. Possumus enim absque humilitatis detrimento imperare, arguere, corripere, sævire, dignitatem tueri. Summâ tamen vigilantiâ opus est, ne in his superbia subrepat; neve contra Dei præceptum et leges justitiæ, prudentiæ, charitatis, imperium exerceatur. Potest quis vicissim exteriùs deprimere se præ superbiâ. Scrutatur corda et renes Deus. (X)

I. Estne necessaria homini Christiano humilitas?

R. Adeò necessaria est, ut absque ea non intraturus sit

Art. 2. *ad* 1. Ad primum ergo dicendum, quod extollentia oculorum est quoddam signum superbiæ, in quantùm excludit reverentiam et timorem. Consueverunt enim timentes et verecundati, maximè oculos deprimere, quasi non audentes se aliis comparare.

Art. 3. *in corp.* Humilitas autem propriè respicit reverentiam, quâ homo Deo subjicitur: et ideò quilibet homo secundùm id, quod suum est, debet se cuilibet proximo subjicere, quantùm ad id, quod est Dei in ipso, secundùm illud, *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum* (1. *Petr.* II. 13.),...

Art. 5. *ad* 4. Ad quartum dicendum, quòd ideò Christus præcipuè nobis humilitatem commendavit; quia per hoc maximè removetur impedimentum humanæ salutis, quæ consistit in hoc, quòd homo ad cœlestia et spiritualia tendat, à quibus homo impeditur, dùm in terrenis magnificari se studet. Et ideò Dominus, ut impedimentum salutis auferret, exteriorem celsitudinem contemnendam monstravit per humilitatis exempla.

Art. 6. *in corpore.* Ut aliquis non se existimet supra id esse quod est.... *Duodecimus* gradus, est ut homo Deum timeat, et memor sit omnium, quæ præcepit.... Homo non sequatur propriam voluntatem: quod pertinet ad *undecimum* gradum.... Ut regulet eam secundùm superioris arbitrium: quod pertinet ad gradum *decimum*.... Ut ab hoc non desistat propter dura et aspera, quæ occurrunt: et hoc pertinet ad *nonum*. Quòd proprios defectus recognoscat et confiteatur: quod pertinet ad *octavum* gradum... Ut ex consideratione sui defectûs aliquis insufficientem se existimet ad majora: quod pertinet ad *septimum*.... Ut quantum ad hoc alios sibi præferat: quod pertinet ad *sextum*.... Ut homo non recedat in suis operibus à via communi: quod pertinet ad *quintum*.... Ut homo non præripiat tempus loquendi: quod pertinet ad *quartum*.... Nec excedat modum in loquendo: quod pertinet ad *secundum*.... In reprimendo extollentiam oculorum: quod pertinet ad *primum*: et in cohibendo exterius risum, et alia ineptæ lætitiæ signa: quod pertinet ad *tertium*.

Lege ejusdem Sancti 2. 2. *Quæst.* 161. *integram*, *et* S. BERNARDI *Tractatum* de Gradibus humilitatis.

(V) S. GREG. MAGN. *Pastor. Part.* 1. *c.* 6. 7. 8. *et* 9. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (S).

(X) *Hæc probantur variis Patrum et Scripturæ testimoniis superiùs adductis hocce paragrapho.*

in regnum cœlorum. (Y) *Nisi efficiamini sicut parvuli, non in-*

(Y) MATTH. XVIII. 1. etc. *Vide suprà hocce §. litt.* (S)
LUC. XVIII. 9. Dixit autem et ad quosdam, qui in se confidebant tanquam justi, et aspernabantur cæteros, parabolam istam ; 10. Duo homines ascenderunt in Templum ut orarent : unus Pharisæus, et alter Publicanus. 11. Pharisæus stans, hæc apud se orabat : Deus gratias ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum : raptores, injusti, adulteri : velut etiam hic Publicanus. 12. Jejuno bis in sabbato : decimas do omnium quæ possideo. 13. Et Publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare : sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus propitius esto mihi peccatori. 14. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo : quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur. 15. Afferebant autem ad illum et infantes, ut eos tangeret. Quod cùm viderent Discipuli, increpabant illos. 16. Jesus autem convocans illos, dixit : Sinite pueros venire ad me, et nolite vetare eos ; talium est enim regnum Dei. 17. Amen dico vobis : Quicunque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.

S. AUG. *de Peccat. merit. et remiss. lib.* 2. *cap.* 19. *n.* 33. Idcircò etiam sanctos et fideles suos in aliquibus vitiis tardiùs sanat, ut in his eos minùs quàm implendæ ex omni parte justitiæ sufficit, delectet bonum, sive cùm latet, sive cùm etiam manifestum est : ut quantùm pertinet ad integerrimam regulam veritatis ejus, non justificetur in conspectu ejus omnis vivens. Nec in eo ipso vult nos damnabiles esse, sed humiles, commendans nobis eamdem gratiam suam, ne facilitatem in omnibus assecuti, nostrum putemus esse quod ejus est ; qui error multum est religioni pietatique contrarius. Nec ideò tamen in eisdem vitiis nobis permanendum esse existimemus, sed adversùs ipsam maximè superbiam, propter quam in eis humiliamur, et nos vigilanter conemur, et ipsum deprecemur ardenter, simul intelligentes et quòd sic conamur, et quòd sic deprecamur, dono illius nos habere.

De sancta Virginit. c. 33. *n.* 33. Cùm ergo Christianis omnibus custodienda sit humilitas, quandoquidem à Christo Christiani appellantur, cujus Evangelium nemo diligenter inluetur, qui non eum doctorem humilitatis inveniat ; tùm maximè virtutis hujus sectatores et conservatores eos esse convenit, qui magno aliquo bono cæteris eminent, ut magnoperè curent illud quod primitùs posui, *Quantò magnus es, tantò humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam.* (*Eccli.* III. 20.)

N. 34. *c.* 34. Da mihi profitentem perpetuam continentiam, atque his et hujusmodi omnibus carentem vitiis et maculis morum, huic superbiam timeo, huic tam magno bono ex elationis tumore formido. Quò magis inest undè sibi placeat, eò magis vereor, ne sibi placendo illi displiceat, qui *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* (*Jacob.* IV. 6.)

N. 35. Ille, ille cui omnia tradidit Pater... non dicit : Discite à me mundum fabricare, aut mortuos suscitare ; sed, *quia mitis sum et humilis corde.* (*Matth.* XI. 29.) Huccine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi in te, ut hoc pro magno discamus à te, quoniam mitis es et humilis corde ? Itane magnum est esse parvum, ut nisi à te, qui tam magnus es, fieret, disci omninò non posset ? Ita planè. Non enim alter invenitur requies animæ, nisi inquieto tumore digesto, quo magna sibi erat, quando tibi sana non erat.

Serm. 283. *aliàs de diversis* 42. *in natali Martyrum Massilitanorum, c.* 4. *n.* 2. Si habes aliquid à Deo, et nescis à quo habeas, non eris muneratus ; quia remanes ingratus. Si nescis à quo habeas, non agis gratias : non agendo gratias, et quod habes perdis. *Qui enim habet, dabitur ei.* (*Matth.* XIII. 12.) Quid est, plenè habere ? Scire undè habeas. *Qui autem non habet*, id est, nescit undè habeat, *et quod habet auferetur ab eo.* (*Ibid.*)... *Ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* (1. *Cor.* II. 12.) Ergo spiritus Dei, spiritus est charitatis : spiritus hujus mundi, spiritus est elationis. Qui habent spiritum hujus mundi superbi sunt, ingrati sunt Deo. Multi dona ejus habent, sed non colunt eum, à quo habent : ideò sunt infelices.... Melior est incomparabiliter Deo gratias agens de parvo, quàm se extollens de magno.

Serm. 285. *aliàs* 4. *inter editos ex majoris Carthusiæ* MSS. *in die marty-*

trabitis in regnum cœlorum, ait Christus. (*Matth* XVIII. 3. *Luc.* XVIII. 9.) (Z)

rum Casti et Æmilii, *n.* 4. Salus nostra in Christo, humilitas Christi est. Nulla enim nostra salus esset, nisi Christus humilis pro nobis fieri dignatus esset.

S. CHRYSOST. *Homil.* 48. *in Matthæum.* Imitemur omnes ejus virtutes, ac maximè omnium humilitatem et misericordiam; sine quibus salutem consequi non possumus.

(Z) *Nunc selecta quædam Scripturæ loca, quibus humilitas commendatur, aut superbiæ vitium notatur atque reprehenditur: nec non et exempla varia cùm humilitatis, tùm superbiæ ex libris sacris in gratiam Theologorum, Concionatorum præsertim juvat exscribere.*

DE HUMILITATE.

Psalm. XXXIII. 19.... Humiles spiritu salvabit (*Dominus.*)

Psalm. CXII. 6. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terrâ? 7. Suscitans à terrâ inopem, et de stercore erigens pauperem: 8. Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui....

Psalm. CXXXVII. 6. Excelsus Dominus, et humilia respicit.

Isai. LVII. 15... Hæc dicit Excelsus, et sublimis habitans æternitatem: et sanctum nomen ejus in excelso et in sancto habitans, et cum contrito et humili spiritu: ut vivificet spiritum humilium, et vivificet cor contritorum.

LXVI. 2.... Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos.

Luc. XIV. 10. Sed cùm vocatus fueris (*ad nuptias*), vade, recumbe in novissimo loco: ut, cùm venerit qui te invitavit, dicat tibi: Amice, ascende superiùs. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. 11. Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur....

Jacob. IV. 6. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 7. Subditi ergo estote Deo.... 10. Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos....

2. *Petr.* V. 5. Similiter, adolescentes subditi estote senioribus. Omnes autem invicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. 6. Humiliamini igitur sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis.

VARIA EXEMPLA HUMILITATIS.

In MOYSE. *Exod.* III. 11. Dixitque Moyses ad Deum: Quis sum ego ut vadam ad Pharaonem, et educam filios Israël de Ægypto?

IV. 10.... Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri, et nudiustertius: et ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguæ sum.

In DAVIDE. 1. *Reg.* XVIII. 18. Ait autem David ad Saûl: Quis ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israël, ut fiam gener Regis?.... 23.... Et ait David: Num parum videtur vobis, generum esse Regis? Ego autem sum vir pauper et tenuis.

XXIV. 9.... Respexit Saûl post se: et inclinans se David pronus in terram, adoravit. 10. Dixitque ad Saûl:.... 15. Quem persequeris Rex Israël? Canem mortuum persequeris, et pulicem unum.

XXVI. 20.... Egressus est rex Israël, ut quærat pulicem unum, sicut persequitur perdix in montibus.

In MARIA *Virgine. Luc.* I. 19. Quæ (Maria) cùm audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio.... 32. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.... 48. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.... 52. Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. 53. Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.

In S. ELISABETH. *Luc.* I. 43. Undè hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?

In CENTURIONE. *Matth.* VIII. 8. Respondens Centurio, ait: Domine non

sum dignus ut intres sub tectum meum ; sed tantùm dic verbo, et sanabitur puer meus.

In CHANANÆA. *Matth.* XV. 26.... Ait (Jesus) : Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus. 27. At illa dixit : Etiam Domine ; nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.

In S. JOAN. BAPT. *Joan.* I. 19. Et hoc est testimonium Joannis, quando miserunt Judæi ab Jerosolymis Sacerdotes et Levitas ad eum, ut interrogarent eum : Tu quis es ? 20. Et confessus est, et non negavit : et confessus est : Quia non sum ego Christus. 21. Et interrogaverunt eum : Quid ergo ? Elias es tu ? Et dixit : Non sum. Propheta es tu ? Et respondit : Non. 22. Dixerunt ergo ei : Quis es, ut responsum demus his, qui miserunt nos ? Quid dicis de te ipso ? 23. Ait : Ego sum vox clamantis in deserto : Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaïas Propheta (XL. 3)... 25. Et interrogaverunt eum, et dixerunt ei : Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta ? 26. Respondit eis Joannes dicens : Ego baptizo in aqua ; medius autem vestrûm stetit, quem vos nescitis. 27. Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est : cujus ego non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti.

In CHRISTO JESU *Domino nostro. Evangelistæ omnes et Apostoli Christi Domini humilitatem prædicaverunt ; quam vitæ ejus, doctrina et actiones probant, præcipuè illius nativitas, missio, labores, mors et passio. Vide varia Scripturæ loca passim hocce* §. *laudata, præsertim litt.* (S)

De Superbia.

Job. XXIV. 2. Alii terminos transtulerunt, diripuerunt greges, et paverunt eos. 3. Asinum pupillorum abegerunt, et abstulerunt pro pignore bovem viduæ. 4. Subverterunt pauperum viam, et oppressérunt pariter mansuetos terræ.... 18. Levis est super faciem aquæ : maledicta sit pars ejus in terra.... 19. Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, et usque ad inferos peccatum illius.... 22. Detraxit fortes in fortitudine suâ : et cùm steterit, non credet vitæ suæ. 23. Dedit ei Deus locum pœnitentiæ, et ille abutitur eo in superbiam ; oculi autem ejus sunt in viis illius. 24. Elevati sunt ad modicum, et non subsistent, et humiliabuntur sicut omnia, et auferentur, et sicut summitates spicarum conterentur.

XL. 6. Disperge superbos in furore tuo, et respiciens omnem arrogantem humilia. 7. Respice cunctos superbos, et confunde eos, et contere impios in loco suo. 8. Absconde eos in pulvere simul, et facies eorum demerge in foveam.

Isai. II. 11. Oculi sublimes hominis humiliati sunt, et incurvabitur altitudo virorum : exaltabitur autem solus Dominus in illâ die. 12. Quia dies Domini exercituum super omnem superbum, et excelsum, et super omnem arrogantem : et humiliabitur. 13. Et super omnes cedros Libani, sublimes, et erectas, et super omnes quercus Basan. 14. Et super omnes montes, et super omnes colles elevatos. 15. Et super omnem turrim excelsam, et super omnem murum munitum, 16. et super omnes naves Tharsis.... 17. et incurvabitur sublimitas hominum, et humiliabitur altitudo virorum, et elevabitur Dominus solus in die illâ.

III. 16.... Pro eo quòd elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plaudebant.... et composito gradu incedebant : 17. Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et Dominus crinem earum nudabit. 18. In die illâ auferet Dominus ornamentum calceamentorum, et lunulas, 19. et torques, et monilia, et armillas, et mitras, 20. et discriminalia, et periscelidas, et murenulas, et olfactoria, et inaures, 21. et annulos, et gemmas in fronte pendentes, 22. et mutatoria, et palliola, et linteamina, et acus, 23. et specula, et sindones, et vittas, et theristra ; 24. et erit pro suavi odore fœtor, et pro zonâ funiculus, et pro crispanti crine calvitium, et pro fasciâ pectorali cilicium.

V. 21. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes.

XXIII. 9. Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ, sed ad ignominiam deduceret universos inclytos terræ.... 11.... Dominus mandavit adversùs Chanaan, ut contereret fortes ejus, 12. et dixit : Non adjicies ultrà, ut glorieris....

XXVIII. 1. Væ coronæ superbiæ... Ephraïm flori decidenti, gloriæ exultationis ejus.... 3. Pedibus conculcabitur corona superbiæ. Ephraïm. 4. Et erit flos decidens gloriæ exultationis ejus.

XLVII. 10. Et fiduciam habuisti in malitiâ tuâ, et dixisti : Non est qui videat me. Sapientia tua et scientia tua hæc decepit te. Et dixisti in corde tuo : Ego sum, et præter me non est altera. 11. Veniet super te malum, et nescies ortum ejus : et irruet super te calamitas, quam non poteris expiare : veniet super te repentina miseria, quam nescies.

Ezechiel. XXXI. 10.... Pro eo quòd sublimatus est in altitudine.... et elevatum est cor ejus in altitudine suâ : 11. Tradidi eum in manu fortissimi gentium.... 13. Et succident eum alieni, et crudelissimi nationum.

Amos VI. 1. Væ qui opulenti estis in Sion, et confiditis in monte Samariæ : optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israël.... 8. Juravit Dominus in animâ suâ, dicit Dominus Deus exercituum : Detestor ego superbiam Jacob....

Abdiæ 2. Ecce parvulum dedi te in gentibus : contemptibilis tu es valdè. 3. Superbia cordis tui extulit te.... qui dicis in corde tuo : Quis detrahet me in terram? 4. Si exaltatus fueris ut aquila, et si inter sidera posueris nidum tuum : indè detraham te dicit Dominus.

Exempla superbiæ et suppliciorum quæ superbis irrogat Deus, occurrunt passim in Scripturis.

In Rege PHARAONE. *Exod.* XIV. 4. Indurabo cor ejus (*Pharaonis*), ac persequetur vos : et glorificabor in Pharaone, et in omni exercitu ejus. Scientque Ægyptii quia ego sum Dominus.... 5. Et nuntiatum est regi Ægyptiorum quòd fugisset populus : immutatumque est cor Pharaonis et servorum ejus super populo, et dixerunt : Quid voluimus facere, ut dimitteremus Israël, ne serviret nobis? 6. Junxit ergo currum, et omnem populum suum assumpsit secum. 7. Tulitque sexcentos currus electos, et quidquid in Ægypto curruum fuit; et duces totius exercitus, 8.... et persecutus est filios Israël.... 22. Et ingressi sunt filii Israël per medium sicci maris : erat enim aqua quasi murus à dextera eorum et læva. 23. Persequentesque Ægyptii ingressi sunt post eos, et omnis equitatus Pharaonis, currus et equites, per medium maris. 24. Jamque advenerat vigilia matutina, et ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis et nubis, interfecit exercitum eorum : et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum.... 27.... Fugientibusque Ægyptiis occurrerunt aquæ, et involvit eos Dominus in mediis fluctibus. 28. Reversæque sunt aquæ, et operuerunt currus et equites cuncti exercitûs Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare : nec unus quidem superfuit ex eis.

In Rege DAVIDE. 2. *Reg.* XXIV. 1. Et addidit furor Domini irasci contra Israel, commovitque David in eis dicentem : Vade, et numera Israël et Judam. 2. Dixitque Rex ad Joab principem exercitûs sui : Perambula omnes tribus Israël à Dan usque Bersabee, et numerate populum, ut sciam numerum ejus. 3. Dixitque Joab Regi.... Quid sibi Dominus meus Rex vult in re hujuscemodi? 4.... Egressusque est Joab, et Principes militum, à facie Regis ut numerarent populum Israel.... 10. Percussit autem cor David eum, postquam numeratus est populus : et dixit David ad Dominum : Peccavi valdè in hoc facto : sed precor Domine, ut transferas iniquitatem servi tui, quia stulte egi nimis. 11.... Et sermo Domini factus est ad Gad Prophetam... dicens : 12. Vade, et loquere ad David :.... Trium tibi datur optio, elige unum quod volueris ex his, ut faciam tibi. 13. Cumque venisset Gad ad David, nuntiavit ei, dicens : Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua : aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, et illi te persequentur : aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua... 14. Dixit autem David ad Gad : Coarctor nimis : sed melius est ut incidam in manus Domini, (multæ enim misericordiæ ejus sunt,) quàm in manus hominum. 15. Immisitque Dominus pestilentiam in Israel, de mane usque ad tempus constitutum, et mortui sunt ex populo, à Dan usque ad Bersabee, septuaginta millia virorum.

In SENNACHERIB *Rege Assyriorum.* 4. *Reg.* XIX. 28. Insanisti in me, et superbia tua ascendit in aures meas : ponam itaque circulum in naribus

tuis, et camum in labiis tuis, et reducam te in viam, per quam venisti... 32. Quamobrem hoc dicit Dominus de Rege Assyriorum : Non ingredietur urbem hanc, nec mittet in eam sagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio.... 35. Factum est igitur in nocte illâ, venit Angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia, cumque diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum : et recedens abiit. 36. Reversus est Sennacherib Rex Assyriorum,... 37. Cumque adoraret in templo Nesroch Deum suum, Adramelech et Sarasar filii ejus percusserunt eum gladio.

In Rege EZECHIA. XX. 12. In tempore illo misit Berodach, filius Baladan, Rex Babyloniorum, litteras et munera ad Ezechiam : audierat enim quod ægrotasset Ezechias. 13. Lætatus est autem in adventu eorum Ezechias, et ostendit eis domum aromatum, et aurum et argentum, et pigmenta varia, unguenta quoque, et domum vasorum suorum, et omnia quæ habere poterat in thesauris suis, non fuit quod non monstraret eis Ezechias in domo suâ, et in omni potestate suâ. 14. Venit autem Isaïas Propheta ad Regem Ezechiam : dixitque ei : Quid dixerunt viri isti ? aut undè venerunt ad te ? Cui ait Ezechias : De terrâ longinquâ venerunt ad me de Babylone. 15. At ille respondit : Quid viderunt in domo tuâ ? Ait Ezechias : Omnia quæcunque sunt in domo mea, viderunt : nihil est quod non monstraverim eis in thesauris meis. 16. Dixit itaque Isaïas Ezechiæ : Audi sermonem Domini. 17. Ecce dies venient, et auferentur omnia, quæ sunt in domo tuâ, et quæ condiderunt patres tui usque in diem hanc, in Babylonem : non remanebit quidquam, ait Dominus. 18. Sed de filiis tuis, qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, et erunt Eunuchi in palatio Regis Babylonis.

Eadem leguntur apud ISAIAM XXXIX. 1. *et seq.*

In NABUCHODONOSORE *Rege. Daniel.* IV. 1. Ego Nabuchodonosor.... 2. Somnium vidi, quod perterruit me.... 5. Ingressus est in conspectu meo Daniel, cui nomen Baltassar.... et somnium coram ipso locutus sum.... 7,... Videbam, et ecce arbor in medio terræ, et altitudo ejus nimia. 8. Magna arbor, et fortis : et proceritas ejus contingens cœlum : aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ. 9. Folia ejus pulcherrima, et fructus ejus nimius, et esca universorum in ea : subter eam habitabant animalia et bestiæ, et in ramis ejus conversabantur volucres cœli : et ex ea vescebatur omnis caro. 10. Videbam in visione capitis mei super stratum meum, et ecce vigil et Sanctus de cœlo descendit. 11. Clamavit fortiter, et sic ait : Succidite arborem, et præcidite ramos ejus : excutite folia ejus, et dispergite fructus ejus : fugiant bestiæ quæ subter eam sunt, et volucres de ramis ejus. 12. Verumtamen germen radicum ejus in terrâ sinite, et alligetur vinculo ferreo et æreo, in herbis quæ foris sunt, et rore cœli tingatur, et cum feris pars ejus in herbâ terræ. 13. Cor ejus ab humano commutetur, et cor feræ detur ei : et septem tempora mutentur super eum. 14. In sententiâ vigilum decretum est, et sermo Sanctorum, et petitio : donec cognoscant viventes, quoniam dominatur Excelsus in regno hominum ; et cuicunque voluerit, dabit illud, et humillimum hominem constituet super eum. 15. Hoc somnium vidi ego Nabuchodonosor Rex : tu ergo Baltassar interpretationem narra festinus.... 16. Tunc Daniel, cujus nomen Baltassar.... dixit... 17. Arborem quam vidisti sublimem atque robustam, cujus altitudo pertingit ad cœlum, et aspectus illius in omnem terram, 18. et rami ejus pulcherrimi, et fructus ejus nimius, et esca omnium in eâ, super eam habitantes bestiæ agri, et in ramis ejus commorantes aves cœli. 19. Tu es Rex, qui magnificatus es, et invaluisti : et magnitudo tua crevit, et pervenit usque ad cœlum, et potestas tua in terminos universæ terræ. 20. Quod autem vidit Rex vigilem et Sanctum descendere de cœlo et dicere : Succidite arborem, et dissipate illam, at tamen germen radicum ejus in terrâ dimittite, et vinciatur ferro et ære in herbis foris, et rore cœli conspergatur, et cum feris sit pabulum ejus, donec septem tempora mutentur super eum. 21. Hæc est interpretatio sententiæ Altissimi, quæ pervenit super dominum meum Regem : 22. Ejicient te ab hominibus, et cum bestiis ferisque erit habitatio tua, et fœnum ut bos comedes, et rore cœli infunderis : septem quoque tempora mutabuntur super te, donec

scias quòd dominetur Excelsus super regnum hominum, et cuicunque voluerit, det illud. 23. Quod autem præcepit, ut relinqueretur germen radicum ejus, id est, arboris : regnum tuum tibi manebit, postquam cognoveris potestatem esse cœlestem.... 25. Omnia hæc venerunt super Nabuchodonosor Regem. 26. Post finem mensium duodecim, in aula Babylonis deambulabat. 27. Respondítque Rex, et ait : Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, et in gloriâ decoris mei ? 28. Cumque sermo adhuc esset in ore Regis, vox de cœlo ruit : Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex : Regnum tuum transibit à te, 29. et ab hominibus ejicient te, et cum bestiis et feris erit habitatio tua : fœnum quasi bos comedes, et septem tempora mutabuntur super te, donec scias quòd dominetur Excelsus in regno hominum, et cuicunque voluerit, det illud. 30. Eâdem horâ sermo completus est super Nabuchodonosor, et ex hominibus abjectus est, et fœnum ut bos comedit, et rore cœli corpus ejus infectum est : donec capilli ejus in similitudinem aquilarum crescerent, et ungues quasi avium. 31. Igitur post finem dierum, ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum levavi, et sensus meus redditus est mihi : et Altissimo benedixi, et viventem in sempiternum laudavi, et glorificavi : quia potestas ejus, potestas sempiterna, et regnum ejus in generationem et generationem. 32. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt : juxta enim voluntatem suam facit tam in virtutibus cœli quàm in habitatoribus terræ : et non est qui resistat manui ejus, et dicat ei : Quare fecisti ? 33. In ipso tempore sensus reversus est ad me, et ad honorem regni mei decoremque perveni : et figura mea reversa est ad me : et optimates mei, et magistratus mei requisierunt me, et in regno meo restitutus sum, et magnificentia amplior addita est mihi. 34. Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, et magnifico, et glorifico Regem cœli : quia omnia opera ejus vera, et viæ ejus judicia, et gradientes in superbiâ potest humiliare.

In BALTASSARE *Rege. Daniel.* v. 17. Daniel ait coram Rege.... 18. O Rex, Deus altissimus, regnum et magnificentiam, gloriam et honorem dedit Nabuchodonosor patri tuo. 19. Et propter magnificentiam, quam dederat ei, universi populi, tribus et linguæ, tremebant et metuebant eum : quos volebat, interficiebat : et quos volebat, percutiebat : et quos volebat, exaltabat : et quos volebat, humiliabat. 20. Quando autem elevatum est cor ejus, et spiritus illius obfirmatum est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, et gloria ejus ablata est : 21. Et à filiis hominum ejectus est, sed et cor ejus cum bestiis positum est, et cum onagris erat habitatio ejus : fœnum quoque ut bos comedebat, et rore cœli corpus ejus infectum est, donec cognosceret quòd potestatem haberet Altissimus in regno hominum : et quemcunque voluerit, suscitabit super illud. 22. Tu quoque filius ejus Baltassar, non humiliasti cor tuum, cùm scires hæc omnia : 23. Sed adversùs Dominatorem cœli elevatus es : et vasa domûs ejus allata sunt coram te : et tu, et optimates tui, et uxores tuæ, et concubinæ tuæ, vinum bibistis in eis, deos quoque argenteos, et aureos, et æreos, ferreos, ligneosque, et lapideos, qui non vident, neque audiunt, neque sentiunt, laudasti : porrò Deum, qui habet statum tuum in manu sua, et omnes vias tuas, non glorificasti : 24. Idcircò ab eo missus est articulus manûs, quæ scripsit hoc, quod exaratum est. 25. Hæc est autem scriptura, quæ digesta est : MANE, THECEL, PHARES. 26. Et hæc est interpretatio sermonis. MANE : numeravit Deus regnum tuum, et complevit illud. 27. THECEL : appensus es in statera, et inventus es minus habens. 28. PHARES : dívisum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis.... 30. Eadem nocte interfectus est Ballassar Rex Chaldæus. 31. Et Darius Medus successit in regnum.

In persona AMAN. *Esther.* III. 1. Rex Assuerus exaltavit Aman filium Amadathi, qui erat de stirpe Agag : et posuit solium ejus super omnes principes, quos habebat, 2. Cunctique servi Regis, qui in foribus palatii versabantur, flectebant genua, et adorabant Aman : sic enim præceperat eis Imperator. Solus Mardochæus non flectebat genu, neque adorabat eum.... 5. Quod cùm audisset Aman, et experimento probasset, quod Mardochæus non flecteret sibi genu, nec se adoraret, iratus est valde,

6. et pro nihilo duxit in unum Mardochæum mittere manus suas : audierat enim quod esset gentis Judææ. Magisque voluit omnem Judæorum, qui erant in regno Assueri, perdere nationem....

v. 8. Si inveni in conspectu Regis gratiam, (inquit Esther Regina Assuero,) et si Regi placet ut det mihi quod postulo, et meam impleat petitionem : veniat Rex et Aman ad convivium quod paravi eis, et cras aperiam Regi voluntatem meam. 9. Egressus est itaque illo die Aman lætus et alacer. Cumque vidisset Mardochæum sedentem ante fores palatii, et non solùm non assurrexisse sibi, sed nec motum quidem de loco sessionis suæ, indignatus est valdè : 10. et dissimulatà irâ, reversus in domum suam, convocavit ad se amicos suos, et Zares uxorem suam : 11. et exposuit illis magnitudinem divitiarum suarum, filiorumque turbam, et quantâ eum glorià super omnes principes et servos suos Rex elevasset. 12. Et post hæc ait : Regina quoque Esther nullum alium vocavit ad convivium cum Rege, præter me : apud quam etiam cras cum Rege pransurus sum. 13. Et cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quandiù video Mardochæum Judæum sedentem ante fores Regias. 14. Responderuntque ei, Zares uxor ejus, et cæteri amici : Jube parari excelsam trabem, habentem altitudinis quinquaginta cubitos, et dic manè Regi ut appendatur super eam Mardochæus, et sic ibis cum Rege lætus ad convivium. Placuit ei consilium, et jussit excelsam parari crucem....

VII. 1. Intravit itaque Rex et Aman, ut biberent cum Regina. 2. Dixitque ei Rex.... Quæ est petitio tua Esther ut detur tibi?.... 3. Ad quem illa respondit : Si inveni gratiam in oculis tuis, O Rex, et si tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, et populum meum, pro quo obsecro. Traditi enim sumus ego et populus meus, ut conteramur, jugulemur, et pereamus.... 5. Respondensque Rex Assuerus ait : Quis est iste, et cujus potentiæ, ut hæc audeat facere? 6. Dixitque Esther : Hostis et inimicus noster pessimus iste est Aman. Quod ille audens, illicò obstupuit, vultum Regis ac Reginæ ferre non sustinens. 7. Rex autem iratus surrexit, et de loco convivii intravit in hortum arboribus consitum. Aman quoque surrexit, ut rogaret Esther Reginam pro animâ suâ : intellexit enim à Rege sibi paratum malum. 8. Qui cùm reversus esset de horto nemoribus consito, et intrasset convivii locum, reperit Aman super lectulum corruisse, in quo jacebat Esther, et ait : Etiam Reginam vult opprimere, me præsente, in domo meâ. Necdum verbum de ore Regis exierat, et statim operuerunt faciem ejus. 9. Dixitque Harbona, unus de Eunuchis, qui stabant in ministerio Regis : En lignum, quod paraverat Mardochæo, qui locutus est pro Rege, stat in domo Aman, habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui Rex dixit : Appendite eum in eo. 10. Suspensus est itaque Aman in patibulo, quod paraverat Mardochæo : et Regis ira quievit.

In ANTIOCHO *Rege.* 2. MACHAB. IX. (Antiochus) elatus in ira.... ita superbè locutus est se venturum Hierosolymam, et congeriem sepulcri Judæorum eam facturum. 5. Sed qui universa conspicit Dominus Deus Israël, percussit eum insanabili et invisibili plagâ. Ut enim finivit hunc ipsum sermonem, apprehendit eum dolor dirus viscerum, et amara internorum tormenta.... 7. Super hoc autem superbiâ repletus, ignem spirans animo in Judæos, et præcipiens accelerari negotium, contigit illum impetu eumtem de curru cadere, et gravi corporis collisione membra vexari. 8. Isque qui sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbiâ repletus.... nunc humiliatus.... manifestam Dei virtutem in semetipso contestans : 9. Ita ut de corpore impii vermes scaturirent, ac viventis in doloribus carnes ejus effluerent, odore etiam illius ac fœtore exercitus gravaretur. 10. Et qui paulò antè sidera cœli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare. 11. Hinc igitur cœpit ex gravi superbia deductus ad agnitionem sui venire, divinâ admonitus plagâ, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus. 12. Et cùm nec ipse jam fœtorem suum ferre posset, ita ait : Justum est subditum esse Deo, et mortalem non paria Deo sentire.... 28. Igitur homicida et blasphemus pessimè percussus, et ut ipse alios tractaverat, peregrè in montibus miserabili obitu vitâ functus est.

§. 2. De Avaritiâ.

I. Quid est Avaritia ?

R. Avaritia est libido habendi (*S. Aug. lib.* 14. *de Civit. Dei*, *c.* 15. *n.* 2.) seu inordinatus amor rerum temporalium.

I. Quandonam amor rerum temporalium est inordinatus ?

R. Quando cum cupiditate appetuntur, vel possidentur bona temporalia. (A)

I. Qua ratione discerni potest ea cupiditas ?

R. 1. Si immoderatè vel gaudeamus de possessione, vel doleamur de amissione seu privatione divitiarum. (B)

In Rege HERODE. *Actor.* XII. 21. Statuto autem die Herodes vestitus veste regiâ, sedit pro tribunali, et concionabatur ad eos. 22. Populus autem acclamabat : Dei voces, et non hominis. 23. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quòd non dedisset honorem Deo : et consumptus à vermibus, exspiravit.

(A) S. AUG. *De Civit. Dei*, *lib.* 12. *cap.* 8. Deficitur enim non ad mala, sed malè, id est, non ad malas naturas, sed ideò malè, quia contra ordinem naturarum ab eo quod summè est, ad id quod minus est. Neque enim auri vitium est avaritia, sed hominis perversè amantis aurum, justitiâ derelictâ, quæ incomparabiliter auro debuit anteponi.

Lib. 14. *c.* 15. *n.* 2. Voluptatem præcedit appetitus quidam, qui sentitur in carne quasi cupiditas ejus, sicut fames et sitis, et ea quæ in genitalibus usitatiùs libido nominatur, cùm hoc sit vocabulum generale omnis cupiditatis. Nam et ipsam iram nihil esse, quàm ulciscendi libidinem.... Est igitur libido ulciscendi, quæ ira dicitur : est libido habendi, quæ avaritia est. Est libido quomodocunque vincendi, ... quæ jactantia nuncupatur. Sunt multæ variæ libidines, quarum nonnullæ habent etiam vocabula propria, quædam verò non habent.

In Psal. LXI. *n.* 16. * *Divitiæ si fluant, ne apponatis cor....* Noli de te præsumere ; noli ibi te figere : .... Non vides quia si ibi cor posueris, et tu flues ?.... Et quid est, *ne apponatis cor ?* Neque sperare in incerto divitiarum. Ergo *divitiæ si fluant*, ne apponatis cor, ne in divitiis confidatis, non præsumatis, non speretis ; ne dicatur : *Ps.* LI. 9. Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et prævaluit in vanitate suâ.

(B) TERTULLIANUS, *de Patientiâ c.* 7... Si detrimento rei familiaris animus concitatur, omni penè in loco de contemnendo seculo Scripturis dominicis commonetur : nec major ad pecuniæ contemptum exhortatio subjacet, quàm quòd ipse Dominus in nullis divitiis invenitur : semper pauperes justificat, divites prædamnat. Ita detrimentum patientiæ, fastidium opulentiæ præministravit, demonstrans per abjectionem divitiarum, læsuras quoque earum computandas non esse. Quod ergo nobis appetere minimè opus est, quia nec Dominus appetivit, detruncatum vel etiam ademptum, non ægrè sustinere debemus. Cupiditatem omnium malorum radicem Spiritus Domini per Apostolum pronuntiavit. Eam non in concupiscentiâ alieni tantùm constitutam interpretemur : nam et quod nostrum videtur, alienum est ; nihil enim nostrum, quoniam Dei omnia, cujus ipsi quoque nos. Itaque si damno affecti impatienter senserimus, non de nostro amissum dolentes, affines cupiditatis deprehendemur. Alienum quærimus, cùm alienum amissum dolenter ægrè sustinemus. Qui damni impatientiâ concitatur, terrena cœlestibus anteponendo, de proximo in Deum peccat. Spiritum enim, quem à Domino sumpsit, secularis rei gratiâ concutit. Libenter igitur terrena amittamus, cœlestia tueamur. Totum licèt seculum pereat, dùm patientiam lucrifaciam. Jam qui minutum sibi aliquid, aut furto, aut vi, aut etiam ignaviâ, non constanter sustinere constituit ; nescio an facilè, vel ex animo ipse rei suæ manum inferre posset in causâ eleemosynæ. Quis enim ab alio secari omninò non sustinens, ipse ferrum in corpore suo ducit ? Patientia in detrimentis exercitatio est [illegible]

communicandi. Non piget donare eum, qui non timet perdere. Alioquin quomodo duas habens tunicas, alteram earum nudo dabit, nisi idem sit, qui auferenti tunicam, etiam pallium offerre possit? Quomodo amicos de mammonâ fabricabimus nobis, si eum in tantùm amaverimus, ut amissum non sufferamus? Veribimus cum perdito. Quid hic invenimus, ubi habemus amittere, Gentilium est omnibus detrimentis impatientiam adhibere.... Nos verò secundùm diversitatem, quâ cum illis sumus, non animam pro pecuniâ, sed pecuniam pro animâ deponere convenit; seu sponte in largiendo, seu patienter in amittendo.

S. CYPRIANUS, *de Lapsis*, *pag.* 124. *Edit. Oxonii* 1682. *in fol. mihi* 88. Studebant augendo patrimonio singuli; et obliti quid credentes, aut sub Apostolis antè fecissent, aut semper facere deberent, insatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant.... Episcopi plurimi.... per alienas provincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari. Esurientibus in Ecclesiâ fratribus non subvenire, habere argentum largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, usuris multiplicantibus fœnus augere. Quid non perpeti tales pro peccatis ejusmodi mereremur?

P. 126. *mihi* 90. Dissimulanda, fratres, veritas non est, nec vulneris nostri materia et causa reticenda. Decepit multos patrimonii sui amor cæcus; nec ad recedendum parati aut expediti esse potuerunt, quos facultates suæ velut compedes ligaverunt. Illa fuerunt remanentibus vincula, illæ catenæ, quibus et virtus retardata est, et fides pressa, et mens vincta, et anima præclusa; ut serpenti terram secundùm Dei sententiam devoranti, præda et cibus fierent, qui terrestribus cupiditatibus inhærerent. Et idcircò Dominus bonorum magister, et præmonens et consulens in futurum: *Si vis*, inquit (*Matth.* XIX. 21.), *perfectus esse, vade, vende omnia tua, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlis: et veni, sequere me.* Si hoc divites facerent, per divitias suas non perirent; thesaurum in cœlo reponentes, hostem nunc expugnatorem domesticum non haberent: esset in cœlo cor et animus et sensus, si thesaurus esset in cœlo. Nec vinci à seculo posset, qui undè vinceretur in seculo, non haberet: sequeretur Dominum solutus et liber, ut Apostoli, et sub Apostolis multi; et nonnulli sæpè fecerunt, qui et rebus suis et parentibus derelictis, individuis Christo nexibus adhæserunt. Sequi autem Christum quomodò possunt, qui patrimonii vinculo detinentur? Aut quomodò cœlum petunt, et ad sublimia et alta conscendunt, qui terrenis cupiditatibus degravantur? Possidere se credunt, qui potiùs possidentur; censûs sui servi, nec ad pecuniam suam Domini, sed magis pecuniæ mancipati. Hoc tempus, hos homines Apostolus denotat dicens (1. *Tim.* VI. 9.): *Qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et muscipulam et desideria multa et nocentia, quæ mergunt homines in perditionem et interitum. Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes naufragaverunt à fide, et inseruerunt se doloribus multis.* Dominus autem quibus nos præmiis ad contemptum rei familiaris invitat? Parva hæc et exigua hujus temporis damna quibus mercedibus pensat? *Nemo est*, inquit (*Marc.* X. 29.), *qui relinquat domum aut agrum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum Dei; et non recipiat centies tantum in isto tempore, in seculo autem venturo vitam æternam.* Quibus cognitis, et de Domini pollicentis veritate compertis, non tantùm timenda non est ejusmodi, sed et optanda jactura.

S. AUG. *Serm.* 107. *aliàs de tempor.* 196. *et de diversis* 28. *c.* 3. *n.* 4. *Cavete ab omni cupiditate.* Forte tu avarum et cupidum diceres, si quæreret aliena: ego autem dico: Cupidè et avarè non appelas nec tua.... Non solùm avarus est, qui rapit aliena: sed et ille avarus est, qui cupidè servat sua. Sed si sic culpatur, qui cupidè servat sua; quomodo damnatur, qui rapit aliena?

Cap. 7. *n.* 8. *Cavete ab omni avaritia.* Ecce amas tua, et jactas te, quia non quæris aliena... Si non audieris illum qui dixit, *Cavete ab omni avaritiâ*, audi quanta mala facturus es propter tua. Ecce contingit, verbi gratiâ, ut fieres judex. Non corrumperis, quia non quæris aliena: nemo tibi dat præmium, et dicit, Judica contra adversarium meum. Absit.

2. Si per nefas contra Dei præceptum eas vel comparemus vel retineamus. (C)

homo qui non quæris aliena, quando tibi hoc persuaderi potest? Vide quid mali facturus sis propter tua. Ille qui vult ut malè judices, et pro ipso feras sententiam contra adversarium ipsius, fortè potens homo est, et potest tibi calumniam facere, ut perdas tua. Attendis potentiam ipsius, cogitas illam, cogitas tua, quæ servas, quæ amas: non quæ possedisti, sed quibus malè inhæsisti. Attendis viscum tuum, propter quod liberas virtutis non habes pennas; et dicis apud te ipsum: Offendo hominem istum, multum potest ad tempus; suggeret de me mala, et proscribor, et perdo quod habeo. Judicaturus es malè, non cùm quæris aliena, sed cùm servas tua.

Cap. 9. *n.* 10. Parum est avaritia pecuniæ, cave avaritiam vitæ. Horrenda avaritia, metuenda avaritia.... Aliquando homo contemnit quod habet, et dicit: Non dico falsum testimonium. Non dico, dicis mihi: tollo quod habes. Tolle quod habeo; non tollis quod intus habeo.... Sed quid si dicat, cùm contempseris ea, quæ possides, quid si dicat: Occido te? Responde illi, si Christum audisti: Occides me? Meliùs tu occides carnem meam, quàm ego per linguam falsam animam meam. Quid facturus es mihi? Occisurus es carnem? exit anima libera, in fine seculi et ipsam quam contempsit carnem receptura.... Fortè hoc non dicis. Unde non dicis? Vivere vis: plus vis vivere, quàm Deus constituit? Certè caves ab omni avaritia? Huc usque Deus voluit ut vivas, quò usque iste ad te accessit. Fortè te occisurus est, ut Martyrem faciat. Noli habere cupiditatem vivendi: et non habes æternitatem moriendi. Videtis quia ubique avaritia illa, cùm plus volumus quàm opus est, facit nos peccare? Caveamus ab omni avaritiâ, si volumus frui æternâ sapientiâ.

De Fide et operibus c. 16. *n.* 27.... Porrò si circa divitias suas carnali quodam teneretur affectu, quamvis ex eis multas eleemosynas faceret, nec ad eas augendas fraudis aliquid rapinæque moliretur, aut earum minuendarum vel amittendarem metu in aliquod facinus flagitiumve laberetur.... sed propter carnalem,.... quem in eis haberet affectum, quo talibus bonis sine dolore carere non posset, ædificaret super fundamentum illud ligna, fœnum, stipulam.... Hæc igitur, quoniam affectu dilecta carnali, non sine dolore amittuntur, propterea qui ea sic habent, ut habeant in fundamento fidem, quæ per dilectionem operatur, neque huic ista ullâ ratione vel cupiditate præponant, in eorum amissione passi detrimentum, per ignem quemdam doloris perveniunt ad salutem, A quo dolore atque detrimento tantò est quisque securior, quanto ea vel minùs amaverit, vel tanquam non habens habuerit.

S. Basil. *Homilia* 8. *in divites avaros.* Probationis gratiâ tales calamitates hominibus infligantur, ut per labores probentur, et de ipsorum fide ac constantia, sive sint divites, sive pauperes, periculum fiat. Utrique namque per patientiam exactè probantur.

(C) Isai. xxxiii. 1. Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis?... Cùm consummaveris deprædationem, deprædaberis....

Habacuc ii. 6.... Væ ei, qui multiplicat non sua. Usquequò et aggravat contra se densum lutum? 7. Nunquid non repentè consurgent qui mordeant te: et suscitabuntur lacerantes te, et eris in rapinam eis? 8. Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes.... 9. Væ qui congregat avaritiam malam domui suæ.... 10. Concidisti populos multos.

S. Aug. *Serm.* 107. *alias de tempore* 196. *et de diversis* 28. *Vide supra litt.* (B) *hocce* §.

S. Ambros. *Lib. de Nabuthe cap.* 7. *n.* 35. Conficitur avarus semper ubertate proventuum.... Fertilitas enim universorum est, sterilitas soli avaro est quæstuosa. Delectatur magis enormitate pretiorum, quàm abundantiâ copiarum.

D. Basil. *Homil.* 6. *in ditescent. avar.* Cur tu dives es, ille pauper? Profectò non ob aliam causam, nisi ut tu benignitatis ac fidelis administrationis mercedem accipias, ille verò patientiæ maximis præmiis honoretur. Tu verò insatiabilis avaritiæ lacertis omnia circumplexus, et tot

3. Si avidiùs eas vel appetamus, vel possideamus et servemus. (D)

4. Si utamur iis ultra, vel citra modum necessitatis, ad explendam vel superbiam, vel concupiscentiam oculorum, vel concupiscentiam carnis. (E)

5. Si quidquid superfluit non expendamus in pauperes. (F)

I. Qua ratione cognosci potest num sit animus à cupiditate divitiarum alienus ?

R. 1. Si quis neque se earum possessione beatum, neque earum privatione miserum et infelicem existimet : si neque de earum possessione nimiùm gaudeat, neque de earum privatione nimiùm doleat.

2. Si paupertatem præferat divitiis malè partis et contra fas retentis.

3. Si divitiis legitimè acquisitis non utatur ad cupiditatem, sed ad necessitatem solùm.

homines illis privans, neminem te lædere putas. Quis quæso, est avarus ? Ille qui eo quod satis esse debet, non est contentus. Quis verò peculator ? Ille qui ad se unum transfert quæ singulorum sunt. Tu ergo non avarus ? non tu peculator, cùm ea, quæ ad dispensandum distribuendumque receperis, tibi propria facis ? Num qui vestem diripuerit, spoliator nominabitur : qui autem nudum non texerit modò possit, alterius cujusdam nominis appellatione dignus erit ? Esurientis est panis, quem tu retines : nudi est vestis, quam in arca custodis : discalceati, calceus, qui apud te marcessit : egentis argentum, quod tu terræ infossum possides. Quare tot injurius es hominibus, in quot poteras opem conferre ?

(D) *Vide auctoritates Patrum suprà litt.* (B) *hocce Paragrapho.*

(E) Isaï. v. 8. Væ, qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis.... Nunquid habitatis vos soli in medio terræ ?.... 11. Væ, qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis. 12. Cithara, et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris : et opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis.... 14. Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino : et descendent fortes ejus, et sublimes gloriosique ejus, ad eum.

Amos. vi. 1. Væ, qui opulenti estis in Sion.... ingredientes pompaticè domum Israel. 4. Qui dormitis in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris : qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti. 5. Qui canitis ad vocem psalterii : sicut David putaverunt se habere vasa cantici. 6. Bibentes vinum in phialis, et optimo unguento delibuti : nihil patiebantur super contritione Joseph.

Luc. vi. 24.... Væ, vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. 25. Væ vobis, qui saturati estis : quia esurietis.

1. Timoth. vi. 8. Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. 9. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. 10. Radix enim omnium malorum est cupiditas : quam quidam appetentes erraverunt à fide, et inseruerunt se doloribus multis.

S. Ambros. *De Nabuthe cap.* 3. *n.* 13. Non vendas agrum tuum pro nocte meretricis : non transfundas jus tuum pro sumptu comessationis, deliciarumque impensis : non adjudices domum tuam ad ludum aleæ, ne jus hæreditariæ pietatis amittas.

(F) 1. Timoth. vi. 17. Divitibus hujus seculi præcipe non sublimè sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum ; 18. Benè agere, divites fieri in operibus bonis, facilè tribuere, communicare, 19. thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.

4. Si quidquid superest et sibi et suis, in pia opera expendat. (G)

S. Aug. *Serm.* 86. *aliàs de diversis* 43. *c.* 1. *n.* 1. Neque enim sicut avari putant, Deus noster perdere nos voluit res nostras.... Non nobis præcepit ut perderemus, sed locum ostendit ubi poneremus : nemo enim potest nisi cogitare de thesauro suo, et quodam cordis itinere divitias suas sequi. Si ergo in terra obruuntur, ima petit cor : si autem in cœlo reservantur, sursum erit cor.... Qui ergo vult cor suum habere, ibi ponat quod amat ; et in terra positus carne, cum Christo habitet corde.

Cap. 2. *n.* 2. (*Matth.* xix. 21).... Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo.... Fortè times ne perdas.... custos auri tui erit Deus tuus. Qui dedit in terra, ipse servat in cœlo.

Cap. 3. *n.* 3. Nemo timeat erogare pauperibus.... ille accipit, qui jussit ut dares.... Esurivi, inquit (*Matth.* xxv. 35.), et dedistis mihi manducare.... cùm uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Mendicat pauper, sed accipit dives..., neque hoc redditurus quod accipit : fœnerari se voluit, plus promittit quàm dederis : exere nunc avaritiam tuam, te puta fœneratorem.

Cap. 7. *n.* 7. Contraria jubebant avaritia et luxuria, ita ut ambabus obtemperare non posses : et dicebat una, Serva tibi, et consule in posterum : dicebat alia, Eroga, fac benè cum anima tua. Procedat Dominus tuus eadem dicturus, et contraria non dicturus Redemptor tuus.

Cap. 9. *n.* 10. Serva tibi, ait Dominus tuus, consule in posterum. Et hunc interroga, Ubi servabo ? *Habebis thesaurum in cœlo ;* ubi fur non accedet, neque tinea corrumpet. In quantum posterum servabis ? Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.... Hoc est, consulere in posterum.

Cap. 10. *n.* 11. Intendite fratres, intendite quia avaritia excusationem non habet, neque hic neque in futuro seculo.... Quod facere nonnulli avari solent, fac trajectitium ; da in peregrinos quod recipias in patriâ tuâ.

Cap. 11. *n.* 13. Fac locum Christo cum filiis tuis, accedat familiæ tuæ Dominus tuus, accedat ad prolem creator tuus, accedat ad numerum filiorum tuorum frater tuus... Duos filios habes, tertium illum computa : tres habes, quartus numeretur ; quintum habes, sextus dicatur : decem habes, undecimus sit.... unius filii tui serva locum Domino tuo. Quod enim dabis Domino tuo, et tibi proderit et filiis tuis : quod autem malè servas filiis tuis, et tibi oberit et filiis. Dabis autem portionem unam, quam unius filii deputasti. Deputa te unum ampliùs genuisse.

S. Ambros. *De Nabuthe cap.* 13. *n.* 56. Parietes vestitis, nudatis homines. Clamat ante domum tuam nudus, et negligis : clamat homo nudus, et tu sollicitus es quibus marmoribus pavimenta tua vestiaris. Pecuniam pauper quærit, et non habet : panem postulat homo, et equus tuus aurum sub dentibus mandit.... Quantum, ò dives, sumis tibi judicium ? Populus esurit, et tu horrea claudis : populus deplorat, et tu gemmam tuam versas. Infelix, cujus in potestate est tantorum animas à morte defendere, et non est voluntas. Totius vitam populi poterat annuli tui gemma servare.

S. Basilius *homiliâ in ditescentes avaros*, *tom.* 1. *pag.* 338. *edit. Morelli Paris.* 1638. *mihi pag.* 155. Parietes vestis, hominem non vestis ? Equos phaleris ornas, fratrem tuum laceris amictum pannis aspernaris ? Frumentum retinendo spernis, esurientes non respicis ? Aurum in terram condis, et oppressum non curas ?.... Annulus tuus quantum æris alieni posset exsolvere ? quot domos ob inopiam ruentes conservare ? Una tantùm tuarum vestium arcula totum populum frigore rigentem amicire posset. Verùm sustines inexoratus abs te pauperem rejicere, nec metuis judicis minas.... Non aperuisti domum tuam ? A regno Dei excluderis. Non dedisti panem ? Non vitam recipies æternam.

(G) Psal. lxi. 11. Nolite sperare in iniquitate, et rapinas nolite concupiscere : divitiæ si affluant, nolite cor apponere.

Prov. xxiii. 4. Noli laborare ut diteris.

Eccle. v. 9. Avarus non implebitur pecuniâ ; et qui amat divitias fructum non capiet ex eis : et hoc ergo vanitas. 10. Ubi multæ sunt opes,

I. Si res ita se habet, video paucos admodum, qui avaritiæ labe non inficiantur ?

R. Et quidem pancissimi sunt, quos avaritia non perdat; et quod dolendum magis, id ferè recogitat nemo.

Avaritiæ nomine ferè fingunt homines aliud quàm quod res est.

Ab eà labe alienos esse se existimant, qui per nefas pecuniam nec sibi comparant, nec retinent; qui, ut fert res familiaris, ita vivunt, adeò ut nihil sit in sumptu sordidum aut nimis parcum. Benè id quidem : sed non satis. *Neque* multi et qui comedunt eas. Et quid prodest possessori, nisi quòd cernit divitias oculis suis ?

ECCLI. XXXI. 8. Beatus dives, qui inventus est sine maculâ ; et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniâ, et thesauris.... 11. Ideò stabilita sunt bona illius in Domino, et eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia sanctorum.

MATTH. VI. 24. Non potestis Deo servire et mammonæ.

XIX. 21... Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus.... 23. Amen dico vobis, quia dives difficilè intrabit in regnum cœlorum. 24. Et iterùm dico vobis : facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum.... 29. Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.

Eadem leguntur LUC. XVIII. 20.

Nunc contemptus divitiarum, immò paupertatis spontaneæ exempla ex Scripturis accipe : ac primò in B. JOB. *qui postquam divitias maximas possedisset, cùm, uno eodemque die, omnes aut furto ablatas, aut igne consumptas fuisse illi nuntiatum fuisset, hæc ait :*

Job. I. 21. Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc : Dominus dedit, Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum.

In JESU CHRISTO *Domino nostro omnium virtutum exemplari.*

Matth. VIII. 20. Filius hominis non habet ubi caput reclinet.

In APOSTOLIS. *Matth.* XIX. 27.... Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te.

In S. PETRO. *Act.* III. 6. Petrus autem dixit : Argentum et aurum non est mihi.

In S. PAULO. *Act.* XX. 33. Argentum, et aurum, aut vestem nullius concupivi;.... 34. quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. 35. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes, oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit : Beatius est magis dare, quàm accipere.

1. *Cor.* IV. 11. Usque in hanc horam, et esurimus, et sitimus, et nudi sumus. 12. Et laboramus, operantes manibus nostris.

2. *Cor.* XI. 27. In fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate.

In S. BARNABA. *Act.* IV. 36. Joseph autem, qui cognominatus est Barnabas.... 37. cum haberet agrum, vendidit eum, et attulit pretium, et posuit ante pedes Apostolorum.

In omnibus CHRISTIANIS, *primis Ecclesiæ seculis.*

Act. II. 44. Omnes etiam qui credebant, erant pariter, et habebant omnia communia. 45. Possessiones et substantias vendebant, dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.

IV. 32. Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una : nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. 33. Et gratia magna erat in omnibus illis.

enim ille solùm est avarus, qui rapit aliena, sed etiam qui nimis cupidè servat sua. (*S. August. Serm.* 107. *aliàs* 196. *de temp. c.* 3. *n.* 4.) Id si ita est, pauci divites non avari. Quin et sine divitiis avaritia esse potest. Avarus est et pauper, qui divitias amat et qui se præ paupertate miserum et infelicem putat. (H)

I. Quænam est avaritiæ mater?

R. Concupiscentia triplex. Neque enim homines pecuniis inhiant, nisi ut harum possessione possint explere concupiscentiam carnis, vel concupiscentiam oculorum, vel superbiam vitæ, vel triplicem hanc concupiscentiàm simul. (I)

34. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, 35. et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat.

(H) S. Aug. *Enarr. in Psal.* 51. *c.* 9. *n.* 14. *Ecce homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum.* Non dicat pauper fortè malus: Ego non sum de hoc corpore. Audivit enim Prophetam dicentem, *speravit in multitudine divitiarum suarum:* continuò si pauper est, attendit pannos suos, respexit juxta se fortè divitem in populo Dei ornatius vestitum, et ait in corde suo: De isto dicit, nunquid de me? Noli indè te excipere, noli separare, nisi videris et timueris, ut posteà rideas. Nam quid tibi prodest, si eges facultate et ardes cupiditate?.... Cùm Dominus dixisset: Faciliùs est camelum transire per foramen acûs, quàm divitem intrare in Regnum cœlorum: illi (Apostoli) apud se dicentes, Quisnam poterit salvari, quid attenderunt? Non facultates, sed cupiditates. Viderunt enim etiam ipsos pauperes, etsi non habentes pecuniam, tamen habere avaritiam.... Lege Scripturas, et invenies divitem Abraham, ut noveris quia non divitiæ culpantur: Habebat Abraham multum auri, argenti, pecorum, familiæ, dives erat, et in ejus sinum pauper Lazarus sublatus est. In sinum divitis pauper; an potiùs ambo Deo divites, ambo à cupiditate pauperes?

N. 15.... Non quia habuit divitias, sed quia in ipsis speravit, et in Deo non speravit, ideò damnatur, ideò punitur, ideò movetur de tabernaculo „... *sicut pulvis, quem projicit ventus à facie terræ* (*Ps.* I. 4.), ideò exstirpatur radix ejus de terrâ viventium.... Quid in illis reprehenditur? Non quia ista habuerint; nam et boni habent ista: sed quid? Hoc intendite: ne passim divites reprehendatis, et rursus, ne de paupertate et de egestate præsumatis. Si enim non est præsumendum de divitiis, quantò magis non est præsumendum de paupertate, sed de Deo vivo? In quo ergo isti notantur? Quia beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. (*Ps.* CXLIII. 15.) Ideò filii alieni, (*Ibid.* 8.) os eorum locutum est vanitatem: et dextera eorum dextera iniquitatis. Tu autem quid? (*Ibid.* 15.) Beatus populus cujus est Dominus Deus ipsius.

Serm. 108. *de verbis Evang. Lucæ* 12. *aliàs de tempore* 196. *et de diversis* 28. *cap.* 3. *n.* 4. *Cavete ab omni avaritiâ.* (*Luc.* XII. 15.) Magnum pondus. Si fortè hoc pondus infirmis imponitur, rogetur, ut qui imponit, vires dare dignetur. Non enim leviter habendum est quando Dominus noster dicit, *Cavete.* Novit ille quantum mali sit, nos non novimus, illi credamus... Cavete, inquit, ab omni cupiditate: quia non in abundantia hominis est vita ejus ex his, quæ ibi habet. Multa qui recondit, quantum inde tollit ut vivat? Cùm tulerit indè, et quodammodo cogitatione separaverit quod sufficiat undè vivat, videat cætera cui remaneant: ne fortè cùm servas undè vivas, colligas undè moriaris. Ecce Christus, ecce veritas, ecce severitas. *Cavete*, dicit veritas: *Cavete*, dicit severitas. Si non amas veritatem, time severitatem. *Non in abundantia hominis est vita ejus ex his, quæ habet.* Crede illi, non te fallit. Contrà tu dicis: Immò in abundantia hominis est vita ejus ex his quæ habet. Ille te non fallit: tu te fallis.

(I) S. Aug. *Confess. Lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 16. In facinoribus, ubi libido est.... adipiscendi alicujus extra commodi, sicut latro viatori; vel evi-

I. Estne avaritia grande peccatum ?

R. Est certè. **Hanc enim Apostolus vocat omnium peccatorum radicem.** (K)

tandi mali, sicut ei qui timetur; vel invidendo, sicut feliciori miserior: aut in aliquo prosperatus, ei quem sibi æquari timet, aut æqualem dolet;.... hæc sunt capita iniquitatis, quæ pullulant principandi et spectandi et sentiendi libidine, aut unâ, aut duabus earum, aut simul omnibus.

Enar. in Ps. XIII. *n.* 13. Intuere etiam pisces maris, hoc est, curiosos; qui perambulant semitas maris, id est, inquirunt in profundo hujus seculi temporalia : quæ, tanquam semitæ in mari, tam citò evanescunt et intereunt, quàm rursùs aqua confunditur, postquam transeuntibus locum dederit vel navibus vel quibuscunque ambulantibus aut natantibus. Non enim ait tantùm : Ambulant semitas maris; sed *perambulant* dixit : ostendens pertinacissimum studium inania et prælabentia requirentium. Hæc autem tria genera vitiorum, id est, voluptas carnis, et superbia, et curiositas, omnia peccata concludunt.

(K) *Multis Scripturæ sententiis damnatur avaritia.*

PROV. XI. 26. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis : benedictio autem super caput vendentium.

SAPIENT. XV. 19. (Mali) æstimaverunt.... conversationem vitæ compositam ad lucrum, et oportere undequaque etiam ex malo acquirere.

ECCLI. X. 9. Avaro autem nihil est scelestius.... 10. nihil est iniquius; quàm amare pecuniam, hic enim et animam suam venalem habet : quoniam in vitâ suâ projecit intima sua.

ISAI. V. 8. *Vide suprà litt.* (E) *hocce §.*

AMOS. V. 11. Idcircò, pro eo quòd diripiebatis pauperem, et prædam electam tollebatis ab eo : .... 12. Cognovi multa scelera vestra, et fortia peccata vestra : hostes justi accipientes munus, et pauperes deprimentes in portâ.

VIII. 4. Audite hoc qui conteritis pauperem, et deficere facitis egenos terræ, 5. dicentes : Quandò transibit mensis, et venundabimus merces; et sabbatum, et aperiemus frumentum : ut imminuamus mensuram, et augeamus siclum, et supponamus stateras dolosas, 6. ut possideamus in argento egenos, et pauperes pro calceamentis, et quisquilias frumenti vendamus ?

IX. 1.... Avaritia enim in capite omnium, et novissimum eorum in gladio interficiam.

1. COR. VI. 10. Neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.

EPHES. V. 3. Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos.... 5. Hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei.

COLOSS. III. 5. Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus.

1. TIMOTH. VI. 10. Radix omnium malorum est cupiditas.

HEBR. XIII. 5. Sint mores sine avaritiâ, contenti præsentibus.

D. BASILIUS *Homilia* 7. *in divites avaros, pag.* 157. Quousque igitur opes erunt animarum laqueus, mortis hamus, peccati esca ? Quousque divitiæ erunt belli materia : per quas fabricantur arma, et enses acuuntur ? Propter opes, inquam, propinqui cognati naturam negant, fratres inter se digladiantur, loca deserta grassatoribus referciuntur, mare piratis, civitates calumniatoribus complentur. Quis mendacii pater est ? Quis falsæ accusationis minister ? Quis perjurii genitor ? Nonne divitiæ ac circa divitias studium ?

Quam de avaritiâ et avaris vindictam sumpserit Deus, disce exemplis sequentibus.

Exemplo ACHAN. *Josue.* VII. 11. Peccavit Israel, et prævaricatus est pac-

tum meum : tuleruntque de anathemate, et furati sunt atque mentiti, et absconderunt inter vasa sua... 19. Non ero ultrà vobiscum donec conteratis eum, qui hujus sceleris reus est.... 15. Et quicunque ille in hoc fuerit deprehensus, comburetur igni, cum omni substantiâ suâ : quoniam.... fecit nefas in Israël.... 19. Et ait Josue ad Achan : Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas. 20. Respondítque Achan Josue, et dixit ei : Verè ego peccavi Domino Deo Israel, et sic et sic feci. 21. Vidi enim inter spolia pallium coccineum valdè bonum, et ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum : et concupiscens abstuli, et abscondi in terrâ contra medium tabernaculi mei, argentumque fossâ humo operui.... 25. Dixit Josue : Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hâc. Lapidavitque eum (Achan) omnis Israël : et cuncta, quæ illius erant, igne consumpta sunt.

Exemplo NABAL. 1. *Reg.* XXV. 2. Erat autem vir quispiam in solitudine Maon, et possessio ejus in Carmelo, et homo ille magnus nimis ; eruntque ei oves tria millia, et mille capræ ; et accidit ut tonderetur grex ejus in Carmelo. 3. Nomen autem viri illius erat Nabal : et nomen uxoris ejus Abigaïl. Eratque mulier illa prudentissima et speciosa : porrò vir ejus durus, et pessimus, et malitiosus.... 4. Cùm ergo audisset David in deserto, quòd tonderet Nabal gregem suum, 5. misit decem juvenes, et dixit eis : Ascendite in Carmelum.... ad Nabal, et salutabitis eum, in nomine meo pacificè, 6. et dicetis.... 8.... Inveniant pueri tui gratiam in oculis tuis :... quodcunque invenerit manus tua, da servis tuis, et filio tuo David.... 10. Respondens autem Nabal pueris David, ait : Quis est David ? Et quis est filius Isaï ? Hodiè increverunt servi, qui fugiunt dominos suos. 11. Tollam ergo panes meos, et aquas meas, et carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, et dabo viris, quos nescio undè sint ? 12. Regressi sunt itaque pueri David per viam suam, et reversi venerunt, et nuntiaverunt ei omnia verba quæ dixerat. 13. Tunc ait David pueris suis : Accingatur unusquisque gladio suo, et accincti sunt singuli gladiis suis, accinctusque est et David ense suo : et secuti sunt David quasi quadringinti viri... 14. Abigaïl autem uxori Nabal nuntiavit unus de pueris suis, dicens : Ecce David misit nuntios de deserto, ut benedicerent domino nostro : et aversatus est eos.... 17.... Considera, et recogita quid facias : quoniam completa est malitia adversùm virum tuum et adversùm domum tuam, et ipse est filius Belial, ita ut nemo possit ei loqui. 18. Festinavit igitur Abigaïl, et tulit ducentos panes, et duos utres vini, et quinque arietes coctos, et quinque sata polentæ, et centum ligaturas uvæ passæ, et ducentas massas caricarum, et posuit super asinos :.... 23. Cùm autem vidisset Abigaïl David, festinavit, et descendit de asino, et procidit coram David super faciem suam, et adoravit super terram, 24. et cecidit ad pedes ejus, et dixit : In me sit, domine mi, hæc iniquitas :.... 25. Ne ponat, oro, dominus meus rex cor suum super virum istum iniquum Nabal : quoniam secundùm nomen suum stultus est, et stultitia est cum eo : ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos, domine mi, quos misisti.... 27. Quapropter suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi domino meo : et da pueris, qui sequuntur te dominum meum.... 35.... Suscepit ergo David de manu ejus omnia, quæ attulerat ei.... 37. Indicavit ei (Nabali) uxor sua verba hæc, et emortuum est cor ejus intrinsecùs, et factus est quasi lapis. 38. Cùmque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, et mortuus est. 39. Quod cùm audisset David mortuum Nabal, ait : Benedictus Dominus, qui judicavit causam opprobrii mei de manu Nabal, et servum suum custodivit à malo, et malitiam Nabal reddidit Dominus in caput ejus.

Exemplo JUDÆ *traditoris. Matth.* XXVI. 14. Abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad principes Sacerdotum : 15. Et ait illis : Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam ? At illi constituerunt ei triginta argenteos. 16. Et exindè quærebat opportunitatem, ut eum traderet... Vespere autem facto, discumbebat (Jesus) cum duodecim Discipulis suis. 21. Et edentibus illis, dixit : Amen dico vobis, quia unus vestrùm me traditurus est. 22. Et contristati valdè, cœperunt singuli dicere : Nunquid ego sum Domine ? 23. At ipse respondens, ait : Qui intingit mecum

I. Quænam peccata specialiùs ab avaritiâ prodeunt?

R. Septem enumerantur à Sancto Gregorio Magno : (*Lib.* 31. *Moral. in Job. cap.* 17. *paulò ante finem.*) 1. Proditio. 2. Fraus. 3. Fallacia. 4. Perjurium. 5. Inquietudo, id est, nimia rerum temporalium sollicitudo. 6. Violentia. 7. Contra misericordiam obduratio. (L)

manum in paropside, hic me tradet. 24. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo : væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur : bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. 25. Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit : Nunquid ego sum, Rabbi? Ait illi : Tu dixisti.... 47. Adhuc eo (Jesu) loquente, ecce Judas unus de duodecim venit, et cum eo turba multa, cum gladiis et fustibus, missi à principibus Sacerdotum, et senioribus populi. 48. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens : Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. 49. Et confestim accedens ad Jesum, dixit : Ave Rabbi. Et osculatus est eum. 50. Dixit illi Jesus : Amice, ad quid venisti? Tunc accesserunt, et manus injecerunt in Jesum, et tenuerunt eum....

XXVII. 2. Et vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato Præsidi. 3. Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum et senioribus, 4. dicens : Peccavi, tradens sanguinem justum.... 5. Et projectis argenteis in Templo, recessit : et abiens laqueo se suspendit.

Exemplo DIVITIS EPULONIS. *Luc.* XXI. 19. Homo quidam erat dives, qui inducbatur purpurâ, et bysso : et epulabatur quotidiè splendidè. 20. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus, 21. cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensâ divitis, et nemo illi dabat : sed et canes veniebant, et lingebant vulnera ejus. 22. Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem et dives, et sepultus est in inferno. 34. Elevans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, et Lazarum in sinum ejus : 24. et ipse clamans, dixit : Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. 25. Et dixit illi Abraham : Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.

Exemplo ANANIÆ *et* SAPHIRÆ. *Act.* V. 1. Vir autem quidam nomine Ananias, cum Saphirâ uxore suâ, vendidit agrum, 2. Et fraudavit de pretio agri, conscià uxore suâ; et afferens partem quamdam, ad pedes Apostolorum posuit. 3. Dixit autem Petrus : Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, et fraudare de pretio agri? 4. Nonne manens tibi manebat, et venundatum in tuâ erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem, non es mentitus hominibus, sed Deo. 5. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit et exspiravit... 6. Surgentes autem juvenes amoverunt eum, et efferentes sepelierunt. 7. Factum est autem quasi horarum trium spatium, et uxor ipsius, nesciens quod factum fuerat, introivit. 8. Dixit autem ei Petrus : Dic mihi mulier, si tanti agrum vendidistis? At illa dixit : Etiam tanti. 9. Petrus autem ad eam : Quid utrique convenit vobis tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum, ad ostium, et efferent te. 10. Confestim cecidit ante pedes ejus, et exspiravit. Intrantes autem juvenes invenerunt illam mortuam, et extulerunt, et sepelierunt ad virum suum. 11. Et factus est timor magnus in universâ Ecclesiâ, et in omnes, qui audierunt hæc.

(L) S. GREG. MAGN. *Lib.* 31. *Moral. in Job. cap.* 17. *Vide suprà Cap.* 1. §. 3. *hujusce Sect. litt.* (G)

S. AMBROS. *de Nabuthe, c.* 4. *n.* 23.... Pauper, te præsente, deplorat, et tibi avaritia aurem obstruit, nec mens tua facti miserabilis horrore mollitur. Totus populus ingemiscit et solus dives non flecteris. (*Eccli.* XXIX. 13.) *Perde pecuniam propter fratrem, et amicum, et non abscondas eam sub lapide in mortem.* Est languor malus (*Eccle.* V. 12.) quem vidi sub sole, divi-

I. Quandonam avaritia mortale peccatum est?

R. Quando minùs diligitur Deus quàm pecunia.

I. Quandonam veniale?

R. Quando diligitur quidem contra ordinem pecunia, sed ita tamen ut amor Dei in corde præponderet.

I. Quinam sunt ab omni prorsùs avaritiæ labe alieni?

R. Qui pecuniam nullatenùs diligunt.

I. Quænam sunt adversùs avaritiam remedia? Qui ratione potest animus ab omni prorsùs cupiditate, ut Christianum decet, avelli?

R. Avaritiam pellunt oratio (M), eleemosyna (N), voluntias custodiri in malum possidentis eas..... Cum uxore conferas, illa te hortetur, ut redimas venundatum. Imò magis hortabitur, ut mundum muliebrem conferas, undè potes vel parvo pauperem liberare. Illa tibi imponet sumptuum necessitatem; ut gemmâ bibat, in ostro dormiat, in argentea sponda recumbat, auro oneret manus, cervicem monilibus.

N. 26. Delectantur compedibus mulieres, dummodò auro ligentur; non putant onera esse, si pretiosa sint: non existimant vincula esse, si in his thesauri coruscent. Delectant et vulnera, ut aurum auribus inseratur, et margaritæ dependeant.... Smaragdos, et hyacinthos, beryllum, achatem, topazion, amethystum, iaspin, sardion, summo quærunt furore: vel si dimidium patrimonii petatur, non parcunt dispendio, dùm indulgent cupiditati. Non abnuo gratum quemdam lapidum istorum fulgorem, sed tamen lapidum. Et ipsi admonent contra naturam expoliti, ut saxorum deponerent asperitatem, rigorem magis mentis esse expoliandum, quàm lapidum.

S. Chrysost. *Homil.* 29. *in Matth. c.* 8.... Æris quidem avidi etiam innocuos, nisi utiles sibi sint, inimicos ducunt.... communis ærumna civitatum, atque orbis totius sunt.... Truculentior est avarus, in omnes ut mors insiliens, omnes ut infernus deglutiens, communis generis hominum hostis: quippè qui vellet nullum hominem esse, ut omnia possideret.... Quæstùs cupidi parvi spe lucri magnas plerumque faciunt jacturas.... Facilè pecuniam non amando, avaritiam contemnetis.

(M) S. Cyprian. *Epist.* 1. *ad Donatum*, *editionis Rigalt. pag.* 6. Sed et quos divites opinaris, continuantes saltibus saltus, et de confinio pauperibus exclusis, infinita ac sine terminis rura latius porrigentes; quibus argenti et auri maximum pondus, et pecuniarum ingentium vel exstructi aggeres, vel defossæ strues; hos etiam inter divitias suas trepidos, cogitationis incertæ sollicitudo discruciat, ne prædo vastet, ne percussor infestet, ne inimica cujusque locupletioris invidia calumniosis litibus inquietet. Non cibus securo, somnusve contingit. Suspirat ille in convivio, bibat licèt gemmas; et cùm epulis marcidum corpus torus mollior alto sinu condiderit, vigilat tamen in plumâ: nec intelligit miser speciosa sibi esse supplicia, auro se alligatum teneri, et possideri magis, quàm possidere divitias atque opes. O detestabilis cæcitas mentium, et cupiditatis insanæ profunda caligo! Cùm exonerare se possit et levare ponderibus, pergit magis fortunis angentibus incubare, pergit pœnalibus cumulis pertinaciter adhærere. Nulla in clientes inde largitio est, cum indigentibus nulla partitio, et pecuniam suam dicunt, quam velut alienam domi clausam sollicito labore custodiunt. Ex quâ non amicis, non liberis quidquam, non sibi denique impertiunt. Possident ad hoc tantùm, ne possidere alteri liceat. Et, O hominum quanta diversitas! bona appellant, ex quibus nullus illis, nisi ad res malas usus est.

S. Ambros. *de Nabuthe*, *cap.* 16. *n.* 67. (*Ps.* lxxv. 12.) *Orate, et reddite Domino Deo vestro*, id est: Nolite dissimulare, divites, dies instat, orate pro peccatis vestris, reddite pro beneficiis quæ habetis munera. Ab ipso accepistis quod offeratis: ipsius est quod ei solvitis. Dona, inquit, mea, et data mea, hoc est, quæ offertis mihi dona, data sunt mea: ego ea

dedi vobis atque donavi. Denique Propheta ait (*Ps.* XV. 2.) : *Bonorum meorum non indiges*, ideò tua tibi offero, quoniam nihil habeo, quod non dedisti. Fides est quæ dona conciliat ; humilitas est quæ oblata commendat.... Orate ergo, divites ! non habetis in operibus quod placeat. Orate pro peccatis vestris atque flagitiis, et reddite Domino Deo vestro munera. Reddite in paupere, in egene solvite, in illo inope fœnerate, quem placare propter vestra flagitia aliter non potestis. Quem ultorem timetis, facite debitorem. *Non accipiam*, inquit (*Ps.* XLIX. 9.), *de domo tua vitulos, neque de gregibus hircos ; quoniam meæ sunt omnes feræ silvarum.* Quidquid obtuleritis, inquit, meum est, quia totus orbis meus est. Non exigo quæ mea sunt : est quod de vestro mihi possitis offerre, studium devotionis et fidei. Non sacrificiorum ambitione delector : tantummodò, homo, (*Ibid.* 14.) *immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.*

D. BASIL. *Homil.* 6. *in ditescent. avar. pag.* 152. Quin tu ad Dominum preces effundis, ut munus hoc (divitiarum) tibi impertitum, perfectum reddat ?

(N) S. AMBROS. *de Nabuthe, cap.* 7. *n.* 36. Cur ergo de bonis facitis mala, cùm de malis bona facere debeatis ? Scriptum est enim (*Luc.* XVI. 9.) : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Ei ergo qui uti sciat, bona sunt : ei qui uti nesciat rectè, mala. *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum.* (*Ps.* CXI. 9.) Quid hoc melius ? Bona sunt, si pauperibus largiaris, in quo tibi debitorem Deum quadam pietatis fœneratione constituas. Bona sunt, si aperias horrea justitiæ tuæ, ut sis panis pauperum, vita egentium, oculus cæcorum, orbatorum infantium pater.

N. 27. Ostendo tibi ubi meliùs frumenta custodias, ubi benè sepias, ut fures ea tibi auferre non possint. Include ea in corde pauperum, ubi ea nullus gurgulio consumat, nulla corrumpat vetustas. Habes apothecas inopum sinus : Habes apothecas viduarum domos.... Dat tibi fecunditatem Deus, ut aut vincat, aut condemnet avaritiam tuam ; quò excusationem habere non possis. Tu verò quod per te multis nasci voluit, tibi soli reservas, immò et tibi adimis ; magis enim servares tibi, si dispertireris aliis. Bonorum enim fructus munerum in eos ipsos, qui contulerint, revertuntur, et gratia liberalitatis in auctorem redit. Denique scriptum est (*Osee* X. 12.) : *Seminate vobis ad justitiam.* Esto spiritalis agricola, sere quod tibi prosit. Bona satio in corde viduarum. Si terra tibi reddit fructus uberiores quàm acceperit, quantò magis misericordiæ remuneratio reddet multiplicatiora quæ dederis.

N. 39. Quantò meliùs est liberalem esse dispensatorem, quàm sollicitum custodem ? Quantum tibi prodesset ad gratiam, multorum pupillorum patrem nominari, quàm innumeras stateras in sacco obsignatas habere ? Pecunia etenim hic relinquitur : gratia autem operum bonorum nobiscum ad judicem meriti defertur.

N. 40. Misericordia non de meritis judicare consuevit, sed necessitatibus subvenire, juvare pauperem, non examinare justitiam. Scriptum est enim (*Ps.* XL. 2.) : *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem.* Quis est qui intelligit ? Qui compatitur ei, qui advertit consortem esse naturæ, qui cognoscit quòd et divitem et pauperem fecit Dominus, qui scit quòd sanctificet fructus suos, si de his delibet aliquam pauperibus portionem. Ergo cùm habeas undè benefacias, ne differas dicens : cras dabo ; ne largiendi amittas copiam. Periculosa est de alterius salute dilatio. Potest fieri ut, dùm tu differas, ille moriatur. Magis ante mortem præcurre, ne fortè avaritia te et eras impediat, et promissa fraudentur.

Cap. 12. *n.* 51.... Captiva igitur est opulentia, pauperias libera.

N. 52. Servilis divites, ac miseram quidem servitutem, qui servitis errori, servitis cupiditati, servitis avaritiæ, quæ expleri non potest. Gurges quidam insatiabilis, rapidior est, cùm illata demergit : et putei modò cùm exundat, cœno inquinatur, terram adradit nihil sibi profuturam. Vel hoc exemplo vos admoneri convenit. Puteus enim, si nihil haurias, inerti otio, et degeneri situ facilè corrumpitur : exercitus autem nitescit ad speciem, dulcescit ad potum : ita et acervus divitiarum cumulo arenosus, speciosus est usu, otio autem inutilis habetur. Deri-

taria paupertas, (O) sedula meditatio mortis (P), quâ fiet vato igitur aliquid de hoc puteo. Ignem ardentem exstinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis : aqua autem stativa citò vermes facit : non stet thesaurus tuus.

N. 53. Tibi igitur proficit quidquid inopi contuleris : tibi crescit quidquid minueris : te illo, quem pauperi dederis, cibo pascis; quoniam qui miseretur pauperi, ipse pascitur.... Non de tuo largiris pauperi, sed de suo reddis. Quod enim commune est in omnium usum datum, tu solus usurpas. Omnium est terra, non divitum.

(O) S. Basil. *Homil.* 7. *in divites avaros.* Ad subsidium vitæ, non malorum incitamentum, pecunia data est : animæ redemptio est, non exitii occasio. Sed, inquis, ob filios necessaria est. Plausibilis est ista avaritiæ excusatio : liberos prætexitis, ac intereà cordibus vestris satisfacitis.... An non et iis, qui sunt in connubio, id Evangelicum scribitur : (*Matth.* XIX. 21.) Si vis perfectus esse, vende omnia, et da pauperibus? Dic, quæso, cùm Deum orasti, ut pro fecunditate cùm precatus es, ut fieres liberorum pater, addidisti-ne illud : Da liberos, ut causa sint, ne præceptis tuis obediam? Da mihi liberos, ne veniam in regnum cœlorum?... Qui verò liberis carent, quam parcimoniæ causam objiciunt? Nolo, inquiunt, vendere, nolo pauperibus dare ob vitæ necessarios usus. Non ergo Dominus tibi præceptor erit, nec Evangelium formulam vitæ tibi dabit, sed tu tibi ipsi jura dices ac statues. Cogita in quod incidas periculum. Si ita sentis, ut quæ Dominus necessaria nobis præscripsit, tu ut impossibilia taxes, nihil aliud agis, quàm quòd te legem hanc ferente sapientiorem dicis.

S. Ambros. *in Nabuthe*, *c.* 1. *n.* 58. Custos ergo es tuarum, non dominus facultatum, qui aurum terræ infodis, minister utique ejus, non arbiter. Sed (*Matth.* VI. 21.) ubi thesaurus tuus, ibi et cor tuum. Ergo in illo auro cor tuum infodisti terræ. Vende potiùs aurum, et eme salutem : vende lapidem, et eme regnum Dei. Vende agrum, et redime tibi vitam æternam. Vera allego, quia verbo adstruo veritatis : *Si vis perfectus esse*, inquit (*Matth.* XIX. 21), *omnia quæcunque habes, vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo.*

(P) S. Ambros. *de Nabuthe*, *c.* 1. *n.* 1. Nabuthe historia tempore vetus est, usu quotidiana. Quis enim divitum non quotidiè concupiscit aliena? Quis opulentissimorum, non exturbare contendit agellulo suo pauperem, atque inopem aviti ruris eliminare finibus? Quis contentus est suo? Cujus non inflammet divitis animum vicina possessio.... Plures qui rapiant quàm qui amittent... Quotidiè pauper occiditur.

N. 2. Quousque extendilis, divites, insanas cupiditates? Nunquid soli inhabitabitis super terram? Cur ejicitis consortem naturæ, et vindicatis vobis possessionem naturæ? In commune omnibus divitibus atque pauperibus terra fundata est. Cur vobis jus proprium soli diviles arrogatis? Nescit natura diviles, quæ omnes pauperes general. Neque enim cum vestimentis nascimur, nec cum auro, argentoque generamur. Nudos fudit in lucem, egentes cibo, amictu, poculo : nudos recipit terra, quos edidit, nescit fines possessionum sepulcro includere. Cespes angustus æquè et pauperi abundat et diviti; et terra, quæ viventis non capit affectum, totum jam divitem capit. Nescit ergo natura discernere quandò nascimur, nescit quandò deficimus. Omnes similes creat, omnes similes gremio claudit sepulcri. Quis discernit species mortuorum? Redoperi terram : et si potes, divitem deprehende. Eruderato paulò post tumulum, et si cognoscis egentem, argue; nisi fortè hoc solo, quòd cum divite plura pereunt.

Cap. 8. *n.* 38. Deindè, homo, nescis quia terræ partum prævenit dies mortis, misericordia autem incursum mortis excludit? Assistunt jam qui reposcant animam tuam, et tu adhuc differs operum fructus tuorum. Adhuc tu tibi tempora longa metiaris? *Stulte, hac nocte repetunt animam tuam à te.* (*Luc.* XII. 20.)

Cap. 6. *n.* 27.... Quem divitiæ ejus ab inferis redemerunt? Cujus ægritudinem pecunia mitigavit? *Non in abundantia divitiarum*, inquit (*Luc.* XII. 15), *vita ejus.* Et alibi (*Prov.* X. 2.) *Nihil prosunt thesauri injustis, justitia autem liberat à morte.* Meritò clamat Propheta (*Ps.* LXII. 12.)

Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Quid enim mihi prosunt, si me à morte liberare non possunt? Hic acquiruntur, hic relinquuntur... Unde benè ait idem Propheta de divitibus (*Ps.* LXXV. 6): *Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Hoc est dicere: nihil invenerunt in operibus suis divites, qui nihil pauperibus contulerunt: nullius juverunt inopiam, nihil ad utilitatem suam proficiens reperire potuerunt.

In Luc. lib. 7. *n.* 122. Immortalitatis patrimonium, non pecuniæ, hominibus expetendum est.... Remanent enim in seculo cuncta, quæ seculi sunt, et prætereunt nobis quæcunque congregantur hæredibus; neque enim nostra sunt, quæ non possumus auferre nobiscum. Sola virtus comes est defunctorum, sola nos sequitur misericordia, quæ cœlestium dux prævia mansionum, pecuniæ vilis usurâ tabernacula defunctis acquirit æterna.

D. BASIL. *Homil.* 6. *in ditescent. avar. pag.* 152. (*Luc.* XII. 20.) *Stulte, hac nocte animam tuam abs te repetent:* quæ autem præparasti, cujus erunt? Superat æternam pœnam irrisio ista stultitiæ. Qui namque paulò post abripiendus è vita et ad supplicium abducendus quale init tacitus consilium? Destruam horrea, et majora faciam.... Habes, si vis apothecas, ventres pauperum, thesauriza tibi thesauros in cœlo. Quæ illic reconduntur, ea neutiquam depascuntur tineæ, nulla depopulatur caries aut erodit, nulli suppilant prædones.... Longa tibi vitæ tempora præfixisti: vide ne te illud tempus, quod certo ac præstituto termino accelerare solet, fortè corripiat. Et profectò vitam sibi hoc modo confidentiùs polliceri, non bonitatis sed malitiæ est indicium. Vitam namque tibi polliceris, non ut post hac sis liberalior, aut tribuas: sed ut instantem medicum à te propulses. Jam quando suppetit, quid prohibet, quominus liberaliter impartiare? Nonne inops adest? Non sunt plena horrea? Non merces à Domino parata? Non mandatum manifestum?

Et paulò post. Habes terræ partim aratro, partim arboribus utilis tot jugera: prætereà vineas, montes, campos, saltus, flumina, loca amœna. Quid ergo post hæc? Nonne telluris tres tantùm cubili te exspectant? Nonne parvulus lapis ad tui miseri corporis custodiam satis erit? Cui gratiâ laboras? Aut pro quo contra jus fasque contendis? Quid manibus inanes stipulas metis? Sed utinam tantùm inanes, ac non igni perpetuo materiam.... Quomodo causam dicturus coram justo judice te defendes ab iis, qui abs te lacessiti acriter instabunt? Quid, inquam, ages? Aut quos advocatos conduces? Quos adduces testes? Quomodo integerrimum corrumpes judicem? Cum nec orator tibi, neque verborum ad persuadendum facundia fuerit, quibus illi veritas occultari possit. Non te rursùs adulatores, non pecunia, non dignitatis fastus sequentur. Ab amicis item, ab auxiliis desertus, sine advocato, sine defensore, sine honore, tristis, pudefactus, dejectus, ac solus relinqueris. Nam quocunque oculos circumferes, umbras ubique simulacraque malorum aspicies. Hinc orphanorum lacrymæ, illinc viduarum gemitus, aliundè oppressi abs te pauperes; servi, quos lacerasti, vulneribusque affecisti; vicini, quos ad iram provocasti: cuncta hic te adversùs consistent. Tuorum scelerum acervus te comitabitur.

S. AUG. *Serm.* 177. *de verbis, aliàs* 10. *inter editos majoris Carthusiæ, n.* 2. Sint hæc ad necessitatis usum, non ad charitatis affectum: sint tanquam stabulum viatoris, non tanquam prædium possessoris. Refice, et transi. Iter agis, attende ad quem venisti; quia magnus est, qui ad te venit. Discedendo de hac vita, locum facis venienti: stabuli est ista conditio: cedes, ut alius accedat; sed si vis ad locum tutissimum pervenire, Deus à te non recedat....

N. 3. Aliud est ergo iter mortalitatis,.... propter hoc necessarius est victus et tegumentum. Sufficientes sint hujus itineris sumptus. Quare te gravas? Quare tantum portas in via brevi, non undè ad hanc viam finiendam juveris, sed undè potiùs ad hanc viam finiendam graviùs onereris? Nimium quippè mirabile est, quod tibi vis ut contingat: oneras te, multum portas, premit te in hac via pecunia, et per hanc viam premit te avaritia. Avaritia enim cordis est immunditia. Nihil tollis de hoc mundo, quem amasti: sed tollis vitium, quod amasti....

tandem ut ab omnibus divitiis vel inviti abstrahamur. *Nihil enim intulimus in hunc mundum : haud dubium quod nec auferre quid possumus* (1. *Tim.* VI. 7.)

§. 3. De Luxuriâ.

I. Quid est Luxuria ?

R. Luxuria (quæ utinam nec nominaretur in nobis) est peccatum, quo venerea voluptas contra legem Dei, vel appetitur, vel percipitur. (A)

I. Quot sunt hujus peccati species ?

R. Septem sunt. Nimirum fornicatio simplex, adulterium, stuprum, sacrilegium, incestus, raptus, et vitium contra naturam ; quo generali nomine intelligitur mollities, sodomiticum scelus, bestialitas, et alia id genus nefanda.

Ab ulteriori horum omnium explicatione consultò abstinemus.

I. Quot modis peccatur in genere luxuriæ, an solùm quando actus malus reipsà perpetratur ? Verbi gratiâ, quando committitur fornicatio, adulterium, sacrilegium, etc.

R. Peccant non solùm ii, qui incurrunt actu in unum ex suprà dictis luxuriæ modis, qui vel soli, vel cum aliis peccant actu ipso venereo ; sed etiam 1. Qui sine necessitate dicunt, canunt, legunt, scribunt, pingunt, fingunt, audiunt ultrò res venereas et impudicas. (B)

N. 10. * *Divites sint in operibus bonis, ut facilè tribuant.* (1. *Tim.* VI. 18.) Ad hoc dives esto, ut facilè tribuas.... Hoc tibi prosit quòd dives es.... *Facilè tribuant, communicent.* Nunquid perdunt ? *Thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum.* Et ne ipsum aurum et argentum et prædia, et ea quæ pulchra videntur in facultatibus hominum, etiam ibi desideremus, cùm dicitur nobis, illuc migrate, thesaurum vestrum ibi ponite : admonuit nos contra carnales cogitationes, et subjecit, *ut apprehendant veram vitam*, non aurum, quod in terra remansit, non facultates putredinis, non bona transeuntia, sed *veram vitam.*

S. Bernard. *Serm.* 4. *de adventu Domini*, *n.* 1. Filii Adam, genus avarum et ambitiosum, audite : Quid vobis cum terrenis divitiis, et gloria temporali, quæ nec veræ, nec vestræ sunt ? Aurum et argentum nonne terra est rubra et alba, quam solus hominum error facit, aut magis reputat pretiosam ? Denique si vestra sunt hæc, tollite ea vobiscum. Sed homo cùm interierit, non sumet omnia ; neque descendet cum eo gloria ejus.

N. 2. Veræ ergo divitiæ non opes sunt, sed virtutes, quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat.

(A) Ephes. v. 3. Fornicatio autem, et omnis immunditia.... nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos : 4. Aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet.... 5. Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus.... non habent hæreditatem in regno Christi et Dei.

S. Aug. *De Civit. Dei*, *Lib.* 12. *cap.* 8. *pag.* 307. Luxuria est vitium.... animæ perversè amantis corporeas voluptates, neglectâ temperantiâ, quâ rebus spiritualiter pulchrioribus et incorruptibiliter suavioribus coaptamur.

(B) Ephes. iv. 19. Qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis.... 22. Deponere vos, secundùm pristinam conversationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris.

4. Aut turpitudo aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet.

S. Clemens Alexand. *Lib.* 2. *Pædagogi*, *c.* 4. A convivio autem rationali absit comessatio et lascivia juvenilis : quin etiam inanes vigiliæ, quæ de petulantiâ et turpibus conviciis, et maledictis sibi placent.... Amor autem, et ebrietas, et quæ ratione carent affectiones, à nostro choro procùl amandentur. Unà autem cum petulantia in comessatione versatur cantilena : in potu verò vigiliæ ebrietatem accersunt, et excitant libidinem, quæ sunt rebus turpibus faciendis dedita audacia..... Omne autem turpe spectaculum, omnemque turpem auditionem, et ut semel dicam, turpem omnem sensum intemperantiæ, quæ quidem est vera sensûs privatio, maximè oportet nos exscindere, quæ in oculis et in auribus titillat et effeminat, voluptatem caventes. Fractorum enim cantuum, et flebilium Carcæ musæ modorum varia veneficia, intemperanti et pravo musicæ artificio mores corrumpunt.... Amatoria procùl absint cantica. Sint autem cantica Dei laudes.... sunt enim admittendæ modestæ et pudicæ harmoniæ : contra à forti et nervosa nostra cogitatione verè molles et enerves harmoniæ amandandæ quàm longissimè, quæ improbo flexuum vocis artificio, ad delicatam et ignavam vitæ agendæ rationem deducunt.... Impudenti in vino proteruiæ, meretriciæ musicæ sunt relinquendæ.

In admonit. ad gentes, *p.* 38. Pygmalion ille Cyprius eburneam amavit statuam : erat ea simulacrum Veneris, et erat nudum.... Tantùm ars valuit ad decipiendum, quæ homines amori deditos illexit in barathrum. Vim quidem efficacem habet ars opificis : sed eum, qui est ratione præditus, non potest decipere, nec eos qui vixerunt ex ratione.... Tantum cestrum artes, quæ improbo utuntur artificio, attulerunt insipientibus... Vos autem vel similis deteriores eritis, dum lapideis, et lignels, et aureis, et eburneis simulacris et picturis animum adhibetis.... Jam verò totius libidinis et impudicitiæ figuras apertè descriptas publicè intueri non erubescitis, sed potiùs positas erectasque custoditis, perindè ac si Deorum vestrorum imagines, impudentiæ columnas, domi consecraveritis, figuras gestusque Philænidis æquè depingentes, atque certamina Herculis. Horum non solùm usûs, sed etiam aspectûs et auditûs deponendam esse memoriam vobis annuntiamus. Scortatæ sunt aures vestræ, fornicati sunt oculi, et quod est magis novum, ante complexum vestri adulterium admiserunt aspectus.

Concil. Quinisext. *aliàs in Trullo seu Constantinopol.* III. *generale ann.* 692. *Concil. Tom.* VI. *edit. Labbæanæ. pag.* 1184. *can.* 100. *Oculi tui recta aspiciant*, *et omni custodia serva cor tuum*, jubet sapientia. *Prov.* IV. 23. *et* 25. Corporis enim sensus sua facilè in animam effundunt. Picturas ergo, quæ oculos præstringunt sive in tabulis, sive quovis alio modo fiant, et mentem corrumpunt, et ad turpium voluptatum movent incendia, nullo modo deinceps exprimi jubemus. Si quis autem hoc facere aggressus fuerit, deponatur.

Concil. Nicæn. II. *ann.* 787. *Act. sext. T.* VII. *edit. Labbæanæ p.* 426. Porrò si picturæ arte in effigiem turpitudinis quis usus fuerit, respuenda et noxia est : ut puta si pinxerit quis figuras meretriculares, sive spectacula, infractusque saltatorios, et circorum visiones ; et quidquid aliud his simile ab arte fuerit factum, turpis est adinventio.... Rursusque super libris similiter accipiendum est. Nam si turpes quidem narrationes quis in libris depinxerit, turpes sunt et rejiciendi, atque ab auditu Christiano alienandi.... Considerare enim oportet intentionem et modum, per quem opus fit. Et si quidem ad pietatem spectat, acceptabile ; si verò ad quamlibet turpitudinem, odibile et abjectum est.

Joan. Gerson. *Contra Romantium de Rosâ*, *pag.* 922. *tom.* 4. *edit. Paris. ann.* 1606. Fatuus hic amator omnem adhibet conatum, ut expellat bonas meas custodes, quæ sunt verecundia, pudor,.... quæ nec auderent nec dignarentur concedere unicum quidem turpe osculum, aut dissolutum aspectum, aut attrahentem risum seu verbum leve. Et hoc facit per maledictam quamdam vetulam diabolo pejorem, quæ docet, monstrat et adhortatur qualiter juveniles virgines omnes corpus earum vendere debent citò et carè absque pavore et sine verecundiâ.... Nec curant aut damnum aliquod judicant, si festinent se citò prosternere, interea dùm pulchræ sunt, omni pulchritudini et carnalitatis immunditiæ, sive Ec-

2. Qui sine necessitate, et cum voluptatis sensu spectant oculis vel personas, vel tabulas, vel statuas, vel alia id genus, ex quibus oritur appetitus luxuriæ. (C)

clesiasticis, sive laïcis, sive Presbyteris absque ullo discrimine.... Jacit undique ignem ardentiorem et magis fœtidum quàm sit ignis Græcus et Sulphureus. Jacit, inquam, ignem luxuriosorum verborum immundorum et prohibitorum, interdùm nomen Veneris, Cupidinis aut genii, sæpiùs proprio suo nomine, per quod ardent et comburuntur pulchræ meæ domus et habitationes, sacrata templa mea humanarum animarum, et turpissimè dejicior. Infamat dominam rationem, bonam meam magistram, imponendo ei.... turpe vituperium, quod loqui consulat nudè, illotè et turpiter juxta libidinem sine verecundià de omnibus rebus, quantumcunque abominabilibus, aut erubescendis, ut dicantur, aut fiant et inter personas quidem admodùm dissolutas, et mihi adversas heu.... Immiscet verba dissolutissima ad omnemque immunditiam moventia. Et tamen immunditia non ingredietur paradisum.... Nominat partes corporis inhonestas, et peccata immunda atque turpia.... Nec opus est quoque magistro, natura humana præsertim in teneris annis et in adolescentia nimirùm prona et inclinata est ad cadendum præcipitandumque se et immergendum in immunditiam spurcitiamque totius carnalitatis... Quare ergo subministras et auges tu fœtidum hunc ignem... Si te non faciebat prudentem et circumspectum pœna et supplicium, quod de impudico Ovidio sumptum fuit, saltem tui statûs honor retrahere debuisset.... Occidisti stultitiâ tuâ, et incarcerasti, quantùm in te est, mille et mille homines per diversa flagitia, et id adhuc facis in dies per stolidum librum tuum.... Ecquis est pejor ignis atque ardentior igne luxuriæ.... Debent enim animæ illæ templa esse Spiritûs sancti, esse sacrata, sed quid plus urit et inflammat has animas quàm verba dissoluta, spurca, et luxuriosæ scripturæ, et picturæ? Videmus pia et sancta verba, honestas scripturas et imagines incitare ad devotionem.... Multò faciliùs è contrario mala et impura verba ad dissolutionem trahunt, nec est quisquam, quin in se experiatur.... Jocus non est, neque est res ulla periculosior, quàm perversam disseminare doctrinam in cordibus mortalium.... Hoc grande nimiùm importat onus, et pondus nimiæ lubricitatis atque bestialis carnalitatis, omnium virtutum homicidium, incensorem ignis ubicunque quieverit locorum.... Omne malum et omnis stultitia oritur ex fatuo amatore..... Castitas, fama, oculus et fides non patiuntur ludum, aut jocum: nimis enim facilis sunt læsionis et corruptionis.... Dicunt doctores cantica Salomonis, quamvis benè in se sobria sint, olim legi non fuisse solita, nisi ab his, qui triginta nati essent annos aut suprà, ne ullam indè sumerent impuram carnalitatem.... Scripturæ, et mala colloquia corrumpunt bonos mores, et faciunt peccata absque verecundià perpetrari, omnemque auferunt pudorem, qui est in juvenibus præcipuus et principalis eorum custos.... Persona juvenis expers verecundiæ prorsùs est perdita.... Ovidius Poëta missus fuit in exilium perpetuum, ipsemet testis est hoc ei accidisse propter miserabilem suam artem amandi, quam temporibus Octaviani imperatoris scripserat, quamvis edidisset ex adverso alium de remedio amoris librum.... Odio habeatis omnem turpem immunditiam.

(C) Job. xxxi. 1. Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. 2. Quam enim partem haberet in me Deus desuper, et hæreditatem Omnipotens de excelsis.... 7.... Si secutum est oculos meos cor meum.... 8. Seram, et alius comedat: et progenies mea eradicetur. 9. Si deceptum est cor meum super mulieres, et si ad ostium amici mei insidiatus sum: 10. Scortum alterius sit uxor mea, et super illam incurventur alii. 11. Hoc enim nefas est, et iniquitas maxima. 12. Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina.

Psal. cxviii. 37. Averte oculos meos, ne videant vanitatem.

Eccli. xi. 2. Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingredietur in virtutem tuam, et confundaris. 3. Ne respicias mulierem multivolam: ne fortè incidas in laqueos illius. 4. Cùm sallatrice ne assiduus sis: nec audias illam, ne fortè pereas in efficacià illius. 5. Virginem ne conspi-

cias, ne fortè scandalizeris in decore illius. 6. Ne des fornicariis animam tuam in ullo : ne perdas te, et hæreditatem tuam. 7. Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius. 8. Averte faciem tuam à muliere compta, et ne circumspicias speciem alienam. 9. Propter speciem mulieris multi perierunt, et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. 10. Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in viâ conculcabitur. 11. Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt, colloquium enim illius quasi ignis exardescit. 12. Cum alienâ muliere ne sedeas omninò, nec accumbas cum ea super cubitum. 13. Et non altercaris cum ea in vino, ne fortè declinet cor tuum in illam, et sanguine tuo laberis in perditionem.

MATTH. V. 27. Audistis quia dictum est antiquis { *Exod.* XX. 14 } : Non mœchaberis. 28. Ego autem dico vobis : Quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.

2. PETR. II. 9. Novit Dominus pios de tentatione eripere : iniquos verò in diem Judicii reservare cruciandos : 10. Magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant.... 12. Hi verò velut irrationabilia pecora, in corruptione sua peribunt ; 13. percipientes mercedem injustitiæ, voluptatem existimantes diei delicias ; coinquinationes, et maculæ deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes vobiscum, 14. oculos habentes plenos adulterii et incessabilis delicti. Pellicientes animas instabiles.... maledictionis filii.

TERTULLIAN. *Apologet. c.* 46..... Qui autem adulterat, hoc maximè nomine gratiam pangit apud insectatores veritatis.... Cæterum si de pudicitia provocemur, lego partem sententiæ Atticæ in Socratem : corruptor adolescentium pronuntiatur : Christianus ad sexum nec feminæ mutat. Novi et Phrynem meretricem Diogenis supra recubantis ardori subantem. Audio et quemdam Speusippum de Platonis schola in adulterio periisse : Christianus uxori suæ soli masculus nascitur. Democritus excæcando semetipsum, quòd mulieres sine concupiscentia aspicere non posset, et doleret si non esset potitus, incontinentiam emendatione profitetur : at Christianus salvis oculis feminam videt, animo adversùs libidinem cæcus est.

Cap. 48. Ad lenonem damnando Christianam, potius quàm ad leonem, confessi estis labem pudicitiæ apud nos atrociorem omni pœna et omni morte reputari.

De velandis virginib. c. 3... Cur non magis hæ quærantur scandalo sibi esse petulantiam, impudentiam ostentatitiæ virginitatis? Propter ejusmodi igitur capita nundinatitia, trahantur virgines sanctæ in Ecclesiam, erubescentes quòd cognoscantur in medio, paventes quòd detegantur accersitæ quasi ad stuprum.... Omnis publicatio virginis bonæ, stupri passio est ; et tamen vim carnis pati, minus est... Sed cùm spiritus ipse violatur in virgine, sublato velamine dicit amittere quod tuebatur.

S. CHRYSOST. *Homil.* 17. *in Matth. c.* 5. Neque enim solùm dixit adulterum puniendum... sed impudicum quoque coërceret aspectum. { *Matth.* V. 28. } *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Hoc est dicere, qui dat operam in venusta corpora curiosiùs intueri, et decoras aucupari facies, talique animam spectaculo pascere, et obscœnos pulchris etiam vultibus oculos affigere. Non enim idcircò Dominus advenisse contentus est, ut solummodò corpus à malis actibus, sed ut priùs animam quoque ab hujusmodi cogitationibus averteret.... Quemadmodùm, inquis, possumus à concupiscentia liberari? Maximè quidem, si velimus, etiam ipsam mortificare possibile est, atque ne in opus erumpat, continere.... Qui enim studet elegantes facies inspicere, ipse præcipuè fornacem sibi istius passionis accendit, et captivam faciens animam, ad opus quoque celeriter adducit..... Non enim simpliciter dixit : Qui concupiverit ; potest namque etiam aliquis inter secreta montium residens concupiscere : sed *qui*, inquit, *viderit mulierem ad concupiscendam* : id est, qui concupiscentiam sibi conciverit, quique, nullo omninò cogente, quiescenti cogitationi feram subitò immiserit. Hoc enim non jam naturæ est, sed propriæ omninò desidiæ : quod certè olim etiam veteri lege prohibetur. * *Noli*, inquit { *Eccli.* IX. 8. } *addiscere pulchritudinem alienam.* Deindè ne quis diceret : Quid autem,

et si inspiciam, nec tamen capiar? Cohibuit aspectum, ne hujusmodi licentiâ fidens, etiam in peccatum quandoque corrueres. Quid autem, inquis, si video et concupisco quidem, sed tamen turpè nil ago? Et sic quidem jam in adulterorum parte numeraris. Pronuntiavit enim lator legis, nec amplius aliquid hinc oportet scrupulosiùs et anxiè disputare. Nam semel quidem, et secundò, et tertiò sic videns, forsan queas animum continere; si verò frequenter id feceris, fornacemque istam sponte succendas, profectò capieris. Neque enim extra naturam aleamque humanam consistit. Sicut enim nos, cùm gladium teneri videmus à puero, etiamsi nondùm eum vulneratum cernamus, verberamus tamen, ac interdicimus, ne unquam illum rursùs attingat: ita etiam Deus inverecundum coërcet aspectum, etiam ante factum, ne quandoque in ipsam quoque incidas actionem. Qui enim semel flammam cupiditatis accenderit, etiam absente muliere, quam vidit, jugiter apud semetipsum turpium rerum simulacra depingit: et ab his sæpè ad ipsum opus progreditur.... Illos quoque, qui solo fiunt corde, complexus, Christus interimit. Quid ergo hîc jam respondebunt, qui ausi sunt temerè cohabitare virginibus?.... Si qua verò ideò ornatur, et comitur, ut in se oculos omnium irritet, etiamsi nullum pulchritudine suâ potuerit vulnerare, dabit tamen extrema supplicia: paravit quippè virus, temperavit venenum, porrexit poculum, etiamsi nullus, qui biberet, inventus est.... Si verò etiam specialiter prolatam in feminas increpationem audire mavis, audi Isaiam (III. 16. *etc.*) plurimâ in illas invectione clamantem, earumque habitum, et aspectum et incessum notantem, et vestes in humum defluas, lascivientes pedes, et luxuriosis motibus colla fracta sublimiaque. Audi etiam beatum Paulum (1. *Tim.* II. 9. *etc.*) multa illis præcepta ponentem, tum de auri ac vestis ornatu, tum de intortis arte crinibus, tum de ipsis quoque deliciis, aliisque hujusmodi eas vehementiùs increpantem.

S. Aug. *ad Sanctimon. Epist.* 211. *aliàs* 109. *n.* 10. Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus. Nec sint vobis tam tenera capitum tegmina, ut reliola subter appareant. Capillos ex nulla parte nudos habeatis, nec foris vel spargat negligentia, vel componat industria. In incessu, in statu, in habitu, in omnibus motibus vestris nihil fiat quod illiciat cujusquam libidinem, sed quod vestram deceat sanctitatem. Oculi vestri et si jaciuntur in aliquem, figantur in neminem; neque enim quandò proceditis, viros videre prohibemini, sed appetere, aut ab ipsis appeti velle. Nec solo tactu, sed affectu quoque et aspectu appetitur, et appetit femina. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius: et cùm se invicem sibi, etiam tacente linguâ, conspectu mutuo corda nuntiant impudica, et secundùm concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immundâ violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus. Nec putare debet quæ in masculum figit oculum, et illius in scipsam diligit fixum, non ab aliis videri, cùm hoc facit: videtur omninò, et à quibus videri non arbitratur. Sed ecce lateat, et à nemine hominum videatur, quid faciet de illo superno inspectore, quem latere nihil potest? An ideò putandus est non videre, qui tantò videt patientiùs, quantò sapientiùs. Illi verò timeat sancta femina displicere, ne velit viro malè placere: illum cogitet omnia videre, ne velit virum malè videre; illius namque et in hac causâ commendatus est timor, ubi scriptum est (*Prov.* XXVII. 20. *secundùm* 70.): Abominatio est Domino deligens oculum. Quando ergo simul estis in Ecclesiâ, et ubicunque ubi et viri sunt, invicem vestram pudicitiam custodite. Deus enim qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis.

In Psal. L. *n.* 2. Hujus mulieris (*Bersabee*) uxoris alienæ pulchritudine captus Rex et Propheta David,.... adulteravit eam:.... homicidio auxit adulterium. Nathan Propheta missus à Domino, qui eum argueret de tanto commisso.

N. 3. Audiunt malè audientes, et quærunt sibi patrocinia peccandi....: Alii verò audientes salubriter, in casu fortis metiuntur infirmitatem suam: et quod damnat Deus devitare cupientes, ab aspectu securo abs-

3. Qui pravis circa luxuriam cogitationibus consentiunt. (D)

tinent oculos ; non eos defigunt in pulchritudine carnis alienæ, nec se ipsos faciunt de perversa simplicitate securos : non dicunt : Bono animo attendi, benignè attendi, de charitate diu aspexi. Proponunt enim sibi casum David, et ad hoc illum magnum vident cecidisse, ut parvi nolint videre undè possint cadere. Reprimunt enim oculos à petulantia ; non se facilè adjungunt, non miscent se mulieribus alienis, non levant oculos faciles ad aliena meniana, ad aliena solaria. De longè enim vidit David illam, in quâ captus est. Mulier longè, libido propè.... Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore. Non dixit : Non sit ; sed, Non regnet.... Inest peccatum cùm delectaris, regnat si consenseris. Carnalis delectatio, præsertim usque ad illicita et aliena progrediens, frenanda est, non relaxanda, imperio domanda, non in imperio collocanda.

Confess. lib. 1. *cap.* 16. *n.* 25. Sed væ tibi flumen moris humani : quis resistet tibi ? Quandiù non siccaberis ? Quousque volves Evæ filios in mare magnum et formidolosum, quod vix transeunt, qui lignum conscenderint ? Nonne ego in te legi et tonantem Jovem et adulterantem ? Et ulique non posset hæc duo, sed actum est ut haberet auctoritatem ad imitandum verum adulterium, lenocinante falso tonitruo. Quis autem penulatorum magistrorum audit aure sobriâ, ex eodem pulvere hominem clamantem et dicentem : Fingebat hæc Homerus, et humana ad Deos transferebat ; divina mallem ad nos ? Sed veriùs dicitur, quod fingebat hæc quidem ille : sed hominibus flagitiosis divina tribuendo, ne flagitia, flagitia putarentur, et ut quisquis ea fecisset, non homines perditos, sed cœlestes Deos videretur imitatus.

N. 26. Et tamen, ô flumen tartareum, jactantur in te filii hominum cum mercedibus ut hæc discant. Et magna res agitur, cùm hoc agitur publicè in foro, in conspectu legum supra mercedem salaria decernentium ; et saxa tua percutis et sonas, dicens : Hinc verba discuntur, hinc acquiritur eloquentia rebus persuadendis sententiisque explicandis maximè necessaria. Ita verò non cognosceremus verba hæc, imbrem aureum, et gremium, et fucum, et templa cœli, et alia verba quæ in eo scripta sunt ; nisi Terentius (*in Eunucho Act.* 3. *Scen.* 5.) induceret nequam adolescentem proponentem sibi Jovem ad exemplum stupri, dùm spectat tabulam quamdam pictam in pariete ; ubi inerat pictura hæc, Jovem quo pacto Danaæ misisse aiunt in gremium quondam imbrem aureum, fucum factum mulieri. Et vide quemadmodùm se concitat ad libidinem, quasi cœlesti magisterio. *At quem Deum*, inquit? *Qui templa cœli summa sonitu concutit. Ego hominculo id non facerem? Ego verò illud feci, ac lubens.* Non omninò per hanc turpitudinem verba ista commodiùs discuntur : sed per hæc verba turpitudo ista confidentiùs perpetratur. Non accuso verba quasi vasa electa, atque pretiosa, sed vinum erroris, quod in eis nobis propinabatur ab ebriis doctoribus : et nisi biberemus, cædebamur, nec appellare aliquem judicem sobrium licebat. Et tamen ego, Deus meus, in cujus conspectu jam secura est recordatio mea, libenter hæc didici, et eis delectabar miser, et ob hoc bonæ spei puer appellabar.

(D) MATTH. v. 28. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (C)

S. AUG. *L.* 1. *de Sermone Domini in monte*, *c.* 12. *n.* 33. Justitia minor est, non mœchari corporum conjunctione : justitia verò major regni Dei, non mœchari in corde. Quisquis autem non mœchatur in corde, multò faciliùs custodit, ne mœchetur in corpore. Non dixit (*Matth.* v. 28.) : *Omnis* qui concupiverit mulierem ; sed, *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam*, id est, hoc fine et hoc animo attenderit, ut eam concupiscat : quod jam non est titillari delectatione carnis, sed planè consentire libidini, ita ut non refrenetur illicitus appetitus, sed, si facultas data fuerit, satietur.

N. 34. Nam tria sunt quibus impletur peccatum, suggestione, delectatione, et consensione. Suggestio, sive per memoriam fit, sive per corporis sensus, cùm aliquid videmus, vel audimus, vel olfacimus, vel gustamus, vel tangimus. Quo si frui delectaverit, delectatio illicita refrenanda est. Velut cùm jejunamus ; et visis cibis palati appetitus assurgit, non fit nisi delectatione : sed huic tamen non consentimus, et eam

4. Qui pravis iis cogitationibus ultrò et cum voluptate occupantur, licèt non consentiant. (E)

dominantis rationis jure cohibemus. Si autem consensio facta fuerit, plenum peccatum erit, notum Deo in corde nostro, etiam si facto non innotescat hominibus. Ita ergo sunt isti gradus, quasi à serpente suggestio fiat, id est, lubrico et volubili, hoc est temporali corporum motu.... In appetitu autem carnali, tanquam in Eva delectatio : in ratione verò, tanquam in viro consensio : quibus peractis, tanquam de paradiso, hoc est, de beatissima luce justitiæ in mortem homo expellitur : justissimè omninò. Delectatio ante consuetudinem vel nulla est, vel tam tenuis, ut propè nulla sit, cui consentire magnum peccatum est, cùm illicita est. Cùm autem quisque consenserit, committit peccatum in corde. Si autem etiam in factum processerit, videtur satiari et exstingui cupiditas : sed posteà cùm suggestio repetitur, major accenditur delectatio : quæ tamen adhuc multò minor est quàm illa, quæ assiduis factis in consuetudinem vertit. Hanc enim vincere difficillimum est.

N. 35. Sicut ergo tribus gradibus ad peccatum pervenitur, suggestione, delectatione, consensione : ita ipsius peccati tres sunt differentiæ, in corde, in facto, in consuetudine, tanquam tres mortes : una quasi in domo, id est, cùm in corde consentitur libidini ; altera jam prolata, quasi extra portam, cùm in factum procedit assensio ; tertia cùm vi consuetudinis malæ, tanquam mole terrenâ premitur animus, quasi in sepulcro jam putens.

(E) S. Aug. *De Trinit. Lib.* 12. *cap.* 12. *n.* 17. Rationi autem scientiæ appetitus vicinus est : quando quidem de ipsis corporalibus, quæ sensu corporis sentiuntur, ratiocinatur ea, quæ scientia dicitur actionis, si benè, ut eam notitiam referat ad finem summi boni ; si autem malè, ut eis fruatur tanquam bonis talibus, in quibus falsâ beatitudine conquiescat. Cùm ergo huic intentioni mentis, quæ in rebus temporalibus et corporalibus propter actionis officium ratiocinandi vivacitate versatur, carnalis ille sensus vel animalis ingerit quamdam illecebram fruendi se, id est, tanquam bona quodam privato et proprio, non tanquam publico atque communi, quod est incommutabile bonum, tunc velut serpens alloquitur feminam. Huic autem illecebræ consentire, de ligno prohibito manducare est. Sed iste consensus si solâ cogitationis delectatione contentus est, superioris verò auctoritate consilii ita membra retinentur, ut non exhibeantur iniquitatis arma peccato : sic habendum existimo velut cibum vetitum mulier sola comederit.

N. 18. Nec tamen cùm solâ cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen et volvens libenter, quæ statim ut attigerunt animum, respui debuerunt, negandum est esse peccatum, sed longè minus quàm si et opere statuatur implendum. Et ideò de talibus quoque cogitationibus venia petenda est, pectusque percutiendum.... atque dicendum *Dimitte nobis debita nostra* (*Matth.* VI. 12) : faciendumque quod sequitur, atque in oratione jungendum *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*.... Si delectationibus illicitis ? à quibus se continuò deberet avertere cogitatio, libenter sola pascatur, nec facienda decernantur mala, sed tantùm suaviter in recordatione teneantur.... totus damnabitur, nisi hæc quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per mediatoris gratiam remittantur.

S. Thomas. 1. 2. *q.* 74. *a.* 6. *in c.* Deficit ratio in directione,.... quando imperat illicitas passiones, sicut quando homo ex deliberatione provocat sibi motum.... concupiscentiæ. Alio modo, quando non reprimit illicitum passionis motum : sicut cùm aliquis postquam deliberavit, quod motus passionis insurgens est inordinatus, nihilominùs circa ipsum immoratur, et ipsum non expellit : et secundùm hoc dicitur peccatum delectationis morosæ esse in ratione.

Ad tertium dicendum, quòd delectatio dicitur morosa, non mora temporis : sed ex eo quòd ratio deliberans circa eam immoratur, nec tamen eam repellit : tenens et volvens libenter, quæ statim ut attigerunt animum, respui debuerunt.

I. Quænam sunt quæ ad luxuriam solent homines provocare ?

R. Hæc fuit iniquitas Sodomæ, verba Dei sunt apud Ezechielem (XVI. 49.), *superbia, saturitas panis, et abundantia et otium ipsius et filiarum ejus, et manum egeno et pauperi non porrigebant.*

Præter hæc sunt et alia incentiva luxuriæ, nimirum consortium et familiaritas personarum alterius sexùs, spectacula profana, choreæ et saltationes, lectio librorum quibus amatoria describuntur, verbi gratiâ comœdiarum, vel fabularum equestrium. (F)

TERTUL. *De Spectaculis c.* 10.... Theatrum propriè sacrarium Veneris est... De gestu et flexu corporis mollitiæ Veneris et Liberi immolant : illi per sexum, illi per luxum dissolutis.

(F) L. CÆLII. LACTANTII *Institut. divinar. lib.* 6. *cap.* 20. Voluptas oculorum varia et multiplex est, quæ capitur ex aspectu rerum, quæ sunt in usu hominum vel naturâ vel opere delectabiles. Hanc philosophi rectissimè sustulerunt : aiunt enim multò esse præclarius, et homine dignius, cælum potiùs, quàm cælata intueri : et hoc pulcherrimum opus intermicantibus astrorum luminibus tanquam floribus adornatum, quàm picta, et ficta, et gemmis distincta mirari. Sed cùm disertè ad contemptum terrestrium nos exhortati sunt, et ad cœli spectaculum excitaverunt, tamen spectacula hæc publica non contemnunt. Itaque his et delectantur, et libenter intersunt. Quæ, quoniam maxima sunt irritamenta vitiorum, et ad corrumpendos animos potentissimè valent, tollenda sunt nobis ; quia non modò ad beatam vitam nihil conferunt, sed etiam nocent plurimùm.... In scenis quoque nescio an sit corruptela vitiosior. Nam et comicæ fabulæ de stupris virginum loquuntur, aut amoribus meretricum, et quò magis sunt eloquentes qui flagitia illa finxerunt, eò magis sententiarum elegantiâ persuadent : et faciliùs inhærent audientium memoriæ versus numerosi, et ornati. Item tragicæ historiæ subjiciunt oculis parricidia : et incesta Regum malorum, et cothurnata scelera demonstrant. Histrionum quoque impudicissimi motus, quid aliud nisi libidines docent, et instigant ? Quorum enervata corpora, et in muliebrem incessum habitumque mollita, impudicas feminas inhonestis gestibus, mentiuntur. Quid de mimis loquar corruptelarum præferentibus disciplinam ? Qui docent adulteria dùm fingunt, et simulatis eruditi ad vera ? Quid juvenes, aut virgines faciant, cùm hæc et fieri sine pudore, et spectari libenter ab omnibus cernunt ? Admonentur utique, quid facere possint, ei inflammantur libidine, quæ aspectu maximè concitatur, ac se quisque pro sexu in illis imaginibus præfigurat, probansque illa, dùm ridet, et adhærentibus vitiis, corruptiores ad cubicula revertuntur : nec pueri modò quos præmaturis vitiis imbui non oportet, sed etiam senes quos peccare jam non decet. Circensium quoque ludorum ratio quid aliud habet, nisi levitatem, vanitatem, insaniam ? Tanto namque impetu concitantur animi in furorem, quanto illic impetu curritur, ut jam plus spectaculi exhibeant, qui spectandi gratiâ veniunt, cùm exclamare, et efferri, et exsilire cœperint.... Vitanda spectacula omnia, non solùm ne quid vitiorum pectoribus insideat, quæ sedata et pacifica esse debent ; sed ne cujus nos voluptatis consuetudo delineat, et à Deo, atque à bonis operibus avertat.

Cap. 21. Carmen autem compositum, et oratio cum suavitate decipiens, capit mentes, et quò voluerit impellit.... Persuadet autem quidquid suave est, et animo penitùs, dùm delectat, insidet.... Ergo qui veritati studet, qui non vult se ipse decipere, abjiciat inimicas, ac noxias voluptates, quæ animam sibi vinciant... Præferantur vera falsis, æterna brevibus, utilia jucundis. Nihil aspectu gratum sit, nisi quod piè, quod justè fieri videas ; nihil auditu suave, nisi quod alit animam, melioremque te reddit.

S. AMBROS. *De fugâ seculi cap.* 1. *n.* 4. *Averte oculos meos ne videant vanitatem.* (*Ps.* CXVIII. 37.) Vanitas circus est.... Vanitas theatrum est : vanitas ludus omnis.

GRATIANUS *Decr. part.* 1. *Distinct.* 34. *c.* 19. *Ex Agathens. Concil. c.* 39. Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia, nec his cœtibus misceantur, ubi amatoria cantantur et turpia, aut obscœni motus corporum choreis et saltationibus efferuntur, ne auditus aut obtutus sacris mysteriis deputati, turpium spectaculorum atque verborum contagione polluantur.

Decr. part. 3. *de Consecrat. Distinct.* 5. *c.* 35. *Ex Concil. Nannetens. aut Matiscens. c.* 10. Nullus Presbyterorum, quando ad anniversarium diem trigesimum, vel septimum, vel tertium alicujus defuncti, aut quacunque vocatione ad collectam presbyteri convenerit.... bibere, vel alios ad bibendum cogere, vel se alienâ precatione ingurgitare, nec plausus et risus inconditos, et fabulas inanes ibi referre, aut cantare præsumat : vel turpia joca, vel urso, vel tornatricibus, ante se fieri patiatur : nec larvas dæmonum ante se ferri consentiat : quia hoc diabolicum est, et à sacris canonibus prohibitum.

JOAN. GERSON. *Part.* 4. *serm. Domin.* 3. *Adventûs, ex S. Carolo Borrom. Opusc. de choreis cap.* 17. *ait*, Choreas ob fragilitatem hominum difficilè sine diversis peccatis haberi, et omnia peccata chorcizare in choreis.

S. CAROLUS *Opusculo de Choreis, c.* 6. Qui sibi ex chorea periculum peccati mortalis timet, si accedit, peccat mortaliter. Quia *qui amat periculum, peribit in illo.* (*Eccli.* III. 27.) Idem dic si rationabiliter timere debeat, neque venia datur temeritati, aut cæcitati, quâ quis adit salutis periculum.

Cap. 14. Qui ad choreas accedunt, ferè omnes vitam quamdam laxiorem, et mundi corruptelas sequuntur. Ad quod demonstrandum, pono 1° neminem se debere periculo exponere, et occasiones omnes malas vitare quemque debere, secundùm illud Evangelii (*Matth.* XVIII. 9.) : *Si oculus tuus scandalizaverit te*, etc. Secundò considero illud pariter Evangelicum (*Matth.* V. 28.) : *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Deindè considero mares et feminas in choreis sedere : omnes ibi esse ad voluptatem capiendam paratos. Considero mutuos aspectus, moramque diuturnam, motus item corporis, in quibus oculi curiosi multa inveniunt luxuriosa incitamenta. Addo musicæ suavitatem, quæ maximam vim habet in quocunque genere quis occupetur, sive bonum sit, sive malum. Addo colloquia, quæ sæpè intercedunt. Addo tactum. Item considero omnes accedere quàm ornatissimos, plerumque etiam pleno ventre : item calorem, qui ex motu excitatur. Quibus omnibus consideratis, non video, cur, non dico homines vitæ laxioris, sed qui continentissimi sunt, sibi fidere in ejusmodi periculo debeant.... Quàm verò diligenter periculum etiam ex solo aspectu, nedum tactu et colloquio, vitare debeamus Spiritus sanctus nos docet (*Eccli.* IX. 5. 8. 9.) : *Virginem ne aspicias, ne forte scandalizeris in decore* ejus : Et *averte faciem tuam à muliere comptâ, et ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt, et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.....* Addi potest ab aspectu nasci amorem. Addamus exemplum David, qui ex aspectu illo in gravissima peccata incidit : et exemplum Sichem, qui cùm Dinam aspexisset, et libidine propterea exarsisset, ex ea re tantum malorum intulit suis. Ideò dicebat David (*Ps.* CXVIII. 37.) : *Averte oculos meos ne videant vanitatem :* et (Job. XXXI. 1.) : *Pepigi fœdus cum oculis meis ut ne cogitarem quidem de virgine.* Adde S. Augustini dictum : quòd non licet aspicere quod non licet desiderare.... Quare in tanta corruptela atque periculis, nimis severi videri non debemus, si istos chorearum sectatores à peccato mortali excusare non audemus.

M. Nicole *Traité de la Comédie, Tom.* 3. *des Essais de Morale, chap.* 3. Comme la passion de l'amour est la plus forte impression que le péché ait faite sur nos ames,... il n'y a rien de plus dangereux que de l'exciter, de la nourrir, et de détruire ce qui la tient en bride et qui en arrête le cours :.... et rien ne diminue davantage cette horreur que la comédie et

les romans, parce que cette passion y paraît avec honneur et d'une manière qui au lieu de la rendre horrible, est capable au contraire de la faire aimer. Elle y paraît sans honte et sans infamie. On y fait gloire d'en être touché : ainsi l'esprit s'y apprivoise peu à peu. On apprend à la souffrir et à en parler ; et l'ame s'y laisse ensuite doucement aller, en suivant la pente de la nature.... La représentation d'un amour légitime, et celle d'un amour qui ne l'est pas, font presque le même effet, et n'excitent qu'un même mouvement, qui agit ensuite diversement selon les différentes dispositions qu'il rencontre : Et souvent même la représentation d'une passion, couverte de ce voile d'honneur, est plus dangereuse ; parce que l'esprit la regarde avec moins de précaution, qu'elle y est reçue avec moins d'horreur, et que le cœur s'y laisse aller avec moins de résistance.

Chap. 4. Ce qui rend ce danger plus grand, est que la comédie éloigne tous les remèdes qui peuvent empêcher la mauvaise impression qu'elle fait. Le cœur y est amolli par le plaisir. L'esprit y est tout occupé des objets extérieurs, et entièrement enivré des folies que l'on y voit représenter, et par conséquent hors de l'état de la vigilance chrétienne nécessaire pour résister aux tentations.

Chap. 5. Quelque soin que l'on prenne de séparer de la Comédie et des Romans ces images des déréglemens honteux, l'on n'en ôtera jamais le venin ; puisque l'on y voit toujours une vive représentation de cette attache passionnée des hommes envers les femmes, qui ne peut être innocente ; et que l'on n'empêchera jamais que les femmes ne s'y remplissent du plaisir qu'il y a d'être aimées et d'être adorées d'un homme ; ce qui n'est pas moins dangereux ni moins contagieux pour elles, que les images des désordres visibles et criminels. Mais les Comédies et les Romans n'excitent pas seulement les passions, elles enseignent aussi le langage des passions ; c'est-à-dire, l'art de s'en exprimer et de les faire paraître d'une manière agréable et ingénieuse, ce qui n'est pas un petit mal. Il y a bien des gens qui étouffent de mauvais desseins, parce qu'ils manquent d'adresse pour s'en exprimer. Et il arrive aussi quelquefois que des personnes, sans être touchées de passion, et voulant simplement faire paraître leur esprit, se trouvent ensuite insensiblement engagées dans des passions qu'elles ne faisaient au commencement que contrefaire.

Chap. 7. Ce qui rend encore plus dangereuse l'image des passions que les Comédies nous proposent, c'est que les Poëtes pour les rendre agréables sont obligés, non-seulement de les représenter d'une manière fort vive, mais aussi de les dépouiller de ce qu'elles ont de plus horrible, et de les farder tellement par l'adresse de leur esprit, qu'au lieu d'attirer la haine et l'aversion des spectateurs, elles attirent au contraire leur affection. De sorte qu'une passion, qui ne pourrait causer que de l'horreur si elle était représentée telle qu'elle est, devient aimable par la manière ingénieuse dont elle est exprimée.

M. Duguet. *Traité des Spectacles, Tom.* 4. *des Essais de Morale, n.* 8. Ou le spectacle attache et fait plaisir, ou l'on en est mécontent. Dans ce dernier cas, on montre par son chagrin ce qu'on désirait et ce qu'on était allé chercher. On se plaint de ce que par la faute de la pièce ou des acteurs, l'esprit et le cœur ont été laissés immobiles ; on a regret à l'innocence et à la tranquillité qu'on remporte.

N. 10. *et* 11. Tout ce qui est Spectacle est passion. Les sentimens ordinaires et modérés ne frapperaient pas. Ainsi les sens n'y sont pas seulement séduits par l'extérieur ; mais l'ame y est attaquée par tous les endroits où sa corruption est sensible. Car elle n'aime ces choses au dehors que parce qu'elles sont les images de ses maladies. Elle est flattée par tout ce qui flatte ses passions. Elle veut sentir ce qu'elle aime, et elle aime ce qu'elle veut sentir. Voilà ce qui mène aux Spectacles. Car tout ce qu'on y voit et qu'on y entend ne s'adresse qu'aux sens et à la cupidité. Les maximes établies avec plus de soin, sont les plus conformes aux passions, et par conséquent les plus fausses : et si le vice y est quelquefois condamné, c'est pour en justifier quelqu'autre plus éclatant, mais plus dangereux.... Car on devient aisément ce qu'on regarde avec plaisir, puisque c'est le plaisir qui tourne le cœur, et qu'il est impos-

I. Quænam sunt luxuriæ filiæ?

R. Octo recensentur à Sancto Gregorio magno (*Lib. 31. moral. in Job. cap. 17. paulò ante finem*) : nimirum, cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus præsentis seculi, horror vel desperatio futuri.

His addere licet, ex luxuriâ ut plurimùm sequi obdurationem cordis, detrimentum sanitatis, rei domesticæ confusionem et dissipationem, scurrilitatem, turpiloquia, torditatem et stuporem ingenii, denique mortem in peccato, nullâ prævià pœnitentiâ.

I. Quænam sunt luxuriæ vel antidota vel remedia, quæ ab eo peccato vel avocant vel revocant?

R. 1. Fugà eorum omnium, quæ superiùs diximus ad luxuriam provocare ut plurimùm.

2. Studium orationis, cordis gemitus.

3. Sejunctio à frequenti hominum consortio.

4. Labor continuus.

5. Mortificatio carnis.

6. Diligens custodia sensuum, alienusque ab omni curiositate animus.

7. Frequens usus Sacramenti pœnitentiæ.

8. Jugis meditatio mortis et æternitatis. (G)

sible qu'il n'approuve pas ce qu'il goûte avec joie, qu'il soit autrement disposé que ce qu'il aime.... Car ce qu'on voit dans autrui touche assez pour faire plaisir, et ne le fait pas assez pour tourmenter. C'est en cela qu'est l'artifice du Théâtre, et c'est aussi en cela que consiste l'illusion et le danger. Car on ne se défie point de l'amour ni de l'ambition, quand on n'en fait que sentir les mouvemens sans en éprouver les inquiétudes : et cela arrive toujours quand on n'en voit que l'image ; mais l'image ne peut plaire sans remuer le cœur, et ce mouvement qui l'amollit et le corrompt a d'autant plus d'effet, qu'il est plus doux, et qu'il avertit moins.

Lege S. Caroli *integrum* Opusculum, *ut et Tractatus* DD. Nicole *et* Du Guet *suprà laudatos, nec non Serenissimi Principis* De Conti *eximium* de Comœdia *Librum.*

(G) Prov. vi. 24. Præcepta patris tui... custodiant te à muliere mala, et à blanda lingua extraneæ. 25. Non concupiscat pulchritudinem ejus cor tuum, nec capiaris nutibus illius. 26. Pretium enim scorti vix est unius panis : mulier autem viri pretiosam animam capit. 27. Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant? 28. Aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? 29. Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus cùm tetigerit eam. 32. Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam. 33. Turpitudinem et ignominiam congregat sibi, et opprobrium illius non delebitur : 34. Quia zelus et furor viri non parcet in die vindictæ, 35. nec acquiescet cujusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.

Sap. viii. 21. Et ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum : adii Dominum, et deprecatus sum illum.

Eccli. xlii. 9. Filia patris abscondita est vigilia, et sollicitudo ejus aufert somnum, ne fortè in adolescentia sua adulta efficiatur, et cum viro commorata odibilis fiat : 10. nequandò polluatur in virginitate sua, et in paternis suis gravida inveniatur : ne forte cum viro commorata transgrediatur.... 11. Super filiam luxuriosam confirma custodiam : ne-

quandò faciat te in opprobrium venire inimicis, à detractione in civitate, et objectione plebis, et confundat te in multitudine populi. 12. Omni homini noli intendere in specie : et in medio mulierum noli commorari : 13. De vestimentis enim procedit tinea, et à muliere iniquitas viri.

2. Cor. xii. 7. Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet. 8. Propter quod ter Dominum rogavi ut discederet à me. 9. Et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea ; nam virtus in infirmitate perficitur.

S. Basilius *initio Lib. de verâ atque integerrimâ virginitate ad Letoium. tom.* 1. *pag.* 706. *Edit. Paris. ann.* 1638. *mihi p.* 518. Magnum reverà quiddam, ac præclarum virginitas est, quæ.... hominem incorruptibili Deo simillimum facit. Hæc autem profectò non à corporibus ad animas manat : sed cùm incorporalis animæ propria et præcipua sit, ejus pretiosissimâ integritate corpora quoque incorrupta servantur. Anima enim veri boni desiderio imagineque suscepta, ad ipsum, veluti pennâ quâdam pudicitiæ, sanctitate subvenitur, ac incorruptibilem Deum inviolabili puritate colere omni studio intenta, corporis virginitatem ad ejus, quod per se bonum est, obsequium veluti ancillam ducit. Eam verò sociam, assistricemque tranquillissimam ad Dei contemplationem adesse sibi jugiter cupiens, obstrepentes illi voluptates corporis quàm longissimè fugiat, certè earum, quæ sub ventre sunt, voluptatum continentiam corporalis integritatis obsequiis mancipans, hanc ipsam suæ virginitatis pedissequam facit. Ita fit ut alia quidem omnia, scilicet ciborum abstinentia, et reliqua sancti propositi austeritas, quæ fluentibus per corporis sensus contra carnis integritatem voluptatibus obstat : ipsaque virginitas, carnis illius gratia, servetur.... Sic autem fidelis anima ab omni sordidæ cogitationis labe puram, immaculatamque custodiens ad id provehitur, ut similitudinem incorruptibilis Dei in speculo mundissimo.... consequatur.... Virgo, quæ nullam femineæ voluptatis labem ex corpore patitur, et omnia carnis vitia, omnemque perturbationem animi ab se prorsùs eliminans, purrissimam se Deo sistere, quem amare profitetur, tota animi intentione conatur : manifestum est, quòd..... vim inferre naturæ suæ debeat, neque eam tantùm superare voluptatem, quæ in ejusmodi ita effecto corpore concubitûs illecebram suggerit : verùm contra omnem voluptatis speciem fortiter constanterque persistere..... Quocirca sancta virgo sensuum fenestris custodem admovere rationem, eorumque ad exteriora progressum nequaquam eis transitu libero passim permisso, moderatum et quietum efficere omni studio curabit.... Non igitur oculorum acies ad omnia passim inspicienda visibilia pandenda est, ne omnem quoque figurarum atque formarum speciem sine discretionis examine hauriens, ad earum posteà turbetur imagines. Verùm apertis ad ea, quæ vitæ usu necessario inspicienda sunt, corporeis oculis, animæ omninò claudet obtutus, eosque ad veri intuitum luminis, et ejus, quæ ex illo insinuatur, pulchritudinis considerationem etiam catenus clausos, pervigili aperiet studio. Nec auditum quidem temerè, et indiscussè verbis omnibus accommodabit : cæterùm ad ea, quæ mala sunt, et noxia, ipsum veluti ad pestem quamdam putidi ac perniciosi amnis obturabit. His verò quæ sunt optima, emanantque virtutis purissimos latices, totâ intentione subjiciet. Gustum ad suavia et dulcia semper inhiantem ratione frenabit, et ad ea, quæ sunt necessariò sumenda, moderabitur. Tactum verò ut sensuum omnium perniciosissimum et sævissimè blandientem, sensusque reliquos in sua ad voluptatis illecebras pellicientem, immaculatum et perturbationibus minimè pervium semper, quàm maximâ poterit curâ, servabit.... Ante omnia igitur adversùs gustum virgo totâ intentione pugnabit : fontesque voluptatum ventris, et impudicitiæ fomitum indè manantium à principio castitatis studio et ardore siccabit. Ne dùm virginitatem servare proponit, gustui se immoderatè prostituens castitatem suam aliâ fruendi voluptate devictâ, sensim, dùm nescit, amittat.... Itaque omnibus in locis cibus, qui sit ad victum necessarius, solerti ratione inquirendus, condimentorumque elaboratæ blanditiæ, ut voluptatis illecebræ repudiandæ.... Oportet igitur concupiscibile carnis, atque ad vitia voluptatesque proclive, per continentiæ

exercitia frangere : quod verò ejus virile est, atque ad acquisitionem virtutis necessarium, providâ consideratione servare.... Non ignorent igitur hi, qui veræ virginitatis ancillam per abstinentiam ciborum et cæteros labores sancti instituti virginem servare pergunt, fieri posse ut hujusmodi corpore sit virgo, non animâ. Sufficit enim et aspectus qui animæ turpium rerum impressit imagines, et sermo lascivior in aures cum voluptate delapsus animum impudicitiæ ratione corrumpere.... Necesse est virgo animam longè majore observet curâ, quàm corpus.... Omni custodiâ servet cor suum, ut neque per vocem profluens sermo auditorem demulceat ad voluptatis illecebram : neque rursùs extrinsecus in aurem ab alio invectus ipsius cor ad concupiscentiam molliat. Eadem illi aspectùs quoque ratio habenda est, ut videlicet non sit ejus mollis obtutus, ne intuentibus voluptatis contra se emittat indicia : neque emissum forinsecùs oculi jactum se patiatur attingere, ne hoc veluti ignito jaculo in corde percussa, ad voluptatis inflammetur imagines.... Idcircò virgini, principio quidem, summopere cavendum est, ne cuiquam infigat obtutus. Vel certè, si defixisse contigerit, figuras animo altiùs infigi molientes à se contrariâ virtute rejiciat, ac penitùs arceat : ut nullam corporis speciem diuturnis consuetudinis objectaculis formet.... Quæ igitur non evitavit luminum jactum, quantùm in se est, ne manuum quidem tactum polluta vitabit. Enim verò quæ ejusmodi amatorio tactu fuerit innexa, nunquam à sordida inquinatione munda reperitur.... Lascivus obtutus, vel sermo voluptatis delinitus illecebris, in virginis animam, velut in undam purissimam vehementer injectus, alias post alias quasi in profundo cogitationes amatorias excitat : ipsamque totam ejus, qui fecit imaginem sauciam, fluctibus agitat. Quocirca summo studio oportet virginem aspectùs vocisque blanditias, ut pestiferæ ac perditæ voluptatis illecebras, à sensibus suis quàm longissimè arcere : et aurem quidem intùs castissimâ cogitatione, oculos verò castissimâ aversione munire. Non solùm igitur ornari virginem non decet : aut impudicis luminibus fucatam formam ad lenocinium voluptatis ingerere, sed amore puritatis intimæ, naturalem quoque pulchritudinem pro viribus obnubere, ac dedità operà exstinguere. Non se patiatur sancta virgo.... subjici carnalibus curis : neque in suam aliorumque perniciem carnalia ornamenta conquirat : sed ad firmam se, atque constantem virtutis speciem pudicis gestibus virilique robore subrigat. Neque.... horis quibuslibet temerè prodire præsumat : et improbè atque intempestivè per vicos omnes volitando discurrere, intuendamque se cunctorum oculis petulanter inferre, nec bonum Domini mandatum non competenter usurpans, ad sui ipsius reprehensionem malè invertet, neque usquam omninò sine ratione prodibit. Cæterum, habità diligenti ætatis suæ ratione, non temerè progredietur, sed intra annos adolescentiæ posita ad Ecclesiam tantùm, ne tum quidem sola et incomitata procedet.... Eas quippè, quæ per vicos ac domos liberè volitant, indisciplinatas esse, non virgines veritatis sermo denuntiat. Otiosæ enim addiscunt circumeuntes domos. Non solùm autem otiosæ, sed et nugaces et curiosæ, loquentes ea quæ non decet. Longè sanè indecentius est virginem, quæ verecundiæ ad virum nunquam exuit tunicam, honestam ac pudicam non servare linguam, gressumque suum eà diligentià non moderari, ut nunquam illum nisi ad usum necessarium atque utilem proferat. Illa namque tantùm loqui virginem decet, quæ audientium animos juvare possint, et per sermonis puri veritatem atque rectitudinem ad intelligentiam divinarum rerum ubertim instruere atque exornare.... *Ex corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria.* (*Matth.* XV. 19.) Vera igitur virgo ex morum puritate, tanquam ex vitreo fonte, sermonem suum lucidum, omnisque inquinationis agitatione purum effundere tranquillè debet, qui non modò nihil noxium aut subdolum, et quod sensum ad voluptatem demulceat, importet : verùm ne otiosum quidem ac ratione vacuum, atque adeò rationali animâ indignum. Omne denique verbum, quod ex virginis purissimo hauritur fonte, veluti incorruptionis poculo, implere auditoris animam debet.... Diligenter enim observandum est cui, quomodò, et quandò eam loqui deceat. Nam neque passim quibuscumque obviis convenit

sermonem virginis fluere, neque rursùs his, qui sunt digni veneratione, insolentèr et inverecundè nudari : neque si careat utilitate contra propositum, ac præter dignitatem virginis fundi.... Castigatà ergo locutione prudens virgo utetur, cumque tempestivè quempiam oportuerit alloqui, multò audiet plura quàm dicet, omnisque sermo ejus, cùm procedet ex labiis, solam utilitatem audientium feret. Aut, si interrogandum fuerit, instruendi animi gratiâ, sobriè ex ore ac verecundè prodibit. Aliàs verò intra cordis sui secreta cubilia quiescet : id jugiter atque plus aliis orans : *Pone Domine custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis* (*Ps.* CXL. 3.) : atque in hunc modum os suum orationibus muniet. Nec minori sanè studio aures obstruere curabit, ne quidquam in eas malum ac noxium influat, auditumque suum mente ac ratione frenabit : in oris ac linguæ quiete Dominum assiduè deprecans : *Ne declines cor meum in verbà malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis...* (*Ibid.* 4.) Quæ verè virgo est eà, quam diximus, diligentiâ in locutione, silentio, processuque se observabit.... Neque verò usquam in vicis et plateis, ubi turpium flagitiosorumque hominum conflari cœtus consueverit, sacra virgo cernatur.... Nullà igitur ex parte mœchari convenit virginem, non linguà, non aure, non oculo, non tactu, non ullo denique sensu, multoque minùs animo : sed corpus quidem, veluti delubrum quoddam, aptissimè instruere atque servare ; animam verò in hoc ipso, ut sponsam nitidam et purissimam, sponsi amplexibus jungere. Diligenter enim ille omnia rimatur et discutit : non ea solùm, quæ mortalibus patent obtutibus, sed quæ in intimis animi recessibus latent, ipsiusque oculos nulla peccatricis conscientiæ latebra unquam effugere poterit... Memoriâ repetens quia oportet nos manifestari ante tribunal Christi, non modò quidquam turpe agere, sed et cogitare formidabit.... Igitur si nihil est opertum, quod non reveletur ..... virgo ne peccet, curam sollicitam habebit. Nec modò hominum vitabit obtutus, verùm longè dignius suos, Angelorumque ubique cuncta spectantium reverebitur.... Natura ipsa criuibus jam tunc à principio mulieris caput operuit : eo ipso admonens, non decere mulierem non modò ullum membrorum cæterorum, verùm ne caput quidem temerè indifferenterque nudare.... Quòd si neque cùm sola est, nudari sine ratione permittitur : quantò minùs fratribus in Christo præsentibus? Et pudore igitur et tunicà seipsam pudicè ac verecundè componet, nec solùm nihil membrorum, quæ operta sunt, violari ullâ ratione permittet, verùm summâ se curâ et observatione circumteget, ut non solùm ipsa illæsa atque illibata permaneat, sed et qui eam intuentur, nullam ex ejus aspectu læsionis materiam capiant. (*Genes.* VI. 2.) Videntes enim Filii Dei filias hominum quòd essent pulchræ, devoluti sunt ad eas. Sufficit quippè vel modicè nudata pulchritudo Dei quoque filios ad voluptatem emollire, et quasi homines, ejus causâ morientes, mortales ostendere. Quocirca minimè oportet, ut suæ tantùm innocentiæ sollicita, eorum qui lædi possunt, salutem aspernetur, verùm omni ex parte et sui ipsius inviolabile servare propositum studeat, et se intuentibus emolumentum vitæ, non mortis propinare veneuum.... Providendum est, ne ponat fratri offendiculum, aut scandalum : .... loquatur verecundè.... servet ubique, dum loquitur, pudicam sobrietatem. Oportet enim eam simplicitati columbæ serpentis miscere prudentiam..... Necessariò summâ exactissimàque diligentiâ observandus est virgini auditus et visus.... Ante omnia igitur oportet virginem cogitationes suas puras, inviolatasque servare.... Porrò si pessimis cogitationibus contaminetur anima, quantumlibet corpus permanere incorruptum videatur, non tamen munda ejus censetur integritas, cùm sordibus cogitationum inquinata vitietur.... Non ergo vel utero eodem genito soror jugi fratris tactui, et osculis se assuefaciat, ne per assiduitatem exorta in intimis passio suo tempore in actum prorumpat, maximè cùm ex venusta corporis forma amoris faces in eorum oculis magis magisque succenderit.... Cùm enim cæteris, qui beati esse student, tum sponsæ Christi in primis convenit operationes animæ, quæ per sensus fiunt, ab exterioribus ad interiora convertere, ac sponso in intimis thalamis ut Deo Dei Verbo perpetuâ dilectione sociari, cum eo colloqui, et in ejus die noctuque lege meditari, et his quidem quæ ad sponsum ducunt,

lege scilicet et Evangelio : et si qua his consona sponsi decorem exponunt oblectari : sanctisque intelligentiarum fœtibus, sapientem ac rationalem magis ac magis semper evadere, donec æternam sapientiam sibi penitùs jungat, unumque cum eo, cui inhæsit, effecta, ex corruptibili fiat incorruptibilis : ex imperita prudens ac sapientissima.... Itaque multò meliùs est virginem securitati suæ et intuentium scandalo cautè prospicere, ac prudenter consortia quæque vitare, atque interim inhumanitatis elogio apud Ierosque notari, quàm ad voluptatem detrimentumque cujusquam, obtentu humanitatis et officii, locum latenti subreptioni dare.

S. HIERONYM. *advers. Jovinian. lib.* 2. *pag.* 200. *p.* 2. *T.* 4. *nov. edit.* Si vis perfectus esse, bonum est vinum non bibere, et carnem non manducare. Si vis perfectus esse, melius est saginare animam, quàm corpus. Si autem parvulus es, et cocorum jura te delectant, nemo eripit faucibus tuis esculentas dapes. Manduca et bibe : et si tibi placet, cum Israële lude consurgens et canito : *Manducemus, et bibamus, cras enim moriemur.* (1. *Cor.* XV. 32.) Manducet et bibat, qui post cibos exspectat interitum; qui cum Epicuro dicit : Post mortem nihil est, et mors ipsa nihil est.... Repugnantem carnem, et ad libidinum incentiva rapientem, inediâ subjugamus? Esus carnium, et potus vini, ventrisque saturitas, seminarium libidinis est. Undè et comicus : *Sine Cerere*, inquit, *et Libero friget Venus.*

Pag. 202. Per quinque sensus, quasi per quasdam fenestras, vitiorum ad animam introitus est. Non potest antè metropolis et arx mentis capi, nisi per portas ejus irruerit hostilis exercitus. Horum perturbationibus anima prægravatur; et capitur aspectu, auditu, odoratu, sapore, tactu. Si circensibus quispiam delectetur : si athletarum certamine : si mobilitate histrionum; si formis mulierum, splendore gemmarum, vestium, metallorum, et cæteris hujuscemodi, per oculorum fenestras animæ capta libertas est, et impletur illud propheticum : *Mors intravit per fenestras vestras.* (*Jer.* IX. 21.) Rursum auditus vario organorum cantu, et vocum inflexionibus delinitur : et carmine Poetarum et Comœdiarum, mimorumque urbanitatibus et strophis : et quidquid per aures introiens, virilitatem mentis effeminat. Odoris autem suavitas, et diversa thymiamata, et amomum, et cyphi, œnanthe, muscus, et peregrini muris pellicula, quòd dissolutis et amatoribus conveniat, nemo nisi dissolutus negat. Porrò ciborum aviditas, quòd avaritiæ mater sit, et animum quasi quibusdam compedibus degravatum in terra teneat, quis ignorat? Propter brevem gulæ voluptatem, terræ lustrantur et maria : et ut multum vinum pretiosusque cibus fauces nostras transeat, totius vitæ opera desudamus. Tactus autem alienorum corporum, et feminarum ardentior appetitus, vicinus insaniæ est.

Epist. 95. *aliàs* 4. *ad Rusticum, part.* 2. *Tom.* 4. *nov. edit.* Tu verò si Monachus esse vis non videri : habeto curam, non rei familiaris cui renuntiando, hoc esse cœpisti, sed animæ tuæ. Sordidæ vestes, candida mentis indicia sint : vilis tunica, contemptum seculi probet; ita duntaxat, ne animus tumeat : ne habitus sermoque dissentiant. Balnearum fomenta non quærat, qui calorem corporis, jejuniorum cupit frigore exstinguere. Quæ et ipsa moderata sint : ne nimia debilitent stomachum, et majorem refectionem poscentia, erumpant in cruditatem; quæ parens libidinum est. Modicus ac temperatus cibus, et carni, et animæ utilis est. Matrem ita vide, ne per illam alias videre cogaris; quarum vultus cordi tuo hæreant, et tacitum vivat sub pectore vulnus. Ancillas, quæ illi in obsequio sunt, tibi scias esse in insidiis : quia quantò vilior earum conditio, tantò facilior est ruina. Quandiù in patriâ tuâ es, habeto cellulam pro paradiso; varia Scripturarum poma decerpe; his utere deliciis, harum fruere complexu. Si scandalizat te oculus, pes, manus; projice ea. Nulli parcas, ut soli parcas animæ. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo.* (*Matth.* V. 28.) Quis gloriatur castum se habere cor? Astra non sunt munda in conspectu Domini : quantò magis homines, quorum vita tentatio est? Væ nobis qui quoties concupiscimus, toties fornicamur.... Vas electionis,.... macerat

corpus suum, et subjicit servituti, et tamen cernit naturalem carnis ardorem suæ repugnare sententiæ, ut quod non vult, hoc agere compellatur; et quasi vim patiens, vociferatur, et dicit: *Miser ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus?* (*Rom.* VII. 24.) Et tu te arbitraris absque lapsu et vulnere posse transire, nisi omni custodiâ servaveris cor tuum.... Volo ergo te.... non habitare cum matre: præcipuè, ne aut offerentem delicatos cibos, renuendo contristes: aut si acceperis, oleum igni adjicias; et inter frequentiam puellarum per diem videas, quod nocte cogites. Nunquam de manu et oculis tuis recedat liber; discatur Psalterium ad verbum; oratio sine intermissione; vigil sensus, nec vanis cogitationibus patens. Corpus pariter et animus tendatur ad Dominum. Ama scientiam Scripturarum et carnis vitia non amabis. Nec vacet mens tua variis perturbationibus. Quæ si pectori insederint, dominabuntur tui; et te deducent ad delictum maximum. Facito aliquid operis, ut te semper diabolus inveniat occupatum.... Scribantur libri, ut et manus operetur cibum, et animus sectione saturetur. In desideriis est omnis otiosus. Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque operis labore suscipiant, non tam propter victûs necessitatem, quàm propter animæ salutem, ne vagetur perniciosis cogitationibus mens..... Ita ergo age et vive in monasterio, ut clericus esse merearis, ut adolescentiam tuam nullâ sorde commacules. Ut ad altare Christi quasi de thalamo virgo, procedas, et habeas deforis bonum testimonium: feminæque nomen tuum noverint et vultum tuum nesciant... Inter ipsos (cleros) sectare meliores, quia in omni conditione et gradu optimis mixta sunt pessima..... Hæc expressiùs loquor, ut adolescentem meum et linguæ et aurium prurigine liberem; ut renatum in Christo, et sine ruga et macula quasi pudicam virginem exhibeam, castam tam mente quàm corpore.

Epist. 18. *aliàs* 22. *ad Eustochium de custodia virginitatis*, *T.* 4. *p.* 2. *nov. edit....* Sponsa Christi vinum fugiat pro veneno. Hæc adversùs innocentiam prima arma sunt dæmonum.... Quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus?.... *Noë vinum bibit, et inebriatus est...* Post ebrietatem nudatio femorum subsecuta est, libido juncta luxuriæ.... Quas saturitas de Paradiso expulit, reducat esuries..... Nolo habeas consortium matronarum: nolo ad nobilium domos accedas. Nolo te frequenter videre, quod contemnens, virgo esse voluisti.... Etiam eas fuge, quas viduas necessitas fecit, non voluntas. Rarus sit egressus in publicum..... Nunquam causa deerit procedendi, si semper quando necesse est, processura sis. Sit tibi moderatus cibus, et nunquam venter expletus. Plures quippe sunt quæ cùm vino sint sobriæ, ciborum largitate sunt ebriæ. Ad orationem tibi nocte surgenti non indigestio ructum faciat, sed inanitas. Tenenti codicem somnus obrepat, et cadentem faciem pagina sancta suscipiat. Sint tibi quotidiana jejunia, et refectio satietatem fugiens. Nihil prodest biduo, triduoque transmisso, vacuum portare ventrem, si pariter obruatur, si compensetur saturitate jejunium. Illicò mens repleta torpescit, et irrigata humus spinas libidinum germinat.... Cùm te in lectulo compositam dulcis libidinum pompa concusserit, arripe scutum fidei, in quo ignitæ diaboli exstinguntur sagittæ.... Lava per singulas noctes lectum tuum, lacrymis tuis stratum tuum riga. Vigila et sito sicut passer in solitudine.... Psalle spiritu, psalle et sensu.... Obtestor te coram Deo, et Christo Jesu, et electis Angelis ejus; ne vasa templi Domini, quæ solis Sacerdotibus videre concessum est, facilè in publicum proferas; ne sacrarium Dei, quisquam profanus aspiciat. Oza arcam, quam non licebat tangere, attingens, subitâ morte prostratus est. Neque enim vas aureum et argenteum tam carum Deo fuit, quàm templum corporis virginalis.... Tu quidem simpliciter loqueris, et ignotos quosque blandè non despicis; sed aliter vident impudici oculi. Non norunt animæ pulchritudinem considerare, sed corporum.... Ne declines aurem tuam in verba malitiæ. Sæpè enim indecens aliquid loquentes, tentant mentis arbitrium. Si libenter audias virgo quod dicitur; si ad ridicula quæque solvaris, quidquid dixeris laudant.... In te nullus extrinsecus sit cogitatus.... Tu semel seculi onere projecto, sede ad pedes Domini... Semper te cubiculi

tui secreta custodiant : semper sponsus tecum ludat intrinsecùs. Oras, loqueris ad sponsum : legis, ille tibi loquitur.... *Hortus conclusus soror mea sponsa ; hortus conclusus, fons signatus.* (*Cant.* IV. 12.) Cave ne domum exeas.... Dina egressa, corrumpitur. Nolo te sponsum quærere per plateas. Noto te circumire angulos civitatis.... Sponsus in plateis non potest inveniri.... Zelotypus est Jesus, non vult ab aliis videri faciem tuam.... Sis licèt pulchra, et inter omnes mulieres species tua diligatur à sponso, nisi te cognoveris et omni custodiâ servaveris cor tuum, nisi oculos juvenum fugeris, egredieris de thalamo meo, et pasces hœdos, qui staturi sunt à sinistris.... Audi Isaïam loquentem (XXVI. 20.) : *Populus meus intra cubiculum tuum, claude ostium tuum, abscondere....* Foris vagantur virgines stultæ, tu intrinsecùs esto cum sponso.... Cordis tui ostia.... pateant Christo, claudantur diabolo.... Vestis nec satis munda, nec sordida, et nullâ diversitate notabilis ; ne ad te obviam prætereuntium turba consistat, et digito monstreris.... Nec satis religiosa velis videri, nec plus humilis quàm necesse est, ne gloriam fugiendo quæras.... Nec affectatæ sordes, nec exquisitæ mundi|iæ conveniunt Christiano. Quanquam Apostolus orare nos semper jubeat, et Sanctis etiam ipse sit somnus oratio ; tamen divisas orandi horas habere debemus ; ut si fortè aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat. Noctibus bis terque surgendum, revolvenda quæ de Scripturis memoriter retinemus. Egredientes de hospitio, armet oratio : ingredientibus de platea, oratio occurrat antequam sessio ; nec priùs corpusculum requiescat, quàm anima pascatur. Ad omnem actum, ad omnem incessum, manus pingat crucem.

S. AMBROS. *de Fugâ seculi, c.* 1. *n.* 1. Frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, et vanitatum effusio mentem occupat ; ut quod studeas vitare, hoc cogites, animoque volvas : quod cavere difficile est homini, exuere autem impossibile.... Non enim in potestate nostra est cor nostrum, et nostræ cogitationes quæ improviso effusæ mentem animumque confundant, atque aliò trahunt quàm tu proposueris, ad secularia revocant, mundana inserunt, voluptuaria ingerunt, illecebrosa intexunt.

N. 2.... Beatus planè quem delectatio non revocat, quem non inclinat voluptas, qui ad inferiora non respicit.

N. 3. Nam quis inter passiones hujus corporis, inter tot illecebras hujus seculi tutum atque intemeratum servare potest vestigium ? Respexit oculus et sensum mentis avertit : audivit auris, et intentionem inflexit : inhalavit odor, et cogitationem impedivit : os libavit, et crimen retulit : tactus contigit, et ignem adolevit. Intravit mors per fenestram, dixit Propheta. (*Jerem.* IX. 21.) Fenestra tua, est oculus tuus. Si videas mulierem ad concupiscendum, intravit mors : si audias sermones meritricios, intravit mors : si luxuria sensus tuos capiat, penetravit mors. Et ideò qui vult ascendere, non læta seculi, non amœna, non delectabilia, sed plena doloris et fletûs sequatur.

Cap. 6. *n.* 34.... Fugit Elias mulierem Jezabel.... fugiebat secularem illecebram, et conversationis maculosæ contagionem....

Cap. 9. *n.* 51. Fugiamus sicut cervi ad fontes aquarum : quos sitiebat David, sitiat et anima nostra. Quis est ille fons ? Audi dicentem : *Quoniam apud te est fons vitæ.* (*Ps.* XXXV. 10.) Huic fonti dicat anima ; *Quando veniam et apparebo ante faciem tuam ?* (*Psal.* XLI. 3.) Fons enim Deus est : sed qui hunc fontem desiderat, effundat super se animam suam ; ut nihil passioni carnis relinquat, sed ubique anima superfluat.

N. 52. Pulchrè eam effudit Susanna, ut evaporare in eam non possent incendia corporis, mortis formidines, vitæ cupiditates. Effusa super ipsam anima omne restinxit carnale desiderium, seculare studium.

S. GREGOR. MAGN. *Lib.* 21. *in Job. c.* 2. *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras.* (*Jerem.* IX. 21.) Mors quippe per fenestras ascendit, et domum ingreditur, cùm per sensus corporis concupiscentia veniens habitaculum intrat mentis.... Quisquis verò per has corporis fenestras incautè exteriùs respicit, plerumque in delectationem peccati, etiam nolens cadit ; atque obligatus desideriis, incipit velle quod noluit. Præceps quippè anima, dum antè non prævidet, ne incautè videat quod

I. Estne luxuria grave peccatum ?

R. Est peccatum ex genere suo mortale et gravissimum : *Propter quòd maximè venit ira Dei*, ut ait Apostolus. (*Ephes.* v. 6.) *Nescitis*, inquit idem Apostolus, (1. *Cor.* III. 16.), *quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis ? Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Et (*Ibid.* VI. 15.) : *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi ? Tollens autem membra Christi, faciam membra meretricis ? Absit.*

Videantur ea de re SS. Patres Tertullianus, S Cyprianus, S. Chrysostomus, S. Augustinus et alii, quos hîc enumerare superfluum est. (H)

concupiscat, cæca post incipit desiderare quod vidit. Sanctus autem Job.... ut cogitationes cordis castè servare potuisset, fœdus cum oculis pepigit, ne prius incautè aspiceret, quod postmodum invitus amaret.... Ne ergo quædam lubrica in cogitatione versemus, providendum nobis est ; quia intueri non decet, quod non licet concupisci. Ut enim munda mens in cogitatione servetur à lascivia voluptatis suæ, deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam. Neque enim Eva lignum vetitum contigisset, nisi hoc priùs incautè conspiceret.... Unde nobis ad custodiendam cordis munditiam, exteriorum quoque sensuum disciplina servanda est. Nam quantàlibet gravitate vigeat, carnales tamen sensus puerile quiddam exteriùs perstrepunt, et nisi interioris gravitatis pondere, et quasi juvenili quodam vigore refrenentur, ad fluxa quæque et levia mentem enervem trahunt.... *Propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam.* (1. *Petr.* I. 13.) Lumbos enim carnis succingere, est luxuriam ab effectu refrenare. Lumbos verò mentis succingere, est hanc etiam à cogitatione restringere.... Testamenti novi munditia cordis luxuriam frenat....

Curæ pastoralis part. 3. *admonit.* 20. Aliter admonendi sunt gulæ dediti, atque aliter abstinentes. Illos enim superfluitas locutionis, levitas operis, atque luxuria.... comitatur.... Quia gulæ deditos levitas protinùs operis sequitur, auctoritas sacra testatur, dicens : *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.* (*Exod.* XXXII. 6.) Quos plerumque edacitas usque ad luxuriam protrahit : quia dum satietate venter extenditur, aculei libidinis excitantur... Admonendi ergo sunt gulæ dediti ; ne in eo quod escarum delectationi incumbunt, luxuriæ se mucrone transfigant : et quanta sibi per esum loquacitas, quanta mentis levitas insidietur, aspiciant : ne dum ventri molliter serviunt, vitiorum laqueis crudeliter astringantur.... Incassùm verò per abstinentiam caro atteritur, si inordinatis demissa motibus, vitiis dissipatur....

(H) JOB. XXXI. 9. Si deceptum est cor meum super muliere, et si ad ostium amici mei insidiatus sum : 10. scortum alterius sit uxor mea, et super illam incurventur alii. 11. Hoc enim nefas est, et iniquitas maxima. 12. Ignis est usque ad perditionem devorans, et omnia eradicans genimina.

TERTULL. *de Cultu feminarum*, *lib.* 2. *c.* 1. Salus nec feminarum modò, sed etiam virorum, in exhibitione præcipuè pudicitiæ est. Nam cùm omnes templum Dei simus, illato in nos et consecrato Spiritu sancto, ejus templi æditua et antistita pudicitia est, quæ nihil immundum nec profanum inferri sinat, ne Deus ille qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat.

De Pudicitia, *pag.* 557. Mœchia, quod etiam fornicationis est res, secundùm opus criminis quanti æstimanda sit sceleris, prima lex Dei præstò est. Siquidem post interdictam alienorum Deorum superstitionem ipsorumque idolorum fabricationem ; post commendatam Sabbati venerationem ; post imperatam in parentes secundam à Deo religionem, nullum aliud in talibus titulis firmandis monendisque substruxit præceptum, quàm *Non mœchaberis.* (*Exod.* XX. 14.) Post spiritalem enim castitatem sanctitatemque, corporalis sequebatur integritas : et hanc

I. Ergo luxuria nunquam est veniale peccatum ?

R. Rarò accidit peccatum in genere luxuriæ non esse mortale : potest tamen esse veniale ratione levitatis, vel consensûs imperfecti, ut suprà (*hujusce Partis Cap.* 1. §. 1.) diximus de peccatis in genere. (I)

itaque munivit, hostem statim ejus prohibendo mœchiam. Quale delictum jam intellige, cujus cohibitionem post idololatriæ ordinavit.... Itaque mœchia affinis idololatriæ. Nam et idololatria mœchiæ nomine et fornicationis sæpè populo exprobrata, etiam sorte conjungetur illi, sicut et serie; etiam damnatione cohærebit illi, sicut et dispositione. Eò ampliùs præmittens, *Non mœchaberis*, adjungit, *Non occides.* Oneravit utique mœchiam, quam homicidio anteponit.

S. CYPRIANUS *De habitu virg. initio.* Templa Dei sunt membra nostra, ab omni fœce contagionis antiquæ lavacri vitalis sanctificatione purgata; nec violari ea aut pollui fas est, quando qui violat, et ipse violetur. (1. *Cor.* III. 17.) Eorum nos templorum cultores et antistites sumus: serviamus illi, cujus esse jam cœpimus. Paulus in Epistolis suis dicit, quibus nos ad curricula vivendi per divina magisteria formavit : *Non estis vestri : empti enim estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro.* (*Ibid.* VI. 19. *et* 20.) Glorificemus et portemus Deum puro et mundo corpore, et observatione meliore, et qui per sanguinem Christi Domini nostri redempti sumus, per omnia servitutis obsequia Redemptoris imperio pareamus : demusque operam, ne quid immundum et profanum templo Dei inferatur, ne offensus sedem quam inhabitat derelinquat.

D. JOAN. CHRYS. *Comment. in Epist. prioris ad Corinth. cap.* 6. *homil.* 17. Corpus autem non fornicationi, sed Domino... Erubescamus, horreamus, quòd tanto dignatos honore, ut illius, qui in cœlis sedet, fiamus membra, tantorum malorum non pudeat.

Homil. 18. Hoc Pauli sapientiæ est, non tantùm de magnis rebus reprehendere, sed de minoribus, et de turpi et indecoro. Quid igitur homicida, inquit? Non maculat manum. Quid avarus? quid raptor? Ubique perspicuum est. Sed cùm dicere non posset, nihil esse pejus fornicatore, alio modo peccatum auxit, eùm in fornicatione totum corpus coinquinari demonstraret. Siquidem haud aliter sordescit, quam quod in lebetem immundum infusum contagione inficit?.... Templum estis Spiritûs : quare nolite facere membra meretricis. Non enim corpori vestro contumeliam facitis, quia non vestrum corpus est, sed Christi. Hæc autem dixit, simul et benignitatem ipsius ostendens, quòd ejus corpus nostrum est, et à malorum licentia nos avertens. Nam si alienum corpus est, non habetis potestatem ut alienum corpus injuriâ afficiatis, inquit : et maximè cùm sit Domini : neque Spiritûs sancti templum maculandum est. Nam si quispiam privatam domum ingressus, et illam ignominiâ afficiens, ultimum dabit supplicium : qui Regis templum latronum speluncam fecerit, intelligas velim, quot mala perpetietur.

S. AUG. *Serm.* 9. *de decem chordis, cap.* 4. *n.* 5. Quare ambularemus delectati vanis canticis nulli rei profuturis, ad tempus dulcibus, in posterum amaris? Talibus etenim turpitudinibus cantionum animi humani illecti enervantur, et decidunt à virtute, defluentes in turpitudinem; et propter ipsas turpitudines posteà sentiunt dolores et cum magna amaritudine digerunt, quod cum dulcedine temporali biberunt.

(I) *Luxuriam damnat Scriptura multis locis, sed præsertim*

PROVERB. II. 16. Ut eruaris à muliere alienâ, et ab extraneâ, quæ mollit sermones suos, 17. et relinquit ducem pubertatis suæ, 18. et pacti Dei sui oblita est. Inclinata est enim ad mortem domus ejus, et ad inferos semitæ ipsius. 19. Omnes, qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent semitas vitæ.

V. 2.... Ne attendas fallaciæ mulieris. 3. Favus enim distillans labia meretricis, et nitidius oleo guttur ejus. 4. Novissima autem illius amara quasi absynthium, et acuta quasi gladius biceps. 5. Pedes ejus descendunt in mortem, et ad inferos gressus illius penetrant.... 8. Longè fac ab ea viam tuam, et ne appropinques foribus domûs ejus. 9. Ne des alienis

honorem tuum, et annos tuos crudeli. 10. Ne fortè impleantur extranei viribus tuis, et labores tui sint in domo aliena, et gemas in novissimis.

Osee v. 4. Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum : quia spiritus fornicationum in medio eorum, et Dominum non cognoverunt.

1. Cor. vi. 9. An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare : neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, 18. neque molles, neque masculorum concubitores..... regnum Dei possidebunt.... 13. Esca ventri, et venter escis : .... corpus autem non fornicationi, sed Domino : et Dominus corpori.... 15. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.... 18. Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est : qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. 19. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritûs sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, et non estis vestri? 20. Empti enim estis pretio magno. Glorificate et portate Deum in corpore vestro.

Ephes. v. 3. *Vide suprà hocce §. litt.* (A)

1. Thessal. iv. 3. Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra : ut abstineatis vos à fornicatione : 4. Ut sciat unusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione, et honore : 5. Non in passione desiderii, sicut et gentes, quæ ignorant Deum.... 7. Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem. 8. Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum : qui etiam dedit Spiritum sanctum in nobis.

De Impudicis ultionem sumpsit Deus ut narratur

In Sodomitis. *Genes.* xix. 5. (Sodomitæ Lot) dixerunt, Ubi sunt viri, qui introierunt ad te nocte? Educ illos hùc, ut cognoscamus eos. 9. Egressus ad eos Lot, post tergum occludens ostium, ait : 7. Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere. 8. Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum : educam eas ad vos, et abutimini eis, sicut vobis placuerit, dummodò viris istis nihil mali facialis, quia ingressi sunt sub umbra culminis mei.... 9. At illi dixerunt : .... Te ipsum magis quàm hos affligemus. Vimque faciebant Lot vehementissimè : jamque propè erat ut effringerent fores. 10. Et ecce miserunt manum viri (Angeli duo), et introduxerunt ad se Lot, clauseruntque ostium. 11. Et eos, qui foris erant, percusserunt cæcitate à minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent. 12. Dixerunt autem ad Lot : Habes hîc quempiam tuorum? generum, aut filios, aut filias, omnes, qui tui sunt, educ de urbe hâc : 13. Delebimus enim locum istum, eò quòd increverit clamor eorum coram Domino, qui misit nos ut perdamus illos.... 15. Cumque esset manè, cogebant eum Angeli, dicentes, Surge, tolle uxorem tuam et duas filias quas habes : ne et tu pariter pereas in scelere civitatis. 16. Dissimulante illo, apprehenderunt manum ejus, et manum uxoris, ac duarum filiarum ejus, eò quòd parceret Dominus illi. 17. Eduxeruntque eum, et posuerunt extra civitatem ; ibique locuti sunt ad eum, dicentes : Salva animam tuam : noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione : sed in monte salvum te fac, ne et tu simul pereas.... 24. Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem à Domino de cœlo : 25. Et subvertit civitates has, et omnem circa regionem, universos habitatores urbium, et cuncta terræ virentia.

In Sichem. *Genes.* xxxiv. 2. Quam (Dinam) cùm vidisset Sichem.... adamavit eam, et rapuit, et dormivit cum illâ, vi opprimens virginem. 3. Et conglutinata est anima ejus cum eâ, tristemque delinivit blanditiis... 7.... Auditoque quod acciderat, (filii Jacob fratres Dinæ) irati sunt valdè, eò quòd fœdam rem operatus esset in Israël, et violata filia Jacob, rem illicitam perpetrasset. 8. Locutus est itaque Hemor ad eos : Sichem filii mei adhæsit anima filiæ vestræ : date eam illi uxorem. 9. Et jungamus vicissim connubia : filias vestras tradite nobis, et filias nostras accipite.... 12. Augete dotem, et munera postulate, et libenter tribuam quod petieritis : tantùm date mihi puellam hanc uxorem. 13. Responderunt filii Jacob Sichem et patri ejus in dolo, sævientes ob

stuprum sororis : 14. Non possumus facere quod petitis, nec dare sororem nostram homini incircumciso : quod illicitum et nefarium est apud nos. 15. Sed in hoc valebimus fœderari, si volueritis esse similes nostri, et circumcidatur in vobis omne masculini sexûs.... 18. Placuit oblatio eorum.... nec distulit adolescens (circumcidi) quin statim quod petebatur, expleret : amabat enim puellam valdè.... 25. Et ecce, die tertio, quandò gravissimus vulnerum dolor est : arreptis duo filii Jacob, Simeon et Levi fratres Dinæ, gladiis, ingressi sunt urbem confidenter : interfectisque omnibus masculis, 26. Hemor et Sichem pariter necaverunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam. 27. Quibus egressis, irruerunt super occisos cæteri filii Jacob : et depopulati sunt urbem in ultionem stupri. 28. Oves eorum, et armenta, et asinos, cunctaque vastantes, quæ in domibus et in agris erant ; 29. Parvulos quoque eorum et uxores duxerunt captivas.

In HER *et* ONAN. XXXVIII. 7. Fuit quoque Her primogenitus Judæ, nequam in conspectu Domini : et ab eo occisus est. 8. Dixit ergo Judas ad Onam filium suum : Ingredere ad uxorem fratris tui, et sociare illi, ut suscites semen fratri tuo. 9. Ille sciens non sibi nasci filios, introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. 10. Et idcircò percussit eum Dominus, quòd rem detestabilem faceret....

NUM. XXV. 6. *et seq. Vide suprà Part.* 1. *Sect.* 1. *Cap.* 4. §. 14. *litt.* (I)

In multis ISRAELITIS. In BENJAMITIS. *Judicum* XX. 3.... Interrogatusque Levita, maritus mulieris interfectæ, quomodò tantum scelus perpetratum esset. 4. Respondit : Veni in Gabaà Benjamin cùm uxore meâ, illucque diverti : 5. Et ecce homines civitatis circumdederunt nocte domum, in quâ manebam, volentes me occidere, et uxorem meam incredibili furore libidinis vexantes, denique mortua est. 6. Quam arreptam, in frusta concidi, misique partes in omnes terminos possessionis vestræ, quia nunquam tantum nefas, et tam grande piaculum factum est in Israël. 9. Adestis omnes filii Israël, decernite quid facere debeatis. 8. Stansque omnis populus, quasi unius hominis sermone respondit : Non recedemus in tabernacula nostra, nec suam quisquam intrabit domum : 9. Sed hoc contra Gabaa in commune faciamus. 10. Decem viri eligantur è centum ex omnibus tribubus Israël, et centum de mille, et mille de decem millibus, ut comportent exercitui cibaria, et possimus pugnare contra Gabaa-Benjamin, et reddere ei pro scelere, quod meretur. 11. Convenitque universus Israël ad civitatem, quasi homo unus, eâdem mente, unoque consilio. 12. Et miserunt nuntios ad omnem tribum Benjamin, qui dicerent : Cur tantum nefas in vobis repertum est ? 13. Tradite homines de Gabaà, qui hoc flagitium perpetrarunt, ut moriantur, et auferatur malum de Israël.... 34.... Ingravatumque est bellum contra filios Benjamin : et non intellexerunt quod ex omni parte illis instaret interitus. 35. Percussitque eos Dominus in conspectu filiorum Israël, et interfecerunt ex eis in illo die viginti quinque millia et centum viros, omnes bellatores et educentes gladium.... 37. (Et filii Israel) ingressi sunt civitatem, et percusserunt eam in ore gladii.... 48.... Et omnes reliquias civitatis, à viris usque ad jumenta, gladio percusserunt, cunctasque urbes et viculos Benjamin vorax flamma consumpsit.

In AMNON. 2. *Reg.* XIII. 1. Factum est autem.... ut Absalom filii David, sororem speciósissimam, vocabulo Thamar, adamaret Amnon filius David, 2. et deperiret eam valdè, ita ut propter amorem ejus : ægrotaret : quia cùm esset virgo, difficile ei videbatur, ut quidpiam inhonestè ageret cum eâ.... 6. Accubuit itaque Amnon, et quasi ægrotare cœpit : cùmque venisset Rex ad visitandum eum, ait Amnon ad Regem : Veniat, obsecro, Thamar soror mea, ut faciat in oculis meis duas sorbitiunculas, et cibum capiam de manu ejus. 7. Misit ergo David ad Thamar domum, dicens : Veni in domum Amnon fratris tui, et fac ei pulmentum. 8. Venitque Thamar in domum Amnon fratris sui :.... 9. Dixitque Amnon : Ejicite universos à me. Cùmque ejecissent omnes.... 11.... Apprehendit eam, et ait ? Veni, cuba mecum soror mea. 12. Quæ respondit ei : Noli frater mi, noli opprimere me, neque enim hoc fas est in Israël : noli facere stultitiam hanc. 13. Ego enim ferre non potero opprobrium meum, et

§. 4. de Gulâ.

I. Quid est Gulâ ?

R. Est appetitus inordinatus cibi vel potûs. Inordinatum dico, quia cibum et potum possumus licitè appetere.

Tunc licitè appetimus, cùm ad necessitatem solùm et ad conservationem sanitatis appetimus.

Illicitè et inordinatè appetimus, cùm ultra necessitatem et ad solam delectationem extenditur appetitus. (A)

I. Quandonam peccatur per Gulam ?

R. 1. Quando nimis manducatur vel bibitur. Hoc est quando ultra necessitatem ; vel cum sanitatis detrimento.

2. Quando avidiùs.

3. Quando lautiùs.

4. Quando studiosiùs : hoc est, quando quæruntur cibi nimis accuratè præparati.

5. Quando frangitur vel abstinentia vel jejunium, diebus, quibus ex Ecclesiæ præcepto vel jejunandum est, vel abstinendum à carnibus, seu ab aliis cibis. (B)

tu eris quasi unus de insipientibus in Israël. 14. Noluit autem acquiescere precibus ejus, sed prævalens viribus, oppressit eam, et cubavit cum eâ. 15. Et exosam eam habuit Amnon odio magno nimis : ita ut majus esset odium, quo oderat eam, amore, quo antè dilexerat.... 20. Porrò non est locutus Absalom ad Amnon, nec malum nec bonum : oderat enim Absalon Amnon, eò quòd violasset Thamar sororem suam.... 27. Feceratque Absalom convivium, quasi convivium Regis. 28. Præceperat autem Absalom pueris suis, dicens : Observate cùm temulentus fuerit Amnon vino, et dixero vobis : Percutite eum, et interficite : nolite timere ; ego enim sum, qui præcipio vobis : roboramini, et estote viri fortes. 29. Fecerunt ergo pueri Absalom adversùm Amnon, sicut præceperat eis Absalom....

(A) S. Aug. *Lib.* 10. *Confess. c.* 31. *n.* 43. Fames et sitis quidam dolores sunt : urunt, et sicut febris necant, nisi alimentorum medicina succurrat. Quæ quoniam præstò est, ex consolatione munerum tuorum.... calamitas deliciæ vocantur.

N. 44. Hoc me docuisti ut quemadmodùm medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed dùm ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur transitus concupiscentiæ ;.... et cùm salus sit causa edendi et bibendi, adjungit se, tanquam pedissequa, periculosa jucunditas, et plerùmque præire conatur, ut ejus causâ fiat, quòd salutis causâ me facere vel dico vel volo ; nec idem modus utriusque est. Nam quòd saluti satis est, delectationi parum est.

N. 45. Audio vocem jubentis Dei mei : *Non graventur corda vestra in crapulâ et ebrietate.* (*Luc*, xxi. 34.).... Crapula nonnunquam subrepit servo tuo : misereberis ut longè fiat à me. Nemo enim potest esse continens, nisi tu des.

N. 46. Non ego immunditiam obsonii timeo, sed immunditiam cupiditatis.... Scio Esaû lenticulæ concupiscentiâ deceptum ; et David propter aquæ desiderium à seipso reprehensum ; et regem nostrum non de carne, sed pane esse tentatum. Ideoque et populus in eremo, non quia carnes desideravit, sed quia escæ desiderio adversùs Dominum murmuravit, meruit improbari.

N. 47. Itaque freni gutturis temperatâ relaxatione et constrictione tenendi sunt. Et quis est, Domine, qui non rapiatur aliquantulùm extra metas necessitatis ?

(B) S. Greg. Mag. *Lib.* 30. *Moral. in Job. c.* 13. Quinque nos modis guiæ vitium tentat. Aliquando namque indigentiæ tempora prævenit ;

aliquando verò tempus non prævenit, sed cibos lautiores quærit : aliquandò quælibet, quæ sumenda sint, præparari accuratiùs expetit ; aliquandò autem et qualitati ciborum et tempori congruit, sed in ipsâ quantitate sumendi mensuram moderatæ refectionis excedit. Nonnunquam verò et abjectius est quòd desiderat ; et tamen ipso æstu immensi desiderii deteriùs peccat. (1. *Reg.* XIV. 27.) Mortis quippe sententiam patris ore Jonathas meruit : quia in gustu mellis constitutum edendi tempus antecessit. Et ex Ægypto populus eductus, in eremo occubuit : quia (*Num.* XI. 5.) despecto mannâ, cibos carnium petiit, quos lautiores putavit. Et prima filiorum Heli culpa suborta est, quòd (1. *Reg.* II. 12. *et seq.*) ex eorum voto Sacerdotis puer non antiquo more coctas vellet de sacrificio carnes accipere, sed crudas quæreret, quas accuratiùs exhiberet. Et cùm ad Hierusalem dicitur (*Ezech.* XVI. 49.) : *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis et abundantia :* apertè ostenditur, quòd idcircò salutem perdidit, quia cum superbiæ vitio mensuram moderatæ refectionis excessit. Et (*Gen.* XXV. 32.) primogenitorum gloriam Esaü amisit, quia magno æstu desiderii vilem cibum, scilicet lenticulam concupivit.... Neque enim cibus, sed appetitus in vitio est. Undè et lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, et abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus... Ea itaque sumenda sunt, quæ naturæ necessitas quærit, et non quæ edendi libido suggerit.

Curæ pastor. part. 3. *admonit.* 20. *Vide suprà* §. *præcedenti litt.* (G)

S. ISIDORUS HISPAL. *Lib.* 2. *de Different. spiritualibus*, 35. *et ult.*.... Gulæ concupiscentia in quinque modis distinguitur. *Primo* modo, si ante tempus cibos quis appetat : sicut Jonathas (1. *Reg.* XIV. 27.) gustu mellis jejunium solvit : *Secundo* modo, si lautiores escas quærat ; sicut populus eremi mannâ contempto, (*Num.* XI. 5.) carnes Ægyptias concupivit : *Tertio* modo, si diligentiùs quisque communes cibos procuret : sicut filii Heli (1. *Reg.* II. 12. *et seq.*) extra morem, crudam ab offerentibus carnem tollebant, quam sibi accuratiùs præpararent : *Quarto* modo, si viles escas nimiùm quisque sumat, undè et Propheta (*Ezech.* XVI. 49.) Sodomam de panis saturitate accusat : *Quinto* modo, si quisque ex desiderio quodcunque sumat, sicut Esaü (*Gen.* XXV. 32.) pro lenticulæ concupiscentiâ perdidit promogenita.

S. BERNARD. *Serm.* 66. *in Cantica*, *n.* 6. Abstinebo à vino, quia in vino luxuria est : aut si infirmus sum modico utar, juxta consilium Pauli. Abstinebo à carnibus, ne, dùm nimis nutriunt carnem, simul et carnis nutriant vitia. Panem ipsum cum mensura studebo sumere, ne onerato ventre stare ad orandum tædeat, et ne improperet etiam mihi Propheta (*Ezech.* XVI. 49.) quia panem meum comederim in saturitate. Sed ne simplici quidem aquâ ingurgitare me assuescam, ne distensio sanè ventris usque ad titillationem pertingat libidinis.

Vitis mystica, seu tract. de Passione Domini. c. 42. *n.* 135. Duplex est abstinentiæ virtus : una intùs in mente, altera foris in actu. Et ea quidem, quæ in mente est, semper est habenda : ea verò, quæ est in actu, rerum ac temporum qualitate manifestanda est.... Nec credas ullo modo majorem esse virtutem omninò abstinere à cibis, quàm ipsis cibariis uti moderatè. Difficillimum est enim cibariis modum servare omnimodum, ita ut ultra quàm naturæ potest sufficere, nihil sumatur, nec ipsi naturæ aliquid de necessariis subtrahatur.... (*Justus*) abstinentiam, prout tempora exigunt et personæ, pro utilitate, vel proprii corporis, vel proximi nunc intendit, nunc remittit.... Observans in omnibus omnia, quæ circa virtutem abstinentiæ sunt servanda, ut semper vitii abstinentiæ oppositi, id est, gulæ crimen evitet. Cujus vitii abusiones hoc versu notantur.

Præpropere, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

Præpropere enim comedunt et bibunt, qui tempus comedendi prævenium, solâ voluptate, non necessitate coacti. Legimus in vita Patrum de sanctis Patribus, qui hospitum spiritualium charitate devincti, tempus consuetum ciborum anticipaverunt ; sed comedendo in charitate, se nequaquam solvisse jejunium æstimabant..... Lautè comedunt, qui delicatis utuntur cibariis solâ delectatione attracti : quibus non sufficit naturalis sapor carnium, sive piscium, quem Creator illis imposuit ;

I. Quinam eo in genere graviùs peccant?

R. Qui cibis et potibus sese ingurgitant usque ad vomitum, vel usque ad ebrietatem.

I. Quid est ebrietas?

R. Peccatum est, quo quis ex nimio potu rationis usu destituitur.

I. Estne ebrietas grave peccatum?

R. Est gravissimum et periculosissimum.

Gravissimum quidem, ut patet ex Scripturis tam veteris quàm novi Testamenti ad marginem notatis. (C)

sed, modis naturæ contemptis, quærunt adulterinos sapores piperis et salsamentorum variorum, ut sibi appetitum faciant comedendi:... Quandoque lautioribus uti cibariis pro infirmitate corporis repellenda, palato non alludente, sed renitente cibariis; nulla vel parva culpa est.

N. 136. Ad eorum igitur confusionem quorum.... Deus venter est et gloria in confusione eorum.... Gentilis hominis memorare sententiam non gravabor. (Auctor pius, nec indoctus, nec inelegans. *Lucan. L.* 4.)

O prodiga rerum
Luxuries, nunquam parvo contempta paratu,
Et quæsitorum terrâ pelagoque ciborum,
Ambitiosa fames, et lautæ gloria mensæ.
Discite, quàm parvo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat. Non erigit ægros
Nobilis ignolo diffusus consule Bacchus.
Non auro gemmasque bibunt; sed gutture puro
Vita redit: satis est populis fluviusque Ceresque.

N. 137. Nimis comedit, qui ultra quàm naturæ suæ sustentandæ possit sufficere, sumit alimenta, maximè si hoc scienter fecerit.... Sed talia peccata crebris confessionibus, intermixtis voluntariis abstinentiis, statim ut deprehenduntur, purganda sunt. In nullo autem genere ciborum illud vitium superfluitatis ciborum et potuum excusatur.

N. 138. Ardenter comedere, est cibos vel potus cum nimio desiderio sumere: quod tam in vilibus, quàm in delicatis potest cibariis evenire. Cujus rei exemplum habemus in Esaû (*Gen.* xxv. 33.) qui vilis cibi delectatione attractus, ultrò vendidit primogenita sua.... Quia enim nimiùm ardenter desiderabat lenticulam, *Ecce*, inquit (*Ibid.* 22.) *morior. Quid mihi proderunt primogenita?* Non est dubium quin ardenter comederit acceptum, quod tam ardenter fuerat desideratum.

N. 139. Studiosè comedere est in cibis, vel in potibus nimis diù immorari.... Frequenter solet accidere, quòd sumptis cibariis quæ secundùm consuetudinem necessitati sumentis possent et deberent sufficere, quædam surgat nova delectatio; quæ facit hominem improvidum, et insidias diaboli non caventem, illi cibo cum studio inhærere, tanquam nihil ante comederit, vel intra multos dies post hoc nihil sit sumpturus ciborum. At qui gulæ speciem in se deprehendunt, auxiliante Deo, huic facilè possunt resistere.... Christianus homo comedit ut vivat, non vivit ut comedat.... Semper ita surgat de mensâ, ut adhuc habeat appetitum plura sumendi.... Est quoddam medium inter nimis comedere, et nimis abstinere: et illud medium est virtus: hoc est tantum sumere alimentorum, ne nimis debilitetur natura; nec tantum, ut vilia vegetentur.... Hoc caveri potest, ne nimis à medio recedatur; id est, ut ille qui minus comedit quàm debeat, non nimis abstineat: ut ille qui comedendi mensuram excedit, eam non nimis excedat, ita ut corpus non nutriatur vitiis, sed virtutibus conservetur.

(C) Eccli. xix. 2. Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes, et arguent sensatos.

xxxvii. 32. Noli avidus esse in omni epulatione, et non te effundas super omnem escam, 33. In multis enim escis erit infirmitas, et aviditas appropinquabit usque ad cholcram. 34. Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adjiciet vitam.

Periculosissimum, quia hinc sequitur alienatio mentis, undè mille crimina. His adde grave detrimentum et sanitatis et rei familiaris. Ebriosi diù vivere nequeunt, fiunt opprobrium hominum et abjectio plebis, væ illis sæpiùs à Domino dicitur. (D)

Isai. xxviii. 7.... Præ vino nescierunt, et præ ebrietate erraverunt: Sacerdos et Propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium.... 8. Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu sordiumque, ita ut non esset ultrà locus.

Osee iv. 11. Vinum, et ebrietas auferunt cor.

1. Cor. vi. 10. Neque ebriosi regnum Dei possidebunt.

S. Chrysost. *Homil.* 58. *super c.* 17. *Matth. non longè à fine.* (Diabolo) nemo magis amicus est quàm qui deliciis et ebrietate maculatur: hic enim fons, hæc mater, atque origo vitiorum omnium est: hâc viâ olim Hebræos in cultum diabolus idolorum injecit; hâc iniquos amores Sodomitarum inflammavit: hæc enim, ait (*Ezech.* xvi. 49.) iniquitas est Sodomæ, in copiâ et plenitudine panis luxuriabantur; hâc denique viâ mille alii gehennæ traditi perière. Quid enim deliciarum hæc fœditas mali non inducit? Sues ex hominibus facit, immò verò etiam suibus multò deteriores. Sus enim in luto volvitur, et stercore nutritur: hic verò abominabilem magis sibi mensam construit, iniquas commixtiones cogitans et amores nefarios: hic nullo certè à dæmoniaco discrimine separatur, impudens enim et furiosus pariter est.... Hunc avertimur et odimus. Quid ita? Quia sponte furorem sibi attrahit: et os, oculos, nares, cætera simpliciter sensuum instrumenta, amarissimas voluptatis conficit cloacas.... Utaris modico vino propter fornicationes, ut crebra turpiloquia fugias, propter pestiferas cupiditates, quas ebrietas parit. Quod si hæc non persuadent vobis, ut ab his abstineatis, saltem propter dolores, et eversiones stomachi abstineatis. Non ad mœrorem, nec ad dolorem, sed ad lætitiam vinum datum est.

(D) Prov. xx. 1. Luxuriosa res, vinum, et tumultuosa ebrietas: quicunque his delectatur, non est sapiens.

xxi. 17. Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum, et pinguia, non ditabitur.

xxiii. 20. Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum conferunt: 21. Quia vacantes potibus, et dantes symbola consumentur.... 29. Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causâ vulnera? cui suffusio oculorum? 30. Nonne his, qui commorantur in vino, et student calicibus epotandis? 31. Ne intuearis vinum quando flavescit, cùm splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blandè, 32. sed in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet.

Eccli. xix. 1. Operarius ebriosus non locupletabitur. 2. Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes.

Isaiæ. v. 11. Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis.... 22. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem.

xxviii. 7. *et* Osee iv. 11. *Vide suprà hocce paragrapho litt.* (C)

S. Basil. *Hom.* 14. *in ebrietatem et luxum*..... Feminæ lascivæ Dei timoris oblitæ, ignis æterni minas nihil pendentes.... capita impudicè retegentes, Deum et ejus Angelos despicientes, ad marium aspectus impudentes, diffusæ comas, tunicarum luxum ostentantes, pedibus gestientes, ac oculo petulco, risu lascivo, ad saltationem insanientes, juventutis intemperantiam in se provocantes,.... aërem insuper meretriciis cantibus, terram verò pedibus lascivè saltando contaminaverunt.... Denique inverecundæ omninò.... Vinum profectò harum stragem animarum nobis fecit. Vinum Dei donum ad infirmitatis robur ac sustentationem sapientibus concessum, nunc verò instrumentum incontinentiæ intemperantibus est factum. Ebrietas dæmon est voluntarius, ex voluptate animabus nostris inditus. Ebrietas malitiæ mater est, virtutis inimica, fortem virum reddit ignavum, ex temperato facit lascivum,

justitiam ignorat, prudentiam exstinguit... Vinum immodicum rationem supprimit... Qua in re, dic, homo miser, à brutis differs; nonne rationis munere?.... Hoc igitur mentis lumine per ebrietatem qui se privat, jumentis insipientibus comparatus est, et similis factus est illis: immò bestiis longè pejores eos existimaverim, qui ab ebrietate superantur.... His somni sunt graves, ægrè respirantes, et propè suffocantes, ac reverâ morti vicini. Vigiliæ verò somnis stupidiores... Vinum excitat morum perversitatem, promptitudinem illam ad iracundiam, ad querelas, celerem ac repentinam animi ad omnia mutationem, strepitum multum ac tumultum, facilem ad dolos deductionem, ad omnes iræ motus inconsiderantiam. Voluptatis verò incontinentia omnis, ex vini fonte originem vimque habens, præceps ad omnem impuritatem atque intemperantiam ruit. Animalium omnium libidinum fœditatem superat... Ipsum corporis habitum corrumpunt, dum non solùm abundantia voluptatum ad lasciviam insanientium illos labefactant, et dissolutos reddunt, sed et corpus tumidum, putidum, muscosum, et vitali vigore privatum circumferentes. Nam eos videre licet oculis liventibus, cute suppallidâ, spiritu gravi, linguâ balbutiente ac demissâ, voce confusâ, pedibus puerorum more infirmis ac titubantibus, excrcationes spontaneæ superfluitatum, tanquam ex inanimatis defluentes. Hujus mali finis nullus. Ipsum namque merum inexplebilem continuò sitim addit, nec necessarium quærit usum, sed ad alium irrefragabiliter potum invitat, cùm ardentes ebrios, ac semper bibendi cupidiores reddit. Fit autem, ut dùm studio inexplebilem bibendi sitim sibi comparare volunt, contraria his penitùs quæ optaverunt, patiantur, ac voluptatem, quam omni studio quærunt, omninò amittant. Luxûs enim hujuscemodi assiduitate sensus tabescunt.... Cui væ? Cui tumultus? Cui judicia? Cui tristitia et rixa? Cui contritiones supervacuæ? Cujus oculi liventes sunt? An non illis, qui vino immorantur, et quærunt ubinam compotationes fiant?.... Horum namque pedes ut vincti debilitantur: manus ex fluxionibus vini causâ eò descendentibus continuò moventur.... In ipso potationis tempore similia phreneticorum eis eveniunt. Cùm enim cerebrum æstu ex vini vapore redundante vacillat, dolorem intolerabilem capiti parit.... capite gravantur, oscitant, caliginem ob oculos habent, ob nauseam fastidiunt.... Ebrietas itaque rationis interitus, roboris pernicies, senectus immatura, mors momentanea. Quid, quæso, sunt ebrii nisi gentium idola? Oculos habent et non vident, aures habent et non audiunt: manus paralysi affectas habent, pedes infirmos, atque emortuos....

S. Hieronym. *adversùs Jovinianum*, *lib.* 2. *pag.* 204. Nec tales accipiamus cibos, quos aut difficulter digerere, aut comesos, magno partos et perditos labore doleamus. Olerum, pomorum, ac leguminum, et facilior apparatus est, et arte impendiisque cocorum non indiget: et sine cura sustentat humanum corpus, moderatèque sumptus (quia nec avidè devoratur, quod irritamenta gulæ non habet) leviori digestione concoquitur. Nemo enim uno aut duobus cibis, hisque vilibus, usque ad inflammationem ventris oneratur, quæ diversitate carnium, et saporis delectatione percipitur. Cùm variis nidoribus fumant patinæ, ad esum sui, expletâ esurie, quasi captivos trahunt. Undè et morbi ex saturitate nimia concitantur, multique impatientiam gulæ, vomitu remediantur: et quod turpiter ingesserunt, turpiùs egerunt.... Epicurus voluptatis assertor, omnes libros suos replevit oleribus et pomis: et vilibus cibis dicit esse vivendum, quia carnes et exquisitæ epulæ, ingenti curâ ac miseriâ præparentur; majoremque pœnam habeant in inquirendo, quàm voluptatem in abutendo. Corpora autem nostra cibo tantùm et potu indigere. Ubi aqua et panis sit, et cætera his similia; ibi naturæ satisfactum. Quidquid suprà fuerit, non ad vitæ necessitatem spectare; sed ad vilam voluptatis. Bibere et comedere non deliciarum ardorem, sed sitim famemque restinguere.... Sed et ex vilissimis cibis vitanda satietas est. Nihil enim ita obruit animum, ut plenus venter et exæstuans, et huc illucque se vertens et in ructus vel in crepitus ventorum efflatione respirans.

Comment. in Epist. ad Galatas, *c.* 5. *pag.* 302. Quartumdecimum locum

inter carnis opera, ebrietas tenet. Ebriosi quippe regnum Dei non possidebunt. Et Dominus ad Discipulos : * *Cavete*, ait (*Luc.* XXI. 34), *ne fortè graventur corda vestra in vino et crapula.* Vino, hominis sensus evertitur; pedes corruunt; vacillat; libido succenditur. Undè Apostolus (*Ephes.* V. 18.) clamitat : *Et vinum, in quo est luxuria.*

S. CHRYSOST. *Homil.* 66. *ad popul. Antiochen. de fato, sive contra ingluviem, orat.* 6.... Qui enim in deliciis perpetuò versatur, et ebrietati indulget et parasitos alit, atque adulatores, et cibo potioneque completur, nolens, volens persæpè necessariò peccat.... Hic ignavia, exinanitio, et formido ingens, ac temeritas magna occupabit; illic verò audacia, socordia, luxuria, immodestia, superbia et arrogantia, superioribus intractabilem facit. Non solùm enim corpora eorum, qui sic afficiuntur, deformata, languida et fluentia, et odoris gravitate intolerabili undique completa sunt : sed anima multò magis corpore deformata est, multò majores quàm corpus ægritudines ex hac mollitie suscipit.... Gravibus et insanabilibus morbis corripiuntur, qui in deliciis perpetuis vivunt, tremore, dissolutione membrorum, tabe, gravedine, pedum manuumque cruciatibus, et aliis compluribus, quibus medici asserunt illos obnoxios esse.

In Genes. cap. 9. *homil.* 29. *pag.* 233. Gravissimum quiddam est ebrietas delictum, et quod potest excæcare sensus, et submergere mentem, et hominem rationale animal, qui super omnia dominium suscepit, injectis vinculis insolubilibus, quasi mortuum et operatione carentem facere facit : immò deterius habentem, quàm mortuum. Nam mortuus neque bona, neque mala operari potest : ebrius autem nihil boni valet operari, ad malum tamen faciendum plus potest.... Ebrietati vacantes nunquam satiantur, sed quantum ingurgitant, tantum et siti flagrant, et inflammatio quædam est eis vini usus : et voluptates quidem evanescunt, sitis autem inexplebilis in præcipitium ebrietatis eos, qui illi serviunt, deducit.

In Acta Apostol. cap. 18. *homil.* 27. *pag.* 631. Quando igitur deliciis vacaturus es, considera temporariam voluptatem, damnum esse, (damnum enim reverà est, cum tuo damno tantas opes insumere, morbosque contrahere et infirmitates quæ indè oriuntur) et contemnes voluptatem. Quot vis tibi enumerem læsos à voluptate, Noë inebriatus est ac nudatus. Et vide quanta hinc mala. Esaü primogenita per gulam amisit; et ad fratris cædem festinavit : populus Israel sedit ut manducaret ac biberet, et surrexerunt ad ludendum. Propter hoc dicit : Comedens ac bibens memor esto Domini Dei tui. In præcipitium enim inciderunt, qui in voluptatem inciderunt.

Homil. de Ingluvie et Ebrietate, pag. 777. *tom.* 6. *edit. Paris. ann.* 1624.... Nonne moderatè quidem edentium corpora robusta sunt, sensusque expeditè admodum munus suum explent? Illorum verò (immoderatè edentium) flaccida et quavis cerà molliora, et morborum examinibus obsessa? Etenim pedum dolores celeriter eos involant, tremorque intempestivus, et immaturum senium, et capitis dolores, et distensiones, et stomachorum repletiones, et appetituum extinctiones, assiduis medicis, et continuis medicinis, quotidianaque curatione indigent.... Hinc et non aliundè gravibus, et insanabilibus morbis capiuntur ii, qui in perpetua luxuria vivunt.... Etenim tremoribus, et defectioni, et tabi, et gravedinibus, et pedum doloribus, aliisque compluribus, quæ medici usurpant, fiunt obnoxii.... Non ita scorpius et serpens in visceribus cujusquam insidens quoquò versus inficit, ut luxuriæ concupiscentia omnia pervertit atque perdit. Feris enim illis ad corpus duntaxat procedunt insidiæ : ista verò cùm insederit, cum corpore animam item perdit.... Quod superfluum est, tollamus, quod extra necessitatem, amputemus. Quam enim veniam meremur, si alii ne necessariis quidem, cùm possint, fruantur, nos verò ultra necessitatem luxuriosè vivamus.... Nihil igitur ultra necessitatem quæramus..... superflua amputemus. Superfluum verò est, quod ultra necessitatem est.... Si qui cum hominibus luctatur, temperanter edat necesse est, longè magis qui cum dæmonibus.... Ne igitur saginemus corpus, neque iners id atque laxum luxuriâ reddamus.... Nihil ita amicum est dæmoni, ut luxuria et eda-

I. Quænam sunt Gulæ filiæ ?

R. Quinque recensentur à Sancto Gregorio Magno (*Moral. l.* 31. *cap.* 17.) ; nimirum, *Inepta lætitia*, *scurrilitas*, *immunditia*, *multiloquium et hebetudo mentis.*

I. Estne Gula grave peccatum ?

R. Gravissimum : ait enim Apostolus *Philip.* III. 19. de iis qui gulæ serviunt, *Quorum Deus venter est*, *et finis interitus*, *et gloria in confusione ipsorum.* (E)

citas. Quid enim non mali facit edacitas ? Porcos facit ex hominibus, ac porcis etiam deteriores..... illicitos concubitus excogitans et exleges amores.... Os, oculos, nares, et omnia prorsùs membra peccati cloacas efficit.... Nam qui ingluvici et ebrietati mancipati sunt, neque somnum verum et siucerum capiunt, neque à terribilibus insomniis liberi sunt... Quid turpius ebrio et temerè vagante ? Undè pedum dolores ? Undè capitis gravedines ? Undè corruptorum humorum redundantia ? Undè alii morbi ? Nonne ex intemperantiâ ? ex vino plus quàm oporteat hausto ?

S. ISIDORUS HISPAL. *Lib.* 2. *Sent. c.* 42. Qui nimiùm cibis utuntur,.... tantò ampliùs sensum mentis obtundunt.... Nam gulæ saturitas aciem mentis obtundit, ingeniumque hebescere facit. Libidinis ignes ciborum fomentis crescunt : corpus autem quod abstinentia frangit, tentatio non exurit.... Cui abundantia est epularum, ardentis divitis intendat supplicium, cujus tanta in inferno inter ignes erat inopia, quanta hic epularum fuerat copia. In hoc enim seculo esurire et sitire noluit ; propterea illic inter flammas sitiens, stillam aquæ quæsivit, nec meruit. Considerandum quàm vehementer arguatur confessatio et sumptuosa convivia. Nam per Prophetam comminatur Dominus, se non hanc relaxare iniquitatem his, qui eam libenter ambiunt. Dicit enim per Isaïam (XXII. 13.) : Ecce gaudium et lætitia, occidere vitulos et jugulare arietes, comedere carnes et bibere vinum. Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini. Sicut omnes carnales cupiditates abstinentiâ resecantur : ita omnes animæ virtutes edacitatis vitio destruuntur. Indè est quod et princeps coquorum muros Jerusalem subvertit : quia et venter, cui servitur à coquis, virtutes animæ destruit : neque enim posse quempiam virtutum perfectionem attingere, nisi priùs ventris edomuerit ingluviem. Nemo potest dominari cæteris vitiis, nisi priùs ingluviem ventris restrinxerit. Neque quisquam facilè poterit à semetipso spiritus immundos expellere nisi per abstinentiam gulæ. Tunc enim hostes, qui extra nos sunt, à nobis fortiùs superantur, quando priùs quæ intra nos sunt, vitia exstinguuntur. Nam frustrà foris agit bellum, qui intùs habet periculum. Non qualitatem ciborum, sed ejus cupiditatem cavendam... Sicque fit ut non sit in culpa ciborum qualitas, sed illud reputetur in vitium, quod cum desiderio degustatur. *Quatuor* sunt genera distinctionum in gulæ appetitu, id est : Quid, quando, quantum, et quomodo appetatur. Quid, ad rem ipsam pertinet, quæ appetitur. Quando, si ante legitimum tempus quid appetatur. Quantum verò, ad immoderationem refertur. Quomodo, ad impatientiam festinationis adscribitur. Nullus homini tam importunus exactor est quàm venter, qui quotidianam refectionem, quotidianâ famis exactione adimplet.

Cap. 43. Esca crapulam, potus ebrietatem generat. Ebrietas autem perturbationem gignit mentis, furorem cordis, flammam libidinis. Ebrietas ita mentem alienat, ut ubi sit, nesciat.... Ebrietas, sicut in Lot sensum rationis captivat.

(E) LUC. XXI. 34. Attendite vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapula et ebrietate.... et superveniat in vos repentina dies illa.

ROM. XIII. 13. Sicut in die honestè ambulemus : non in comessationibus et ebrietatibus, 14. Sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis.

1. COR. VI. 10. *Vide suprà hocce paragrap. litt.* (C)

EPHES. V. 18. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.

Vindictam de hocce peccato Dominum sumpsisse legimus.

In ISRAELIT. XV. 19. Dixitque Moyses ad eos : Nullus relinquat ex eo

I. Quænam sunt gulæ remedia ?

R. Temperantia, jejunium, carnis afflictio, meditatio mortis. (F)

in manè. Qui non audierunt eum, sed demiserunt quidam ex eis usque manè, et scatere cœpit vermibus, atque computruit. Et iratus est contra eos Moyses.

Num. XI. 1. Interèà ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore, contra Dominum. Quod cùm audisset Dominus, iratus est. Et accensus in eos ignis Domini devoravit extremam castrorum partem. 2. Cumque clamasset populus ad Moysen, oravit Moyses ad Dominum, et absorptus est ignis. 3. Vocavitque nomen loci illius, Incensio : eò quòd incensus fuisset contra eos ignis Domini. 4. Vulgus quippè promiscuum, quod ascenderat cum eis, flagravit desiderio, sedens et flens, junctis sibi pariter filiis Israël, et ait : Quid dabit nobis ad vescendum carnes ? 5. Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis : in mentem nobis veniunt cucumeres, et pepones, porrique, et cæpe, et allia. 6. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man.... 10. Audivit ergo Moyses flentem populum per familias, singulos per ostia tentorii sui. Iratusque est furor Domini valdè, sed et Moysi intoleranda res visa est. 11. Et ait ad Dominum : .... 13. Flent contra me, dicentes : Da nobis carnes ut comedamus.... 16. Et dixit Dominus ad Moysen : .... 18. Populo dices : Sanctificamini : cras comedetis carnes. Ego enim audivi vos dicere : Quis dabit nobis escas carnium ? Benè nobis erat in Ægypto. Ut det vobis Dominus carnes, et comedatis : 19. Non uno die, nec duobus, vel quinque aut decem, nec viginti quidem. 20. Sed usque ad mensem dierum, donec exeat per nares vestras, et vertatur in nauseam, eò quòd repueritis Dominum... 31. Ventus autem egrediens à Domino, arreptans trans mare coturnices detulit, et dimisit in castra itinere quantum uno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum, volabantque in aëre duobus cubitis altitudine super terram. 32. Surgens ergo populus toto die illo, et nocte, et die altero, congregavit coturnicum, qui parum, decem coros : et siccaverunt eas per gyrum castrorum. 33. Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat ejuscemodi cibus : et ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plagà magnà nimis. 34. Vocatusque est ille locus, Sepulcra concupiscentiæ ; ibi enim sepelierunt populum, qui desideraverat.

In Rege BALTASSAR. *Daniel.* V. 1. Baltassar Rex fecit grande convivium optimatibus suis mille : et unusquisque secundùm suam bibebat ætatem. 2. Præcepit ergo jam temulentus, ut afferrentur vasa aurea, et argentea, quæ asportaverat Nabuchodonosor pater ejus de templo, quod fuit in Jerusalem, ut biberent in eis Rex, et optimates ejus, uxoresque ejus, et concubinæ. 3. Tunc allata sunt vasa aurea, et argentea, quæ asportaverat de templo, quod fuerat in Jerusalem : et biberunt in eis Rex, et optimates ejus, uxores, et concubinæ illius. 4. Bibebant vinum, et.... 5. in eadem horà apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ : et Rex adspiciebat articulos manûs scribentis. 6. Tunc facies Regis commutata est, et cogitationes ejus conturbabant eum : et compages renum ejus solvebantur, et genua ad se invicem collidebantur.... 13. Introductus Daniel.... ait coram Rege.... 23. Adversùm Dominatorem cœli elevatus es, et vasa domûs ejus allata sunt coram te : et tu, et optimates tui, et uxores tuæ, et concubinæ tuæ, vinum bibisti in eis.... 24. Idcircò ab eo missus est articulus manûs, quæ scripsit hoc, quod exaratum est. 25. Hæc est autem scriptura, quæ digesta est : Mane, Thecel, Phares. 26. Et hæc est interpretatio sermonis. Mane : numeravit Deus regnum tuum, et complevit illud. 27. Thecel : appensus es in statera, et inventus es minus habens. 28. Phares : divisum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis.... 30. Eadem nocte interfectus est Baltassar Rex Chaldæus.

LUC. XVI. 19. *Vide suprà* §. 2. *hujusce Cap. litt.* (K).

(F) TERTULL. *de Jejuniis, adversùs Psychicos, c.* 3. Teneo igitur à primordio homicidam gulam, tormentis atque suppliciis inediæ puniendam, etiamsi Deus nulla jejunia præcepisset.

Cap. 5. *et* 6. Ingratis (Israëlitis in deserto) gratiora et esculentiora quæque detracta sunt, puniendæ simul gulæ et exercendæ continentiæ causâ, ut illa damnaretur, ista erudiretur. Nunc si temerè rationes castigati à Deo victûs, et castigandi propter Deum à nobis, ad primordiorum experimenta revocaviinus, conscientiam communem consulamus; ipsa natura enuntiabit, quales nos ante pabulum et potum in virgine adhuc saliva exhibere consuerit rebus duntaxat sensus agendis quo divina tractantur, si multò pollentioris mentis, si multò vivacioris cordis, quàm cùm totum illud domicilium interioris hominis, escis stipatum, vinis inundatum, decoquendis jam stercoribus æstuans, præmeditatorium efficitur latrinarum, in quo planè nihil tam in proximo supersit, quàm ad lasciviam sapere.... Tanta est circumscripti victûs prærogativa, ut Deum præstet homini contubernalem.

Cap. 17. Nos (Christiani) non dubitamus exertè mandare, jejunemus, fratres et sorores, ne fortè cras moriamur.... Saginentur pugiles et pyctæ olympici: illis ambitio corporis competit, quibus et vires necessariæ, et tamen illi quoque xerophagiis invalescunt. Sed nostra alia robora, aliæque vires, sicut et alia certamina; quibus non est luctatio adversùs carnem et sanguinem, sed adversùs mundi potestates, adversùs spiritalia malitiæ. Adversùs hæc, non carne et sanguine, sed fide et spiritu robusto oportet assistere.

S. Leo *Serm.* 12. *de Jejunio* X. *mensis* 2. Quid potest efficacius esse jejunio, cujus observantiâ appropinquamus Deo, et resistentes diabolo, vitia blanda superamus? Semper virtuti cibus jejunium fuit, de abstinentia prodeunt castæ cogitationes, rationabiles voluntates, salubriora consilia. Et per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, virtutibus spiritus innovatur.

Serm. 14, *de Jejunio* X. *mensis* 4. *c.* 1. Curandis igitur læsionibus, in quas sæpè incidunt, qui cum invisibili hoste conligunt, trium maximè remediorum est adhibenda medicina: in orationis instantia, in castigatione jejunii, in eleemosynæ largitate: quæ cùm pariter exerçentur, Deus propitiatur, culpa deletur, tentator eliditur.

Cap. 2. In omni tempore, omnibusque diebus vitæ hujus seculi, jejunia nos contra peccata faciunt fortiores, jejunia concupiscentias vincunt, tentationes repellunt, superbiam inclinant, iram mitigant, et omnes bonæ voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt: si tamen in societatem sibi benevolentiam charitatis assumant, et in operibus misericordiæ se prudenter exerceant.

Serm. 15. *de Jejunio* X. *mensis* 5. *c.* 2.... Efficacissima pro peccatis deprecatio est in eleemosynis atque jejuniis, et velociter ad divinas conscendit aures talibus oratio elevata suffragiis.

Serm. 18. *de Jejunio* X. *mensis* 8. *c.* 1. Quotidiano.... experimento probatur potûs satietate aciem mentis obtundi, et ciborum nimietate vigorem cordis hebetari: ita ut delectatio edendi, etiam corporum contraria sit saluti, nisi ratio temperantiæ obsistat illecebræ, et quod futurum est oneri, subtrahat voluptati.

S. Aug. *Lib.* 2, *Quæst. Evangeliorum. q.* 11. Nec in manducando, nec in abstinendo est justitia, sed in æquanimitate tolerandi inopiam, et temperantia per abundantiam non se corrumpendi. atque opportunè sumendi, vel non sumendi ea, quorum non usus, sed concupiscentia reprehendenda est. Non enim interest omninò quid sumas, ut succurras necessitati corporis, dummodo congruas in generibus alimentorum his cum quibus tibi vivendum est....

Lib. contra Julian. c, 14. *n.* 66.... In quibuslibet rebus domandus et sanandus est appetitus.

N. 67. Alimentorum sustentaculis indigemus.... non solùm cibo, sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis nostri; non propter exsaturandam libidinem, sed propter tuendam salutem. Cùm ergo natura quodam modo poscit supplementa, quæ desunt, non vocatur libido, sed fames, aut sitis: cùm verò, suppletâ necessitate, amor edendi animum sollicitat, jam libido est, jam malum est cui cedendum non est, sed resistendum.... Iste amor edendi non edendo, sed continendo est comprimendus.

§. 5. De Invidiâ.

I. Quid est invidia ?

R. Invidia est tristitia de bono proximi, perindè ac si malum nostrum esset, eò quòd illo bono propriam nostram gloriam aut excellentiam imminui existimamus.

Ad intelligentiam hujus definitionis adverte non omnem tristitiam de bono proximi invidiam esse ; si quidem ex charitate quandoque dolere possumus, si quis iis bonis affluat, quibus omninò indignus est ; undè oritur non invidia, sed indignatio.

Ex timore dolere possumus de bono alterius : nimirum quia veremur, ne bonis illis abutatur ad nostram perniciem : neque dolor ille invidia dicitur.

In eo ergo propriè posita est ratio invidiæ, quòd de bonis proximi sicut de malis nostris eò maximè doleamus, quòd bona illa putemus vergere in detrimentum nostræ gloriæ, nostræ excellentiæ. Verbi gratiâ, vir artis alicujus peritus dolet de fama alterius ejusdem artis periti, eò quòd putet hanc proximi sui famam vergere sibi in detrimentum. Hoc invidiam dicimus. Vir gratiâ pollens apud Principem, dolet alium gratiâ pollere ; hinc enim putat oriturum esse detrimentum suæ auctoritatis. Hæc invidia est. Idem esto judicium de eloquentiâ, virtute, scientiâ, quas sic velimus nobis proprias esse, et cum alio nemine communicentur, ne fortè, ista, si in pluribus reperiantur, minuant nostri nominis celebritatem. Item invidia est si, cùm simus miseri, doleamus alios esse felices, velimusque eos in eamdem nobiscum miseriam trahere. (A)

S. Hieron. *advers. Jovinian. lib.* 2. *pag.* 204. *part.* 2. *tom.* IV. *novæ edit.* Quod ebrietas perdiderat, inedia reperit. Ex quo ostenditur, posse nos per jejunium redire in paradisum, undè per saturitatem fueramus ejecti.

S. Greg. Magn. *Lib.* 30. *Moral. in Job. c.* 14. Discretus vir ac continens et usque ad temperandam necessitatem ventrem reficit, et à voluptate restringit. Sciendum verò est, quia sic voluptas sub necessitate se palliat, ut vix eam perfectus quisque discernat. Nam dùm solvi debitum necessitas petit, voluptas explere desiderium suppetit : et tantò gula securiùs in præceps rapit, quantò sub honesto nomine necessitatis explendæ se contegit.... Sic necesse est, ut arcem quisque continentiæ teneat, quatenùs non carnem, sed vitia carnis occidat. Nam plerumque, dùm plus justo, caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur : ut ad orationem quoque vel prædicationem non sufficiat, dùm incentiva vitiorum in se funditùs suffocare festinat.... Eisdem namque alimentis vitia superbiunt, quibus nutritæ virtutes vivunt. Et cùm virtus alitur, plerumque vires vitiis augentur. Cùm verò immensa continentia vitiorum vires extenuat, etiam virtus deficiens anhelat. Undè necesse est ut interior homo noster, æquus quidam arbiter, præsideat inter se et eum, quem exteriùs gestat : qualenùs ei homo suus exterior et semper ad debitum ministerium servire sufficiat, et nunquam superbè liberâ cervice contradicat : nec moveat si quid suggerendo submurmurat, dummodo eum semper, superpositâ calce dominationis, premat. Sicque fit ut dùm repressa vitia reniti quidem nobis patimur, et tamen hæc nobiscum congredi ex æquo prohibemus, nec vitia contra virtutem prævaleant, nec rursùm virtus cum vitiorum omnimoda exstinctione succumbat.

(A) **S. Cyprian.** *de zelo et livore*, *p.* 154. Qualis verò animæ tinea, quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo ! Zelare in altero vel

I. Quænam sunt invidiæ causæ?

R. Superbia semper; et quandoque concupiscentia carnis, vel concupiscentia oculorum.

virtutem ejus, vel felicitatem, id est, odisse in eo merita propria, vel beneficia divina; in malum proprium bona aliena convertere, illustrium prosperitate torqueri, aliorum gloriam facere suam pœnam, velut quosdam pectori suo admovere carnifices, cogitationibus et sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent, qui cordis secreta malevolentiæ ungulis pulsent: non cibus talibus lætus, non potus potest esse jucundus; suspiratur semper et ingemiscitur, et doletur, dùmque ab invidis nunquam livor exponitur, diebus ac noctibus pectus obsessum sine intermissione laniatur.... Zelus terminum non habet, permanens jugiter malum, et sine fine peccatum, quantòque ille, cui invidetur, successu meliore profecerit, tantò invidus in majus incendium livoris inardescit. Hinc vultus minax, torvus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor, stridor in dentibus, verba rabida, effrenata convicia, manus ad cædis violentiam prompta, etiam si à gladio interim vacua, odio tamen furiatæ mentis armata.

S. Greg. Magn. *Lib.* 5. *Moral. in Job. c.* 31. *Et parvulum occidit invidia.* Invidere enim non possumus, nisi eis, quos nobis in aliquo meliores putamus. Parvulus ergo est, qui livore occiditur, quia ipse sibi testimonium perhibet, quòd eo minor sit, cujus invidiâ torquetur. Hinc est quòd hostis callidus primo homini invidendo surripuit, quia amissâ beatitudine, minorem se immortalitate illius agnovit. Hinc est quòd Caïn ad perpetrandum fratricidium corruit, quia despecto suo sacrificio, prælatum sibi infremuit, cujus Deus hostiam accepit: et quem meliorem se esse exhorruit, ne utcunque esset, amputavit. Hinc Esaû ad persecutionem fratris exarsit, quia primogenitorum benedictione perditâ, quam tamen pro esu lenticulæ ipse vendiderat, minorem se eo, quem nascendo præibat, ingemuit. Hinc Joseph fratres sui Ismaëlitis transeuntibus vendiderunt: quia cognito revelationis mysterio, ne se fieret melior, ejus profectibus obviare conati sunt. Hinc Saûl David subditum, lanceam intorquendo persequitur, quia quem magnis quotidiè augeri virtutum successibus sensit, ultra se excrescere expavit. Parvulus itaque est, qui invidiâ occiditur: quia nisi ipse inferior existeret, de bono alterius non doleret. Sed inter hæc sciendum est, quia quamvis per omne vitium, quod perpetratur, humano cordi antiqui hostis virus infunditur, in hâc tamen nequitiâ, tota sua viscera serpens concutit, et imprimendæ malitiæ pestem vomit. De quo nimirùm scriptum est (*Sap.* II. 24.): *Invidiâ diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Nam cùm devictum cor livoris putredo corruperit, ipsa quoque exteriora indicant, quàm graviter animum vesania instigat.... Cùmque in latebris cordis crescens absconditur odium, dolore cæco tenebrat conscientiam vulnus inclusum. Nil lætum de propriis libet, quia tabescentem mentem suâ pœnâ sauciat, quam felicitas torquet aliena: quòque extranei operis in altum fabrica ducitur, tantò fundamentum mentis lividæ profundiùs suffoditur: ut quo alii ad meliora proficiunt, eo ipso deteriùs ruant: quâ ruinâ videlicet etiam illud destruitur, quod in aliis actibus perfecto opere surrexisse putabatur. Nam invidia, cùm mentem tabefecerit, cuncta, quæ invenerit bene gesta, consumit. Undè benè per Salomonem dicitur (*Prov.* XIV. 30.): *Vita carnium sanitas cordis, putredo ossium invidia.* Putredo ossium invidia: quia per livoris vitium, ante Dei oculos pereunt etiam fortia acta virtutum.... Qui ergo livoris peste planè carere desiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non angustat, quæ et omnibus una est et singulis tota.... Imminutio ergo livoris, est affectus surgens internæ dulcedinis, et plena mors ejus, est perfectus amor æternitatis. Nam cùm mens ab ejus rei appetitu retrahitur, quæ accipientium numero partitur; tantò magis proximum diligit, quantò minùs ex profectu illius sua damna pertimescit. Quæ si perfectè in amore cœlestis patriæ rapitur, planè etiam in proximi dilectione sine omni invidiâ solidatur: quia cùm nulla terrena desiderat, nihil est quod ejus erga proximum charitati contradicat.

Superbia quidem. Ideò enim de bonis proximi quasi de malis propriis dolemus, quia nosmetipsos proximo anteponimus, et propriam excellentiam nimis diligimus; quod superbia est. (B)

Concupiscentia autem sive carnis, sive oculorum, quia præ nimiâ rerum temporalium cupiditate dolet invidus proximum habere divitias, quas vellet solus habere. (C)

I. Quænam sunt invidiæ filiæ?

R. Quinque recensentur à S. Gregorio Magno (*Moral. l.* 31. *cap.* 17.); nimirùm, odium proximi, quo fit ut malum ipsi velimus, susurratio, detractio, exsultatio in adversis proximi, et afflictio in prosperis.

I. Quâ maximè ratione possumus alienum servare animum ab omni invidiâ?

R. Si cogitemus attentè nullum esse vitium, quod nos similiores reddat diabolo. Is enim præ sola invidia nocet nobis: dolet nimirùm quòd simus ipso beatiores, conaturque ideò omni ratione trahere nos secum in ruinam. (D)

(B) S. Aug. *Lib.* 2. *de Genesi ad litt. c.* 14. *n.* 18... Nonnulli dicunt ipsum ei (diabolo) fuisse casum à supernis sedibus, quòd inviderit homini facto ad imaginem Dei. Porrò autem invidia sequitur superbiam, non præcedit: non enim causa superbiendi est invidia, sed causa invidendi superbia. Cùm igitur superbia sit amor excellentiæ propriæ, invidia verò sit odium felicitatis alienæ, quid undè nascatur satis in promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quòd ei cœæquentur; vel inferioribus, ne sibi cœæquentur; vel superioribus, quòd eis non cœæquetur. Superbiendo igitur invidus, non invidendo quisque superbus est.

Serm. 354. *aliàs* 53. *de Verbis Domini*, *c.* 5. *n.* 5. Servo ergo Dei, cui subrepserit superbia, continuò ibi est et invidia. Non potest superbus esse non invidus.

Cap. 6. *n.* 6. Prior est in vitiis superbia,.... deindè invidia. Non enim invidia peperit superbiam, sed superbia peperit invidiam. Non enim invidet nisi amor excellentiæ.

Julianus Pomerius *sive* S. Prosper *Lib.* 3. *de Vita contemplat. c.* 5. Invidus certè qui alienum bonum, suum facit invidendo supplicium, nullâ videtur ad invidendum concupiscentiâ provocari, sed tantùm superbiæ morbo vexari. Sed si animi ejus pestem, quâ præc pitatur incensus, subtiliter altèque rimemini, invenietis eum et perditionis ejus cupidine cujus cupit interitum et superbiæ malo teneri, quo sibi jugiter ingemiscit, meliorem cui invidet anteferri. Quis facilè potest, quale sit hoc malum verbis exprimere, quo invidus odio hominis persequitur divinum munus in homine: cùm potiùs amari homo debeat, etiam pro sui meriti sanctitate? Tantos invidus habet suâ pœnâ tortores, quantos invidiosus habuerit laudatores: si quidem invidiosum facit excellentia meriti, invidum pœna peccati.

(C) S. Basil. *Homil.* 11. *de Invidiâ.* Est invidia dolor de proximi prosperitate, ac rerum successu conceptus. Quapropter animo invido nunquam tristitia, nunquam mœstitia deest. Abundat proximi ager, domus bonis omnibus repletur, ex voto denique eveniunt omnia.... Cuncta hæc tristitiæ dolorisque occasionem invido præbent.

(D) Sap. II. 24. Invidiâ autem diaboli mors intravit in orbem terrarum: 25. Imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.

S. Basil. *Homil.* 11. *de Invidiâ*.... Diabolum (sequitur) invidentia. Caveamus itaque fratres amantissimi invidiæ vitium, ne socii gestorum diaboli reddamur, et eodem cum ipso condemnati judicio reperiamur.... Fortis est aliquis, alius formâ clarus, alius eloquentiâ, alius animi prudentiâ præstat, alius in divitiis liberalis facultates egentibus distribuit,

laudem ex hominibus in iis, quibus benignè facit, maximam refert: hæc omnia maligni feriunt animum : cumque mutire nihil audeat aut possit, simulat gaudium, secum tacitè rumpitur, coràm hilaritatem præfert, intùs verò ab invidiæ malo perditur..., Non quòd fratris felicitate angatur, aut amici gaudium lugeat, aut bonorum aliorum spectaculum non libenter ferat: sed ipsorum successum suam esse calamitatem ducat:... unam tantùm mali requiem exspectat : si quando cui invideat, ruentem fortè aspiciat. Hic finis odii, si miserum ex beato, infelicem ex æmulo videat.... Illud autem dico, quòd dæmones osores omnis boni, posteaquam voluntates invidorum deprehenderint sibi esse conformes, illis prorsùs ad suam libidinem, atque ita et illorum oculis ad instrumentum, ac ministerium propriæ voluntatis abutantur. Non igitur horres te diaboli perdentis ministerium facere, et malum : sed malum suscipis, per quod inimicus eorum fias, qui te nihil læserunt, inimicus præterea Dei boni, et qui omnis est expers invidiæ.... Quomodò invidus paratam diabolo pœnam effugiet. Nihil enim mortalium animis invidiæ perturbatione perniciosius contingit. Quæ ante omnia ipsi nocet auctori : aliis verò quàm minimum. Quemadmodùm enim rubigo ferrum, sic invidia eos, qui eam possident, consumit et vastat.... Invidia concipientem se animam corrodere simul et tabefacere solet.... Quid igitur hoc morbo perniciosius ? Interitus vitæ, pestis naturæ, adversa omnibus bonis ex Deo venientibus, demùm ipsi Deo contraria. Quid enim principem malorum dæmonem ad bellum adversùs hominem internecivum impulit ? Nonne invidia, per quam et Deo adversari palàm deprehensus est ? Indignatur enim in Deum ob præclara dona homini concessa. Quandò Deo nocere non valuit, ipsum insidiis petit hominem. Eadem et Caïn visus est admittere primus diaboli discipulus, invidiam et cædem ab eo edoctus.. Qui nostro gaudet interitu, ac per invidiam cecidit, ejusdem vitii operâ nos secum dejecit....

S. Cyprianus *de zelo et livore.* Zelare quod bonum videas ; et invidere melioribus, leve apud quosdam et modicum crimen videtur, fratres dilectissimi : dumque existimatur leve esse et modicum, non timetur ; dum non timetur, contemnitur ; dum contemnitur, non facilè vitatur, et fit cæca et occulta pernicies : quæ, dum minùs perspicitur ut caveri à providentibus possit, improvidas mentes latenter affligit. Nihil magis Christiano cavendum, nihil cautiùs providendum, quàm ne quis invidiâ et livore capiatur.... Hinc diabolus inter initia statim mundi et perit primus et perdidit. Ille... in zelum, malevolo livore prorupit.... Exindè invidia grassatur in terris, dùm livore periturus, magistro perditionis obsequitur : dùm diabolum, qui zelat imitatur. Sicut scriptum est (*Sap.* II. 24.) : *Invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Imitantur ergo illum qui sunt ex parte ejus. Hinc novæ fraternitatis prima odia, hinc parricidia nefanda cœperunt, dùm Abel justum Caïn zelat injustus, dùm bonum malus invidiâ et livore persequitur.... et quòd Joseph fratres sui vendiderunt, causa vendendi de æmulatione descendit.... Saûl quoque Rex ut David odisset, ut persecutionibus sæpè repetitis innocentem, misericordem, miti lenitate patientem necare cuperet, quid aliud quàm zeli stimulus provocavit ? Quia Goliath interfecto, et ope ac dignatione divinâ tanto hoste deleto, populus admirans in laudes David.... prosilivit : Saûl simultatis, atque insectationis furias de livore concepit.... Judæi nonne indè perierunt, dùm Christo malunt invidere quàm credere ? Obtrectantes magnalibus, quæ ille faciebat, zelo excæcante decepti sunt, nec ad divina noscenda cordis oculos aperire potuerunt. Quæ nunc considerantes, fratres charissimi, contra tantam mali perniciem vigilanter, et fortiter, dicata Deo pectora muniamus. Aliorum mors proficiat ad nostram salutem ; imprudentium pœna providentibus conferat sanitatem.

S. Chrysost. *Homil.* 41. *in c.* 12. *Matth.* Periculosum malum invidia est : nec enim alienis solùm, sed domesticis et illis ipsis, qui invident, pestifera est.... Tale certè malum invidia est, quâ nulla unquam malignitas pejor invenitur.... Quemadmodum sues lutosâ immunditiâ, et cœnosis nostris damnis lætantur, sic invidi calamitate proximorum exsultant. Cumque aliquid triste ac doloris efficiens proximo acciderit,

I. Estne invidia grave peccatum?

R. Invidia peccatum est ex genere suo mortale, juxta illud Apostoli (*Galat.* v. 19. 20. *et* 21.) : *Manifesta sunt opera carnis : quæ sunt fornicatio.... æmulationes.... invidiæ.... et his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Undè S. Basilius Homiliâ de Invidia eam vocat *intolerabile malum, serpentis documentum, dæmonum inventum, punitionis arrhabonem, pietatis impedimentum, viam ad gehennam, regni cœlorum privationem.* (E)

tunc aliquantulùm acquiescit atque respirat invidus : alienas enim jacturas suos quæstus existimat, et aliorum felicitatem miseriam suam arbitratur: nec magis consideral quid ipse suave consequatur, quàm quid proximo calamitosum inferatur.... Invidia pestiferum malum hominem in diaboli conditionem, ac in dæmonem immanissimum convertit. Invidiâ prima hominis cædes apparuit. Invidiâ fraterna charitas contempta est. Invidiâ sanguine hominis terra primò maculata. Invidiâ denique factum est, ut hiatu suo terra Dathan, Chore, Abyron universumque illum populum vivos absorpserit....

Homil. 15. *in cap.* 1. *Evang. Joannis.* Grave vitium invidia est, dilectissimi ; grave, inquam, et exitiosum, non his quibus invidetur, sed ipsis invidentibus. Primùm enim eos offendit, consumitque tanquam mortiferum quoddam virus eorum animos occupans. Si quo autem pacto eum, cui invidetur, lædit, parvum quidem, et nullius ferè momenti detrimentum est, quodque plus emolumenti quàm damni afferat.

(E) Job. v. 2. Parvulum occidit invidia.

Sapient. vi. 25. Neque cum invidiâ tabescente iter habebo : quoniam talis homo non est particeps sapientiæ.

Rom. xiii. 13. Sicut in die honestè ambulemus.... non in contentione et æmulatione.

Galat. v. 15. Quòd si invicem mordetis, et comeditis : videte ne ab invicem consumamini.... 19. Manifesta sunt autem opera carnis : quæ sunt.... 20.... inimicitiæ, contentiones, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, 21. invidiæ,... et his similia : quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.... 26. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.

1. Petr. ii. 1. Deponentes igitur omnem malitiam et omnem dolum, et simulationes et invidias,.... 2. sicut modò geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite : ut in eo crescatis in salutem.

S. Cyprian. *de Zelo et livore, p.* 154. Latè patet zeli multiplex et fecunda pernicies. Radix est malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum. Indè odium surgit, animositas indè procedit. Avaritiam zelus inflammat, dùm quis suo non potest esse contentus, videns alterum ditiorem ; ambitionem zelus excitat, dùm cernit quis alium in honoribus auctiorem : zelo excæcante sensus nostros, atque in ditionem suam mentis arcana redigente, Dei timor spernitur, magisterium Christi negligitur, judicii dies non providetur. Inflat superbia, exacerbat sævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutit, furit discordia, ira fervescit, nec se jam potest cohibere, vel regere, qui factus est potestatis alienæ. Hinc dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, ad hæreses et ad schismata prosilitur; dùm obtrectatur Sacerdotibus, dùm Episcopis invidetur.... Hinc recalcitrat, hinc rebellat de zelo superbus, de æmulatione perversus ; animositate, ac livore, non hominis, sed honoris inimicus.

S. Greg. Nyss. *de Vitâ Mosis, pag.* 211. Oportet omnes qui sacramentalem Baptismatis aquam transeunt, universum vitiorum exercitum in aquâ occidere, ut avaritiam, rapacem mentem, luxuriam, libidinem, superbiam, elationem animæ, invidiam....

Pag. 242. Invidia malorum princeps, mortis mater, prima peccati

janua, viliorum radix, doloris initium, calamitatis parens, inobedientiæ causa, ignominiæ principium. Invidia enim nos longè exterminavit à paradiso, versa in serpentem adversùs Evam : invidia repulit à ligno vitæ, sacrisque impassibilitatis vestibus detractis, ficulneis ignominiosè foliis induit : invidia Caïn adversùs fratrem armavit, mortem, quæ septuplum punita est, induxit. Invidia Joseph in servitutem detrusit, invidia dico, mortifer stimulus, mucro reconditus, naturæ morbus, bilis venenosa, labes sponte adhibita, telum amarum, figens animum clavus, flamma cordis, intestinorum ignis. Hanc qui habet, non suis malis, sed alienis bonis infelix est, et contrà non suo bono, sed malis proximi felix est : invidus enim felicitate aliorum dolet, calamitatibus gaudet.

D. Joan. Chrysost. *ad popul. Antiochen. homil.* 44. *de Livore et invidia.* Omni veniâ caret istud peccatum. Nam fornicator quidem concupiscentiam prætendere potest, fur paupertatem, homicida furorem, frigidas quidem et irrationabiles, habent tamen quas prætendant excusationes. Tu verò quam dices causam, rogo ? Nullam penitùs, nisi tantùm intensam nequitiam. Si enim inimicos diligere jubemur, cùm et diligentes oderimus, quam pœnam luemus ? Nam si diligens diligentes nihilo gentibus melius affectus est : nihil injuriæ operatos infestans, quam habebit veniam ? quam excusationem ? Audi quid Paulus dicat (1. *Cor.* xiii. 3.) : *Si tradidero corpus meum ut ardeam : charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quòd autem ubi livor et invidia, charitatis opera sublata sint, cuique patet. Hoc vitium et fornicatione pejus est, et adulterio. Hoc enim in operato tantùm sistit : invidiæ verò vis totam subvertit Ecclesiam, et toti nocet terrarum orbi. Hæc homicidii mater est : ita fratrem Caïn occidit, ita Jacob Esaü, ita Joseph fratres, ita cunctos homines diabolus. Sed tu nunc non occidis, sed multa cæde facis graviora, fratrem optans confundi, laqueos undique tendens, sum tos pro virtute dissolvens labores, dolens quòd mundi placent Domino. Non illum itaque, sed ab eo cultum impugnas. Illum afficis contumelia, tuum illius præponens honori, et quod est omnium gravissimum, indifferens peccatum esse videtur, cùm omnium sit atrocissimum.... Grave quid invidia, grave et simulatione plenum : hoc mundum innumeris replevit malis. Ex hoc morbo litibus plena sunt tribunalia, ex hoc livores et pecuniarum amor, ambitio et inanis gloria. Hinc urbes obsidentur, et mare piratas habet : hinc per orbem cædes, hinc genus nostrum dissipatum est. Quodcunque malum videris, ex hac radice producitur : jam enim et in Ecclesias debacchata est, et priùs innumera patravit mala.

Homil. 45. *ad popul. Antioch. de Livore et invidia.* (Saül) invidiâ contenebratam habens mentis rationem, benefactorem (Davidem) tanquam hostem respiciebat. Talis enim est hujus vitii malitia, ut priùs se parientem offendat : et sicut vermis de ligno nascens, ipsum priùs absumit ; sic et invidia illam priùs quæ se peperit, animam corrumpit.... Quod scientes, hujus, quæso, vitii pestem fugiamus, et totis viribus ex nostris relegemus animis. Omnium enim vitiorum hoc est perniciosissimum, et ipsam salutem nostram super omnia vastat. Improbi namque diaboli est inventum : et propterea Sapiens quidam dicebat (*Sap.* ii. 24.) : *Invidiâ verò diaboli introivit mors in orbem terrarum...* Multi.... labescunt et pereunt, cùm alios se præclarè gerentes, cùm omnem Ecclesiam vel verbo, vel quopiam alio modo adjuvari viderint, quo quid pejus esse possit ? Nec enim jam fratris, sed et Dei talis repugnat voluntati.... Nihil enim hujusmodi scelestius animâ, pejus nihil : hoc enim, hoc Ecclesias subvertit, hoc hæreses peperit, fraternam manum armavit, et fecit ut dextra pio tingeretur cruore, et naturæ leges abstulit, et morti fores aperuit.... Fugiamus itaque pestem. Non enim licet illum ignem evadere diabolo paratum, ab hoc malo non liberatos. Liberabimur autem, si cogitemus quomodo Christus et nos dilexit, et alterutrum amare præcepit.

Comment. in Epist. posterioris ad Corinth. cap. 12. *homil.* 27. Insania enim manifesta est, alienis bonis cruciari. Hoc enim rabidorum canum, et insanientium hominum est. Nam, sicut illi, in omnium insiliunt facies invidiâ exacerbati. Melius esset habere serpentem in visceribus sese volutantem, quàm livorem intùs depascentem : nam illum sæpè

pharmacorum usu evomi contingit, et alimento mitigari. Livor autem non volvitur in visceribus, sed in animæ sinu versatur, affectioque est difficilè curabilis.... Hic enim morbus et Ecclesiam invasit, et hoc est quod omnia sursùm ac deorsùm convertit, corporisque compagem discidit; et stamus alter contra alterum, invidiâ nos armante. Idcircò valde distorta est rerum facies. Si enim omnibus ædificantibus vix stabunt qui docentur, quando omnes destruemus, quis tandem erit finis? Quid facis, homo? Non censes ferendum quòd ea, quæ proximi sunt, destruantur? Nonne tua priùs, quàm quæ illius sunt, infirma facis? Non vides exstructores do nuum, agricolas, quomodo omnes quidem currunt, et ille quidem effodit, alius verò plantavit, alius autem radicem purgavit, alius item rigavit quod plantatum, alius sepsit ac munivit, alius jumenta abegit, et omnes ad unum respiciunt, plantæ scilicet conservationem? Hic autem non sic; sed planto quidem ego, turbat verò alius ac dissipat. Sine saltem benè firmari, ut robustior fiat, et insidias ferre valeat; non meum opus perdis, sed tuum destruis: ego plantavi, te autem oportebat rigare. Si igitur turbaris, et radicem evulseris, non habebis quod tu riges. Sed vides clarescere plantantem, ne timeas. Neque ego quid sum, neque tu: neque enim plantans, neque rigans est aliquid. Unius est opus Dei, atque ita cum illo pugnat, qui plantata revellit.

S. Greg. Magn. *Pastoralis curæ part.* 3. *admonit.* 11... Admonendi sunt invidi, ut perpendant quantæ cæcitatis sunt, qui alieno profectu deficiunt, alienâ exaltatione contabescunt. Quantæ infelicitatis sunt, qui melioratione proximi deteriores fiunt, dumque augmenta alienæ prosperitatis aspiciunt apud semetipsos anxiè afflicti, cordis sui peste moriuntur.... Pensent invidi, charitas quantæ virtutis est, quæ alieni quoque laboris opera, nostra facit sine labore. Dicendum itaque est invidis, quia dùm se à livore minimè custodiunt, in antiquam versuti hostis nequitiam demerguntur.... Admonendi sunt invidi, ut cognoscant quantis lapsibus succrescentis ruinæ subjaceant: quia, dùm livorem à corde non projiciunt, ad opertas operum nequitias devolvuntur. Nisi enim Caïn invidisset fratris acceptam hostiam, minimè pervenisset ad exstinguendam vitam.... Livor itaque sacrificii, fratricidii seminarium fuit. Nam quem meliorem se esse doluit, ne utcunque esset, amputavit. Dicendum est invidis quia dùm se istâ intrinsecùs peste consumunt, etiam quidquid in se aliud boni habere videntur, interimunt.

Cassianus *Collat. decima octava, c.* 17. Sciendum sanè est, invidiæ morbum difficiliùs ad medelam quàm cætera vitia pervenire. Nam cum quem semel veneni sui peste corruperit, penè dixerim carere remedio... Recte igitur à Prophetâ (*Jer.* viii. 17.) morliferis basilici venenis morsus invidiæ comparatur, quâ primus ille venenorum omnium auctor et princeps et periit et peremit. Nam antè suus quàm ejus, cui inviderat, interemptor, priusquam in hominem mortis virus effunderet, ipse se perdidit, *Invidiâ* enim *diaboli mors introivit in orbem terrarum, imitantur autem illum qui sunt ex parte illius.* (*Sap.* ii. 24. 25.) Sicut enim ille qui primus ejusdem mali peste corruptus est, nec medelam pœnitentiæ, nec fomentum ullius curationis admisit, ita et hi, qui iisdem se percutiendos morsibus tradiderunt:.... quia cùm... aliorum prosperitate crucientur, erubescentes ipsam prodere veritatem, extrinsecùs sibi quasdam superfluas et ineptas causas offensionis inquirunt.... Quarum, quia omnimodis falsæ sunt, vana curatio est.... Nam usque adeò incurabilis est ita pernicies, ut blandimentis exasperetur, inflatur obsequiis, muneribus irritetur. Quia, ut idem Salomon ait, nihil sustinet zelus. Quantò enim ampliùs alius aut humilitatis subjectione, aut patientiæ virtute, aut munificentiæ laude profecerit, tantò ille majoribus invidiæ stimulis incitatur, qui non nisi ruinam aut mortem ejus, cui invidet, concupiscit.... Cunctis ergo vitiis perniciosiorem atque ad purgandum difficiliorem esse constat invidiam, quæ ipsis remediis, quibus reliqua exstinguuntur, accenditur.

Quanta mala invehat secum invidia disce ex

Genes. iv. 1. *Vide suprà Part.* 1. *Sect.* 1. *Cap.* 4. §. 2. *litt.* (F)

xxvii. 41. Oderat ergo semper Esau Jacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater: dixitque in corde suo: Venient dies luctûs patris mei, et occidam Jacob fratrem meum.

XXXVII. 3. Israël autem diligebat Joseph super omnes filios suos, eò quòd in senectute genuisset eum : fecitque ei tunicam polymitam. 4. Videntes autem fratres ejus quod à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum nec poterant ei quidquam pacificè loqui.... 17.... Perrexit ergo Joseph post fratres suos.... 18. Qui cùm vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitaverunt illum occidere : 19. Et mutuò loquebantur : Ecce somniator venit : 20. Venite occidamus eum, et mittamus in cisternam veterem : dicemusque fera pessima devoravit eum.... 23. Confestim igitur ut pervenit ad fratres suos, nudaverunt eum tunica talari et polymita : miseruntque eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam... 28. Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismaëlitis viginti argenteis : qui duxerunt eum in Ægyptum.

1. REG. XVIII. 6. Porrò cùm reverteretur, percusso Philistæo, David... 7. Præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes : Percussit Saül mille, et David decem millia. 8. Iratus est autem Saül nimis, et displicuit in oculis ejus sermo iste ; dixitque : Dederunt David decem millia, et mihi mille dederunt : quid ei superest nisi solum regnum ? 9. Non rectis ergo oculis Saül aspiciebat David à die illa et deinceps. 10. Post diem autem alteram.... tenebat Saül lanceam, 11. Et misit eam, putans quòd configere posset David.

DANIEL. VI. 4. Porrò rex (Darius) cogitabat constituere eum (Danielem) super omne regnum : undè principes et satrapæ quærebant occasionem ut invenirent Danieli ex latere regis : nullamque causam et suspicionem reperire potuerunt, eò quòd fidelis esset, et omnis culpa et suspicio non inveniretur in eo. 5. Dixerunt ergo viri illi : Non inveniemus Danieli huic aliquam occasionem, nisi forte in lege Dei sui. 6. Tunc principes et satrapæ surripuerunt regi, et sic loculi sunt ei : Dari rex in æternum vive : 7. Consilium inierunt omnes principes regni tui, magistratus et satrapæ, senatores et judices, ut decretum imperatorium exeat, et edictum : ut omnis qui pelierit aliquam petitionem à quocunque Deo et homine usque ad triginta dies, nisi à te rex, mittatur in lacum leonum. 8. Nunc itaque rex confirma sententiam, et scribe decretum : ut non immutetur quod statutum est à Medis et Persis, nec prævaricari cuiquam liceat. 9. Porrò rex Darius proposuit edictum, et statuit. 10. Quod cùm Daniel comperisset, id est, constitutam legem, ingressus est domum suam, et fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, et adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut et ante facere consueverat. 11. Viri ergo illi curiosiùs inquirentes invenerunt Danielem orantem et obsecrantem Deum suum. 12. Et accedentes loculi sunt regi super edicto : Rex nunquid non constituisti, ut omnis homo, qui rogaret quemquam de diis et hominibus, usque ad dies triginta, nisi te, rex, mitteretur in lacum leonum ? Ad quos respondens rex ait : Verus est sermo juxta decretum Medorum atque Persarum, quod prævaricari non licet. 13. Tunc respondentes dixerunt coram rege : Daniel de filiis captivitatis Juda non curavit de lege tua et de edicto quod constituisti : sed tribus temporibus per diem orat obsecratione suâ. 14. Quod verbum cùm audisset rex satis contristatus est, et pro Daniele posuit cor ut liberaret eum, et usque ad occasum solis laborabat ut erueret illum. 15. Viri autem illi intelligentes regem dixerunt ei : Scito, rex, quia lex Medorum atque Persarum est, ut omne decretum, quod constituerit rex, non liceat immutari. 16. Tunc rex præcepit, et adduxerunt Danielem et miserunt eum in lacum leonum. Dixitque rex Danieli : Deus tuus, quem colis semper, ipse liberabit te. 17. Allatusque est lapis unus, et positus est super os laci : quem obsignavit rex annulo suo et annulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem. 18. Et abiit Rex in domum suam, et dormivit incœnatus, cibique non sunt allati coram eo, insuper et somnus recessit ab eo. 19. Tunc Rex primo diluculo consurgens, festinus ad lacum leonum perrexit. 20. Appropinquansque lacui, Danielem voce lacrymabili inclamavit, et affatus est eum : Daniel serve Dei viventis, Deus tuus, cui tu servis semper, putasne valuit te liberare à leonibus ? 21. Et Daniel regi respondens, ait : Rex in æternum vive. 22. Deus meus misit Angelum suum, et conclusit ora leo-

I. Ergo invidia nunquam est veniale peccatum ?

R. Potest esse culpa venialis, si agatur de re levi, et motus invidiæ non sit vehemens, nec perfectè deliberatus.

I. Quænam sunt invidiæ remedia ?

R. Animum habere liberum à concupiscentiâ carnis, à concupiscentiâ oculorum, et à superbiâ vitæ. Qui enim nec superbus est, nec magni facit res caducas, honores, dignitatem, celebritatem nominis, voluptates, divitias, et cætera id genus, is horum omnium possessionem invidet nemini. (F)

num, et non nocuerunt mihi : quia coram eo justitia inventa est in me : sed et coram te, rex, delictum non feci. 23. Tunc vehementer rex gavisus est super eo, et Danielem præcepit educi de lacu : eductusque est Daniel de lacu, et nulla læsio inventa est in eo, quia credidit Deo suo. 24. Jubente autem rege, adducti sunt viri illi, qui accusaverant Danielem : et in lacum leonum missi sunt, ipsi, et filii, et uxores eorum : et non pervenerunt usque ad pavimentum laci, donec arriperent eos leones, et omnia ossa eorum comminuerunt.

MATTH. XXVII. 18. Sciebat enim (*Pilatus*) quod per invidiam tradidissent eum (*Jesum Sacerdotes Judæorum*).

(F) S. CYPRIANUS *de Zelo et Livore*, *pag.* 157. Sit ante oculos divina lectio, in manibus bona operatio, in sensibus Dominica cogitatio. Oratio jugis omninò non cesset, salutaris operatio perseveret ; spiritualibus semper actibus occupemur, ut quotiescunque inimicus accesserit.... clausum adversum se pectus inveniat et armatum.... Qui fueras zelo et livore possessus, omnem illam malitiam, quâ priùs teneharis, abjice, ad viam vitæ æternæ vestigiis salutaribus reformare. Evelle de pectore tuo spinas et tribulos, ut te dominicum semen fertili fruge locupletet... venena fellis evome, discordiarum virus exclude : purgetur mens, quam serpentinus livor infecerat ; amaritudo omnis, quæ intùs insederat, Christi dulcedine leniatur.... Ama eos quos ante oderas, dilige illos quibus injustis obtrectationibus invidebas. Bonos imitare, si sectari potes : si autem eos sectari non potes, collætare certè, et gratulare melioribus : fac te illis adunatâ dilectione participem, fac te consortio charitatis et fraternitatis vinculo cohæredem. Dimittentur tibi debita, quando ipse dimiseris : accipientur sacrificia tua, cùm pacificus ad Deum veneris.... Paradisum cogita, quò Caïn non redit, qui zelo fratrem peremit. Cogita cœleste regnum, ad quod non nisi concordes atque unanimes Dominus admittit. Cogita quòd filii Dei hi soli possint vocari, qui sint pacifici.... Cogita sub oculis Dei nos stare, spectante ac judicante ipso, conversationis ac vitæ nostræ curricula decurrere.

D. BASIL. *Homil.* 11. *de Invid.* Quid ergo faciendum, ut hanc animi pestem ab initio minimè quidem patiamur, aut eâ fortasse affecti facilè liberemur ? Primùm quidem si nihil rerum humanarum magnum aut supra naturam existimemus : non potentiam, non gloriam, non opes, non corporis habitudinem prosperam : non enim in rebus fluxis bonum constituimus, sed ad sempiternorum et verorum bonorum participationem vocati sumus. Itaque nec dives æmulandus est propter divitias, nec potens ob dignitatis ac magistratûs culmen, nec fortis ob corporis robur, nec eloquens ob dicendi facultatem. Instrumenta sunt hæc virtutis rectè utentibus, nihil per se veræ felicitatis habentia.... Omninò autem qui res humanas rationi subjecerit, et ad veram pulchritudinem laudemque se convertérit, multùm abfuerit ab eo, ut in rebus terrenis et fluxis quemquam putet esse felicem et æmulandum. Qui verò ita fuerit animatus, ut nihil usquam humanum admiretur, huic procul dubio dominari invidia nullo modo poterit.

D. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 44. *ad popul. Antioch.* Lugeamus itaque :.... gravis enim et hic valdè morbus est : nec aberraverit quis hanc diaboli filiam appellans, et post hæc inanis gloriæ fructum, quin autem et radicem. Hæc enim utraque mala in alterutrum sese producere solent. Sic certè tunc quoque Saûl invidebat, quando dicebant, *Percussit Saül*

§. 6. De Ira.

I. Quid est peccatum iræ ?

R. Est immoderatus animi motus, quo quis cum impetu repellit ea, quæ sibi displicent.

Immoderatus, inquam; est enim et moderatus ratione motus animi, quo quis cum impetu ratione temperatè repellit ea, quæ sibi meritò displicent : est ira laudabilis. *Irascimini et nolite peccare*, inquit propheta Regius. (*Ps.* IV. 5.) *Sciendum est*, verba sunt sancti Gregorii Magni, (*Moral. l.* 31. *c.* 17.) *quòd alia est ira, quam impatientia excitat, alia, quam zelus justitiæ format. Illa ex vitio, hæc ex virtute generatur.*

I. Quandonam justa et rationabilis ira est ?

R. Cùm excitatur ob causam justam et rationi consentaneam : verbi gratiâ, ad repellendum malum, vel faciendum bonum aliquod : nec immoderatiùs fervescit. Hàc ira accensus Phineès placavit Dominum. Hanc et Christus ipse in se concitavit, dùm ejecit è templo vendentes et ementes. Hæc autem ira dicitur zelus. (A)

mille, et David decem millia (1. *Reg.* XVIII. 7.) : quo quid possit esse irrationabilius ? Quid enim, quæso, invides ? Quòd ille laudavit ? Atqui gaudere decebat : alioquin neque nosti, verane sit laus. Aut propterea doles, quòd, cùm non esset admirabilis, laudatus est ? At potiùs oportebat misereri. Quamobrem si bonus quidem sit, laudato non opus est invidere, sed potiùs cum laudare cum benedicentibus. Si verò talis non sit, utilitas nulla, sed et damnum. Quid igitur in teipsum ensem agis, quòd hominibus mirabilis esse videtur, qui hodiè quidem sunt, cras autem non erunt ? Sed quòd gloriâ fruitur ? Quali, dic mihi ? De quâne Propheta (*Isaï.* XLX. 6.) dicit, quæ flos est feni ? Propterea igitur invides, quoniam onera bajulat, et feni tales circumfert sarcinas ? Si verò tibi talis dignus invidiâ videtur honor, et lignicidæ per singulos dies onera ferentes, et urbem ingredientes. Nihilò enim melius hoc est onus, sed gravius : illud enim corpus tantùm premit, hoc autem et animam plerumque læsit, et voluptate majorem intulit anxietatem. Nam etsi et dicens comprobatur, majorem habet lætitia timorem : quin potiùs hanc quidem brevem, illum verò continuum : et si præpolleat apud principes, et illic invidia rursùs et periculum. Quòd enim tu pateris apud eum, hoc et alii plures... Hoc igitur, quæso, bonum ? Hoc, gloria ? Nequaquam, sed ignobilitas, servitus et vincula, et quidquid grave quis dixerit. Si verò sic quoque tibi diligitur ex hominibus gloria, et ille multorum excipiens plausum te conturbat vehementer : cùm plausibus fruentem videris, ad futurum mente seculum et illam gloriam transi. Et sicut ingruentem fugiens feram, et domum ingrediens, fores claudis : sic et nunc ad futuram confuge vitam, et illam ineffabilem gloriam : ita enim et hanc conculcabis, et illam faciliter apprehendes.

S. AUG. *Epist.* 140. *ad Honoratum*, *aliàs* 120. *n.* 54. *c.* 22. Charitas.... ideò non æmulatur, quia non inflatur. Ubi enim præcedit inflatio, continuò sequitur æmulatio : quoniam superbia mater est invidentiæ.

(A) JOAN. II. 13.... Ascendit Jesus Jerosolymam : et invenit in templo vendentes boves et oves et columbas et numularios sedentes. 15. Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque, et boves, et numulariorum effudit æs, et mensas subvertit. 16. Et his, qui columbas vendebant, dixit : Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. 17. Recordati sunt verò discipuli ejus, quia scriptum est : Zelus domûs tuæ comedit me.

S. BASIL. *Homil.* 10. *de Ira.* Irascimini, et nolite peccare : ipse nempe Dominus in Evangelio illum qui temere fratri iratus fuerit, reum judicii

I. Quandonam ira peccatum est ?

R. Quando excitatur in homine ex pravis affectibus, et cupiditatibus.

I. Quænam cupiditates solent iram excitare ?

R. Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. Ex hoc triplici fonte, ut diximus, manat omne peccatorum genus ; atque adeò ira. Si quidem sic homo affectus est, ut paratus sit cum impetu repellere quidquid suis cupiditatibus adversatur.

I. Estne semper ira laudabilis, quando movetur ob causam justam ?

R. Potest et tunc esse peccatum ; puta, si nimio impetu effervescat, vel si absque necessitate, vel præ superbiâ moveatur : nam et in rebus justis potest iram superbia concitare. Superbi enim nullam possunt ferre contradictionem : hinc citiùs irâ moventur. (B)

facit. Illum verò qui tanquam pharmaco ad ea, quæ oportet, irâ utitur, minimè condemnat... Hostes sitis Madianitis. Docentis verba sunt ut irâ velut armis utamur. Ideò Moses omnium hominum mansuetissimus, vituli idololatriam damnans, Levitarum manus in cædem fratrum armavit. Unusquisque, inquit (*Exod.* XXXII. 27.) vestrûm gladium ad latus tenear, et transite à portâ in portam, et flectite per circuitum castrorum, et suum quisque fratrem interimat et quilibet proximum suum.... Quid Phinees justum reddidit ? Nonne justa contra fornicantes ira ? Qui alioqui mansuetus existens ac mitis, postquam stuprum Zambri et scorti Madianitidis palâm in populo vidit, adeoque impudenter admissum, ut nec tam turpe spectaculum occultari vellent, minimè tam indignum spectaculum passus, irâ ut oportebat usus, utrumque lanceâ transverberavit. Samuel autem Agag Regem Amalech à Saüle contra mandatum Domini servatum, nonne justâ irâ in medium trahens occidit ? Sic itaque fit ira sæpenumerò bonarum actionum ministra. Elias verò zelotes quinquaginta supra quadringentos turpitudinis Sacerdotes, et quadringentos viros sacrorum nemorum comedentes de mensâ Jezabel justâ sapientique indignatione in totius Israël utilitatem, ut morte multarentur, effecit.

S. GREG. MAGN. *Moral. in Job. Lib.* 5. *c.* 30. Alia est ira quam impatientia excitat, alia quam zelus justitiæ format. Illa ex vitio, hæc ex virtute generatur. Si enim nulla ira ex virtute surgeret, divinæ animadversionis impetum Phinees per gladium non placasset. Hanc iram quia Heli non habuit, motum contra se implacabiliter supernæ ultionis excitavit. Nam quò contra subditorum vitia tepuit, eò contra illum districtio æterni Rectoris exarsit. De hac irâ per Psalmistam dicitur (*Ps.* IV. 5.) : *Irascimini et nolite peccare.* Quod nimirum non rectè intelligunt, qui irasci nos nobis tantummodo, non etiam proximis delinquentibus volunt. Si enim sic proximos ut nos amare præcipimur, restat, ut sic eorum erratibus, sicut nostris vitiis irascamur. De hâc per Salomonem (*Eccle.* VII. 4.) dicitur : *Melior est ira risu : quia per tristitiam vultûs corrigitur animus delinquentis.*

(B) S. GREG. MAGN. *Moral. in Job. Lib.* 5. *c.* 30. Sed cùm per zelum animus movetur, curandum summoperè est, ne hæc eadem, quæ instrumento virtutis assumitur, menti ira dominetur, nec quasi domina præcat, sed velut ancilla ad obsequium parata, à rationis tergo nunquam recedat. Tunc enim robustius contra vitia erigitur, cùm subdita rationi famulatur. Nam quantumlibet ira ex zelo rectitudinis surgat, si immoderata mentem vicerit, rationi protinùs servire contemnit, et tantò se impudentiùs dilatat, quantò impatientiæ vitium virtutem putat. Undè necesse est ut hoc ante omnia, qui zelo rectitudinis movetur, attendat, ne ira extra mentis dominium transeat, sed in ultione peccati tempus modumque considerans, surgentem animi perturbationem subtilius

I. Quandonam necesse est irâ moveri ?

R. Tunc solùm quando sperare licet hâc viâ malum esse depellendum, vel bonum faciendum. Nec putes fictitiam esse hujusmodi necessitatem : est enim nonnullorum hominum ea indoles, ut nunquam vel à malo avocandi sint, vel ad bonum efficaciter excitandi, nisi adversùs eos incitatione vehementi et irâ salutari movearis. Hic salutaris impetus quandoque et ad expergiscendum peccatorem, et ad addendos justis animos, efficacior est. Sed hîc multâ opus est prudentiâ : nisi enim zelus prudentiâ temperetur, nocet multùm, nedum prosit. (C)

retractando restringat, animositatem reprimat, et motus fervidos sub æquitate disponat, ut eò fiat justior ultor alienus, quò priùs exstitit victor suus : quatenùs sic culpas delinquentium corrigat, ut antè ipse qui corrigit, per patientiam crescat, et fervorem suum transcendendo dijudicet, ne intemperanter excitatus, ipso zelo rectitudinis longè à rectitudine aberret.

Pastor. curæ. Part. 3. *admonit.* 17.... Iracundi cùm regiminum loca percipiunt, quò impellente irâ in mentis vesaniam devolvuntur, eò etiam subditorum vitam dissipatâ quietis tranquillitate confundunt. Quos cùm furor agit in præceps, ignorant quidquid irati faciunt, ignorant quidquid à semetipsis patiuntur irati. Nonnunquam verò, quod est gravius, iræ suæ stimulum justitiæ zelum putant : et cùm vitium virtus creditur, sine metu culpa cumulatur.... Igitur.... sæpe iracundi rectitudinis falluntur zelo,... hisque suum vitium quasi virtus fervens videtur.

(C) *Hujus zeli exempla quædam ex Scriptura accipe.*

Exod. xxxiii. 19. Cumque appropinquasset ad castra, vidit vitulum, et choros : iratusque valdè, projecit de manu tabulas, et confregit eas ad radicem montis : 20. Arripiensque vitulum quem fecerant, combussit, et contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aquam, et dedit ex eo potum filiis Israël.... 26. Et stans in porta castrorum, ait : Si quis est Domini, jungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi : 27. quibus ait : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Ponat vir gladium super femur suum : ite, et redite de porta usque ad portam per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem, et amicum, et proximum suum. 28. Fecerunt que filii Levi juxta sermonem Moysi, ceciderunt que in die illa quasi viginti tria millia hominum.

Numer. xxv. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. *et* 15. *Vide supra Part.* 1. *Sect.* 1. *Cap.* 4. §. 14. *litt.* (I)

Judic. xix. 25.... Eduxit ad eos concubinam suam, et eis tradidit illudendam : quâ cùm totâ nocte abusi essent, dimiserunt eam manè. 26. At mulier, recedentibus tenebris, venit ad ostium domûs, ubi manebat dominus suus, et ibi corruit. 27. Manè facto, surrexit homo, et aperuit ostium, ut cœptam expleret viam : et ecce concubina ejus jacebat ante ostium, sparsis in limine manibus. 28. Cui ille, putans eam quiescere, loquebatur : Surge, et ambulemus. Quâ nihil respondente, intelligens quòd esset mortua, tulit eam, et imposuit asino, reversusque est in domum suam. 29. Quam cùm esset ingressus, arripuit gladium, et cadaver uxoris cum ossibus suis in duodecim partes, ac frusta concidens, misit in omnes terminos Israel. 30. Quod cùm vidissent singuli, conclamabant : Nunquam res talis facta est in Israël, ex eo die quo ascenderunt patres nostri de Ægypto, usque in præsens tempus : ferte sententiam, et in commune decernite quid facto opus est.

xx. 3. *Vide supra* §. 3. *hujusce Capitis litt.* (H)

1. Reg. xv. 9. Et pepercit Saül, et populus, Agag, et optimis gregibus ovium et armentorum, et vestibus et arietibus, et universis quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea : quidquid verò vile fuit et reprobum, hoc demoliti sunt. 10. Factum est autem verbum Domini ad Samuel, dicens : 11. Pœnitet me, quòd constituerim Saül Regem : quia dereliquit me, et verba mea opere non implevit.... 12.... Venit ergo Samuël ad Saül,

I. Quænam sunt iræ filiæ ?

R. Contentiones, rixæ, inimicitiæ, lites, contumeliæ, clamores, ultiones, cædes. His adde tumorem mentis, indignationem, blasphemiam. (D)

et Saül offerebat holocaustum Domino, de initiis prædarum, quæ attulerat ex Amalech.... 16. Ait autem Samuël ad Saül:.... 18. Misit te Dominus in viam, et ait : Vade, et interfice peccatores Amalech, et pugnabis contra eos usque ad internecionem eorum.... 19. Quare ergo non audisti vocem Domini : sed versus ad prædam es, et fecisti malum in oculis Domini ? 23. Pro eo ergo quòd abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne sis Rex.... 29. Porrò Triumphator in Israël non parcet, et pœnitudine non flectetur.... 32. Dixitque Samuël : Adducite ad me Agag Regem Amalech. Et oblatus est ei Agag pinguissimus, et tremens : et dixit Agag : Siccine separat amara mors ? 33. Et ait Samuël : Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua. Et in frusta concidit eum Samuël coram Domino in Galgalis.

3. Reg. xviii. 40. Dixitque Elias ad eos : Apprehendite prophetas Baal, et ne unus quidem effugiat ex eis. Quos cùm apprehendissent, duxit eos Elias ad Torrentem Cison, et interfecit eos ibi.

xix. 10. At ille (Elias) respondit : (Domine) zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israël : altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus et quærunt animam meam, ut auferant eam. 11. Et ait ei (Dominus) : Egredere, et sta in monte coram Domino : et ecce Dominus transit, et spiritus grandis et fortis subvertens montes, et conterens petras ante Dominum ; non in spiritu Dominus : et post spiritum commotio ; non in commotione Dominus : 12. et post commotionem ignis ; non in igne Dominus : et post ignem sibilus auræ tenuis....

1. Machab. ii. 23.... Accessit quidam Judæus in omnium oculis sacrificare idolis super aram in civitate Modin, secundùm jussum Regis. 24. Et vidit Mathathias, et doluit, et contremuerunt renes ejus, et accensus est furor ejus, secundùm judicium legis, et insiliens trucidavit eum super aram : 25. Sed et virum, quem Rex Antiochus miserat, qui cogebat immolare, occidit in ipso tempore, et aram destruxit. 26. Et zelatus est legem, sicut fecit Phinees.... 27. Et exclamavit Mathathias voce magnâ in civitate, dicens : Omnis, qui zelum habet legis statuens testamentum, exeat post me.

Matth. xxi. 12. Et intravit Jesus in templum Dei, et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo, et mensas numulariorum et cathedras vendentium columbas evertit : 13. Et dixit eis : Scriptum est : Domus mea, domus orationis vocabitur : vos autem fecistis illam speluncam latronum.

Joan. ii. 13. *Vide suprà litt.* (A) *hocce* 2.

(D) S. Basil. *Homil.* 10. *de Ira* (Iratos) Scriptura et canes mutos, et serpentes, et genimina viperarum nominat.... Effrenes linguæ, ora incustodita, incontinentes manus, contumeliæ probra, accusationes, verbera, et alia ejusmodi.... iræ sunt, ac furoris fructus. Ob iram ensis acuitur, mors homini ex homine venit. Fratres inter se ignorantur, parentes ac liberi naturæ obliviscuntur.... Scipsos haud agnoscunt irati... Ne Fratres dilectissimi, malum malo curate, neu contendite invicem calamitate mutuâ vincere. In rixa enim is inferior est, qui victor est, ac peccatis longè gravior discedit. Noli ergo malam referre gratiam, neque mali mutui restitutor esse. Contumeliam intulis iratus : vince, amoveque silentio malum.... Rubicundus ille est ob iram, tu minimè ruborem præfer ? Illi sanguinei oculi ? Tui quietè ac cum gravitate aspiciant. Vox illi aspera ? Tibi mitis.... Si inter litigantes fortè convicia dicuntur, primus obscurum hominem, et ex obscuro venientem loco probrosè vocat : alter vernam ex vernis regerit. Hic pauperem, alter mendicum : hic indoctum, alter stupidum appellat. Denique sic durant donec convicia sicuti sagittæ deficiunt. Deindè omni contumeliâ per linguam consumptâ, ad manus venitur et pugnam.... Quando enim verborum contumeliâ tentaris, illud existima, periculum de te fieri, an Deo

I. Quale peccatum est ira ?

R. Potest esse vel mortale vel veniale. Mortale est si sit vehementior, si sit inveterata, si adjunctum habeat odium proximi, vel deliberatum ultionis appetitum, si grave scandalum afferat. Uno verbo si exstinguat in corde charitatem. (E)

per patientiam adhæras, seu per iram in adversarii partes inclines. Da tempus cogitationibus, ad optimam elegendi partem opportunum. Nam è duobus alterum procul dubio consequeris, aut inimicum tuæ mansuetudinis exemplo mitiorem reddes; vel certè, si despexeris, acriùs illum vindicabis. Quid enim adversario durius esse potest, quàm te animum gerere contumeliis omnibus altiorem? Noli tuam pessundare mentem: nec ab eo qui te conviciis et omni injuriâ petit, comprehendi patiare.... Ira namque certamen excitat, certamen verò convicium, convicium verbera, verbera demùm vulnera, ex quibus et mortes sequuntur.... Est indignatio stimulus quidam brevis, ac subitus, acutusque passionis vapor. Ira verò permanens ac diuturna tristitia, aptaque sese otiosè ulcisci, veluti libido quædam sese ulciscendi.... Itaque, fratres amantissimi, ne obsecro tantum nobis malum inducamus, animæ morbum, rationis tenebras, à Deo alienationem, oblivionem familiaritatis, principium bellorum, plenitudinem calamitatum, dæmonem pessimum nostris animis innatum, incolam quemdam impudentem, nostra interiora possidentem, denique sancti Spiritûs iter ad nos impedientem. Ubi inimicitiæ sunt, contentiones, indignationes, sectæ nostris animabus perpetuos generantes tumultus, ibi spiritus mansuetudinis haud requiescit.

S. Greg. Magn. *Lib.* 5. *Moral. in Job. cap.* 30. Per iram gratia vitæ socialis amittitur, sicut scriptum est (*Prov.* xxii. 24. *et* 25.): Noli esse assiduus cum homine iracundo, ne discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ. Et idem (xviii. 14.): Quis poterit habitare cum homine, cujus spiritus facilis est ad irascendum? Quia, qui se ex humanâ ratione non temperat, necesse est, ut bestialiter solus vivat. Per iram concordia rumpitur, sicut scriptum est (*Prov.* xxix. 22.): Vir animosus parit rixas, et vir iracundus effodit peccata. Iracundus quippè peccata effundit: quia etiam malos, quos incautè ad discordiam provocat, pejores facit.... Fit plerumque, ut usque ad manus ira prosiliat, et quò ratio longiùs recedit, audacior exsurgat, seque ipsum animus retinere non valet: quia factus est potestatis alienæ.... Aliquando autem manus non exerit, sed in maledictionis jaculum linguam vertit.... Aliquando ira, perturbato animo, quasi ex judicio silentium indicit, et quò se foras per linguam non exprimit, intùs deteriùs ignescit, ut iratus quisque collocutionem suam proximo subtrahat, et nil dicendo quàm sit adversus dicat.

(E) Prov. xxix. 22. Vir iracundus provocat rixas, et qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior.

xxx. 26. Zelus, et iracundia minuunt dies.

Eccli. xxvii. 33. Ira et furor, utraque exsecrabilia sunt, et vir peccator continens erit illorum.

Matth. v. 22. Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.

Ephes. iv. 31. Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia, tollatur à vobis, cum omni malitiâ. 32. Estote ergo invicem benigni, misericordes, donantes invicem.

Galat. v. 18. Manifesta sunt opera carnis.... 19... inimicitiæ.... contentiones.... iræ, rixæ, dissensiones, sectæ: 21.... et his similia, quæ prædico vobis.... quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

Coloss. iii. 8. Nunc autem deponite et vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro.

Jacob. i. 10.... Sit autem omnis homo velox ad audiendum; tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. 20. Ira enim viri, justitiam Dei non operatur.

S. Basilius *Hom.* 10. *de Irâ.* Quando semel iræ perturbatio mentem

Veniale peccatum est si levis, si non diuturna, si non exstinguat in corde charitatem.

I. Quænam sunt iræ remedia ?

R. Ducem in omnibus sequi rationem et fidem : nihil agere ex cupiditate, nihil ex præcipiti impetu, omnia cum deliberatione gravi : exercitatum habere animum in oratione, in silentio, in patientiâ. (F)

præcipitans imperium animæ sumpserit, hominem penitùs in feram convertit, nec hominem, qui rationis sit compos, esse sinit. Quod enim venenum virus emittentibus erit, hoc idem et furor animo irritatis, ac perturbatis.

S. AMBROS. *in Psal.* XXXVI. *n.* 18. *super v.* 8... Desine ab ira, et relinque indignationem.... Ira gravis passio est, plerumque accendit invitum ; et volentem mitiùs vindicare in furorem rapit, ut perimat quem putaverit coërcendum. Commotus, gladio sæpè transverberat innocentem. Amicos et fratres per indignationem plurimi peremerunt. Ideò Sapiens dicit (*Prov.* XV. 2.) : Ira perdit etiam sapientes.... Natura te rapit, movet affectus, culpa te alicujus excitat, vel offensa, ut indigneris ; sed non usquequaque, ut modum nescias : Relinque eam, finem impone, ne te in peccatum trahat.... Ira enim gravis est magistra peccati.

S. AUG. *Serm.* 208. *in Quadragesimâ ii. aliàs de diversis* 72. *n.* 1... Sint ergo jejunia vestra sine litibus, clamoribus, cædibus : ut etiam qui sub jugo vestro sunt, remissionem cautam sentiant et benignam : ut aspera severitas refrenetur, non ut salubris disciplina solvatur.

N. 2. Quid jam dicam de illo opere misericordiæ, ubi nihil de apothecis, nihil de sacculo impenditur, sed ex corde dimittitur, quod magis si maneat, quàm si recedat, incipit esse damnosum ? Iram dico adversùs aliquem in corde servatam. Quid autem stultius, quàm inimicum forinsecùs devitare, et multò pejorem in præcordiis intimis retinere. Undè Apostolus dicit (*Ephes.* IV. 26. *et* 27.) : *Sol non occidat super iracundiam vestram.... Neque detis locum diabolo.* Tanquam hoc agat, qui non citò iram pellit ex animo, ut per illam velut per januam aditum præstet diabolo. Penitùs itaque agendum est, ut super iram non occidat iste sol ; ne deserat ipsam mentem justitiæ sol.

S. GREG. MAGN. *Lib.* 5. *Moral. in Job. c.* 30.... *Virum stultum interficit iracundia, et parvulum interfecit invidia....* Quanta sit iracundiæ culpa pensemus, per quam, dùm mansuetudo amittitur, supernæ imaginis similitudo vitiatur. Per iram sapientia perditur : ut quid, quove ordine agendum sit, omninò nesciatur, sicut scriptum est (*Eccle.* VII. 10.) : *Ira in sinu stulti requiescit* : quia nimirùm intelligentiæ lucem subtrahit, cùm mentem permovendo confundit. Per iram vita amittitur, et si sapientia teneri videatur, sicut scriptum est : Ira perdit etiam prudentes : quia scilicet confusus animus nequaquàm explet ; etiam si quid intelligere prudenter valet... Per iram justitia relinquitur, sicut scriptum est (*Jacob.* I. 20.) : *Ira viri justitiam Dei non operatur :* quia dùm perturbata mens judicium suæ rationis exasperat, omne, quod furor suggerit, rectum putat.

(F) TERTULL. *Lib. de Patientiâ, c.* 3. Christus cùm de Domino fit magister, docens hominem evadere ad salutem, scilicet veniam offensæ, patientiæ eruditus, non contendit, non reclamavit, nec quisquam in plateis vocem ejus audivit. Arundinem quassatam non fregit, linum fumigans non restinxit.... Non illi saltem civitati, quæ eum recipere noluerat, iratus est, cùm etiam discipuli tam contumelioso oppido cœlestes ignes repræsentari voluissent. Ingratos curavit, insidiatoribus cessit. Parum hoc, si non etiam proditorem suum secum habuit, nec constanter denotavit. Cùm verò traditur, cùm adducitur, ut pecus ad victimam ; sic enim non magis aperit os, quàm agnus sub tondentis potestate. Ille cui legiones Angelorum, si voluisset, uno dicto de cœlis affuissent, ne unius quidem discentis gladium ultorem probavit. Patientia Domini in Malcho vulnerata est. Itaque et gladii opera maledixit in posterum, et sanitatis restitutione ei, quem non ipse vexaverat, satisfecit per patientiam misericordiæ matrem. Taceo quod figitur, in hoc

enim venerat. Nunquid tamen subeundæ morti etiam contumeliis opus fuerat? Sed saginari voluptate patientiæ discessurus volebat. Despuitur, deridetur, fœdis vestitur, fœdioribus coronatur. Mira æquanimitatis fides. Qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. Hinc vel maximè Pharisæi, Dominum agnoscere debuistis, patientiam hujusmodi nemo hominum perpetraret. Talia tantaque documenta, quorum magnitudo penes nationes quidem detrectatio fidei est, penes nos verò ratio et structio, satis aperte non sermonibus modò in præcipiendo, sed etiam passionibus in sustinendo probant his, quibus credere datum est, patientiam Dei esse naturam, effectum et præstantiam ingenitæ cujusdam proprietatis.

Cap. 6. Fidem (Abrahæ) patientia probavit, cùm filium immolare jussus est, ad fidei non tentationem dixerim, sed typicam contestationem.... Meritò ergo benedictus, quia et fidelis: meritò fidelis, quia et patiens. Ita fides patientiâ illuminata, cùm in nationes seminaretur per semen Abrahæ quod est Christus, et gratiam legi superduceret, ampliandæ adimplendæque legi adjutricem suam patientiam præfecit, quòd ea sola ad justitiæ doctrinam retrò defuisset. Nam olim et oculum pro oculo, et dentem pro dente repetebant, et malum malo fenerabant. Nondùm enim patientia in terris, quia nec fides: scilicet interim impatientia occasionibus legis fruebatur.... Gratiam fidei patientia composuit, jam nec verbo quidem lacessere, nec Fatue quidem dicere sine judicii periculo licet. Prohibita ira restricti animi, compressa petulantia manûs, exemptum linguæ venenum, plus lex quàm amisit, invenit: dicente Christo (*Matth.* v. 44. *et* 45.): * *Diligite inimicos vestros; et maledicentibus benedicite: et orate pro persecutoribus vestris, ut sitis filii Patris vestri cœlestis.*

Cap. 8. Absit à servo Christi tale inquinamentum, ut patientia majoribus tentationibus præparata in frivolis excidat. Si manu quis tentaverit provocare, præstò est Dominica moncla, Verberanti te, inquit (*Matth.* v. 39.), in faciem, etiam alteram genam obverte. Fatigetur improbitas patientiâ tua... Plus improbum illum cædis sustinendo. Ab eo enim vapulabit, cujus gratiâ sustines. Si linguæ amaritudo maledicto sive convicio eruperit, respice dictum (*Matth.* v. 12.): Cùm vos maledixerint, gaudete. Dominus ipse maledictus in lege est, et tamen solus est benedictus. Igitur Dominum servi consequamur, et maledicamur patienter, ut benedicti esse possimus.

Cap. 10. Quem autem honorem litabimus Domino Deo, si nobis arbitrium defensionis arrogaverimus? Nos utres, vasa fictilia, servulis nostris assumentibus sibi de conservis ultionem, graviter offendimur: eosque qui nobis patientiam obtulerint suam, ut memores humilitatis, servitutis, jus Dominici honoris diligentes, non probamus modò, sed ampliorem quàm ipsi sibi præsumpsissent, satisfactionem facimus: id nobis in Domino tam justo ad æstimandum, tam potenti ad perficiendum periclitatur? Quid ergo credimus judicem illum, si non et ultorem? Hoc se nobis repromittit dicens: Vindictam mihi et ego vindicabo, id est patientiam mihi, et ego remunerabo.... Quid mihi cum ullione, cujus modum regere non possum per impatientiam doloris.

S. Cyprian. *De bono patientiæ, pag.* 146. *edit. Oxonii in fol. ann.* 1700. Diligite inimicos vestros, et orate pro eis qui vos persequuntur, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est: Qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.... Nec hoc.... Jesus Christus Deus et Dominus noster tantùm verbis docuit, sed implevit et factis „.... qui Judam potuit usque ad extremum longâ patientiâ sustinere, cibum cum inimico sumere, hostem domesticum scire, nec palàm ostendere, traditoris osculum non recusare. In Judæis tolerandis æquanimitas quanta, et quanta patientia? Incredulos ad fidem suadendo, flectere, obsequio ingratos fovere, contradicentibus respondere leniter superbos sustinere clementer, humiliter persequentibus cedere, Prophetarum interfectores et adversùm Deum semper rebelles, usque ad crucis et passionis horam, velle colligere. Sub ipsa autem passione et cruce, priusquam ad crudelitatem necis et effusionem sanguinis veniretur, quæ conviciorum probra patienter audita, quæ contumeliarum tolerata ludibria?.... In David verò, ex quo secundùm carnem Christi

nativitas oritur, quàm magna et mira et Christiana patientia, habuisse in manu sæpè ut Saül Regem persequentem se, et interficere concupiscentem posset occidere; et tamen subditum sibi, et traditum maluisse servare, nec rependisse inimico vicem, sed occisum adhuc insuper et vindicasse? Tot denique Prophetæ interfecti, tot martyres gloriosis mortibus honorati, qui omnes ad cœlestes coronas patientiæ laude venerunt. Neque enim potest accipi dolorum et passionum corona, nisi præcedat in dolore et passione patientia,... Patientia est, quæ nos Deo et commendat et servat: ipsa est, quæ iram temperat, quæ linguam frenat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit.... facit humiles in prosperis, in adversis fortes, contra injurias, et contumelias mites: docet delinquentibus citò ignoscere; si ipse delinquas, diù et multùm rogare.

S. BASILIUS *Homil.* 10. *de Ira.* Itaque iram ab initio ut mali originem compescamus, ac ex animo nostro totis viribus exstirpemus.... Ille maledixit, tu benedicas; verberavit, tu patere; expuit, nihilque te existimavit, tu cogita quemadmodùm ex terrà es, et in terram reverteris.... Si ergo stultus et indoctus appellaberis, reminiscere eorum, quæ à Judæis jactata sunt in veram sapientiam: Samaritanus es et dæmonium habes.... Quidnam est irà stultius? Si verò quietus et immobilis persistas, pudorem maledicenti magnum intulisti, cùm reipsâ prudentiam modestiamque ostenderis. Alapâ seu pugillo cæsus es? At elenim etiam Dominus. Exspuit aliquis in faciem? Eadem et Dominus est passus. Nec enim ab exspuentibus, aut cædentibus faciem avertit. Calumniam pateris? et Dominus. Tua laceratur vestis? et à Domino quoque vestis per vim extracta, et super eam missæ sortes. Nondùm condemnatus es, nondùm cruci affixus. Multa tibi toleranda ut ad ejus imitationem pervenias. Talia igitur et horum similia tibi succurrant, mentisque tuæ impetum ac iram compescant. Similes namque præparationes, et animi dispositiones, morsus cordis et impulsus facilè delebunt, et animi cogitationes in tranquillum statum deducent.

Vide eumdem Basilium suprà litt. (D) *hocce paragrapho.*

S. AMBROS. *Lib. officior. c.* 21. *n.* 90. Caveatur iracundia, aut si præcaveri non potest, cohibeatur; mala enim illex peccati indignatio est: quæ ita animum perturbat, ut rationi non relinquat locum. Primùm est igitur, si fieri potest, ut morum tranquillitas usu quodam, affectione, et proposito in naturam vertatur. Deindè quoniam ita plerumque motus infixus est naturæ, ac moribus, ut evelli atque evitari non queat: si prævideri potuerit, ratione reprimatur. Aut si priùs occupatus fuerit animus ab indignatione, quàm consilio prospici, ac provideri potuerit, ne occuparetur: meditare quomodò motum animi tui vincas, iracundiam temperes. Resiste iræ, si potes: cede, si non potes: Quia scriptum est (*Rom.* XII. 19.): *Date locum iræ.*

N. 91. Jacob fratri indignanti piè cessit, et Rebeccæ, id est patientiæ instructus consilio abesse maluit et peregrinans, quàm excitare fratris indignationem; et tunc redire, cùm fratrem mitigatum putaret.

N. 92. Ergo si prævenerit et præoccupaverit mentem tuam iracundia et ascenderit in te, non relinquas locum tuum. Locus tuus patientia est, locus tuus sedatio indignationis est.... Aut.... si non potueris mitigare mentem, reprime linguam tuam.... Deindè reconciliationis studium non prætermittas.

N. 93. Vitemus ergo, aut temperemus iracundiam... Non mediocre est mitigare iracundiam: non inferius quàm omninò non commoveri.... Et ipse Dominus, hoc est Dei virtus, sicut puer cùm malediceretur, non remaledixit, cùm percuteretur, non repercussit. Ita ergo te compara, ut quasi puer injuriam non teneas, malitiam non exerceas: omnia à te innocenter proficiscantur.... Noli respondere irato ad iracundiam ejus, sive imprudenti ad imprudentiam.

N. 96. *Irascimini, et nolite peccare....* Irascimini ergo ita ut à culpâ abstineatis.... vince ratione iracundiam.... Si irascimini, vobis irascimini, quia commoti estis, et non peccabitis.

S. GREG. MAGN. *Moral. in Job. Lib.* 5. *c.* 30. Mens sollicita antequam

§. 7. De Desidia, quam Acediam vocant.

I. Quid est desidia, seu acedia ?

R. Fastidium boni nobis à Deo præcepti, quo fit ut demissus animus non sese erigat ad illud implendum.

I. Quinam tenentur peccato desidiæ ?

R. 1. Qui suo non funguntur officio, secundùm statum ad quem à Deo vocati sunt ; qui nolunt doceri ea, quæ necessaria sunt ad salutem ; qui cum obstinatione detrectant ea munera, ad quæ vocantur à Deo. (A)

agere quodlibet incipiat, omnes sibi quas pati potest, contumelias proponat : quatenùs Redemptoris sui probra cogitans, ad adversa se præparet.... Solerter ergo animus ante actionis suæ primordia, cuncta debet adversa meditari, ut semper hæc cogitans, semper contra hæc thorace patientiæ munitus, et quidquid acciderit, providus superet, et quidquid non accesserit, lucrum putet. Secundus autem servandæ mansuetudinis modus est, ut cùm alienos excessus aspicimus, nostra, quibus in aliis excessimus, delicta cogitemus. Considerata quippe infirmitas propria, mala nobis excusat aliena. Patienter namque illatam injuriam tolerat, qui piè meminit, quòd fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari. Et erubescit peccata non parcere, qui vel Deo, vel proximo sæpè se recolit parcenda peccasse.

Pastoral. Curæ part. 3. *Admonit.* 17. Admonendi sunt iracundi, ut æmulationi quam se habere existimant, mansuetudinem subjungant. Idcircò namque Spiritus sanctus in columbâ et in igne monstratur : quia videlicet omnes quos implet et columbæ simplicitate mansuetos, et igne zeli ardentes exhibet. Nequaquam ergo sancto Spiritu plenus est, qui aut in tranquillitate mansuetudinis fervorem æmulationis deserit, aut rursùm in æmulationis ardore virtutem mansuetudinis amittit.

S. Aug. *Serm.* 49. *aliàs* 237. *c.* 6. *n.* 6. *et c.* 7. *n.* 7. *Vide suprà* §. 1. *hujusce Cap. litt.* (Q)

(A) Matth. xxv. 14. Homo peregrè proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua : 15. et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum, unicuique secundùm propriam virtutem, et profectus est statim. 16. Abiit autem, qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis et lucratus est alia quinque. 17. Similiter et qui duo acceperat, lucratus est alia duo. 18. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram et abscondit pecuniam Domini sui. 19. Post multum verò temporis venit Dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis. 20. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens : Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. 21. Ait illi Dominus ejus : Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. 22. Accessit autem et qui duo talenta acceperat, et ait : Domine duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum. 23. Ait illi Dominus ejus : Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. 24. Accedens autem et qui unum talentum acceperat, ait : Domine, scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti, et congregas ubi non sparsisti. 25. Et timens abii et abscondi talentum tuum in terra : ecce habes quod tuum est. 26. Respondens autem Dominus ejus, dixit ei : Serve male, et piger, sciebas quia meto ubi non semino, et congrego ubi non sparsi : 27. Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura. 28. Tollite itaque ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta. 29. Omni enim habenti dabitur, et abundabit : ei autem qui non habet, et quod videtur habere auferetur ab eo. 30. Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores : illic erit fletus, et stridor dentium.

Luc. xix. 12. Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti. 13. Vocatis autem decem servis suis, dedit

2. Qui oscitanter in otio vivunt. (B)

3. Qui tempus in inanibus colloquiis, ambulationibus, visitationibus, vel in ludis et voluptatibus, aliisque id genus nugis et ineptiis conterunt. (C)

cis decem mnas, et ait ad illos : Negotiamini dùm venio.... 15. Et factum est ut rediret, accepto regno : et jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret, quantum quisque negotiatus esset. 16. Venit autem primus dicens : Domine, mna tua decem mnas acquisivit. 17. Et ait illi : Euge bone serve, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates.... 20. Et alter venit, dicens : Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario : 21. Timui enim te, quia homo austerus es : tollis quod non posuisti, et metis quod non seminasti. 22. Dicit ei : De ore tuo te judico serve nequam, sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, et metens quod non seminavi : 23. Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam ? 24. Et adstantibus dixit : Auferte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet. 25. Et dixerunt ei : Domine, habet decem mnas. 26. Dico autem vobis quia omni habenti dabitur, et abundabit : ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferetur ab eo.

S. Ambros. *Lib.* 1. *de Caïn et Abel*, *c.* 4. *n.* 12. Non dormientibus, neque otiantibus, sed vigilantibus, et laborantibus pollicentur præmia, et labori merces parata est.

N. 14. Illa (voluptas) meretricio procax motu, infracto per delicias incessu, nutantibus oculis, et ludentibus jaculans palpebris retia, quibus pretiosas juvenum animas capit.... Quemcunque viderit dubio sensu prætereuntem in angulo transitûs domûs suæ sermonibus adoritur gratiosis, faciens juvenum corda volare.... (Voluptas secularis) ea profectò est, quæ validioribus vinculis velut cubile quoddam consociatæ nobis communitatis intexit, ut qui reclinaverit se, ligetur; et opprobriosæ fraudis velamine operit corporis sui stratum ; ad sollicitandos juvenum animos absentiam viri, hoc est, incuriam legis obtexens.... Spargit odores suos voluptas, quia Christi odorem non habet. Thesauros demonstrat,... sine pædagogo disciplinas, sine monitore sermones, vitam sine solliciludine, mollem somnum, inexplebilem cupiditatem... Illic comessantium tumultus.... concentus cœnantium, saltantium strepitus, ridentium cachinnus, lascivientium plausus, confusa omnia, nihil naturæ ordine.

S. Greg. Magn. *Part.* 1. *Pastor. c.* 6. *Vide suprà* §. 1. *hujusce Cap. litt.* (S) (B) Josue xviii, 3. Usquequò marcetis ignaviâ, et non intratis ad possidendam terram, quam Dominus Deus patrum vestrorum dedit vobis.

Proverb. xii. 11. Qui operatur terram suam, satiabitur panibus : qui autem sectatur otium, stultissimus est.

Ezechiel. xvi. 49. Hæc fuit iniquitas Sodomæ.... otium ipsius.

S. Bernard. *Serm.* 2. *in festo SS. Apostol. Petri et Pauli pag.* 990. *edit. D. Mabillon. n.* 1.... Fructus vitæ sunt verba Dei, non folia... ipsa quoque colligite fragmenta, ne pereant. Terra enim, quæ sæpiùs supervenientem susceperit imbrem, et non fecerit fructum, terra reproba est, proxima maledicto. Sic et ea, quæ in Evangelio sterilis ficulnea legitur, si posteaquàm foderit circa eam vineæ cultor, atque miserit stercora, nihilominùs sterilis inventa fuerit : nonne jam securis ad radicem illius arboris est ponenda ?

Serm. 5. *de Ascensione Domini*, *pag.* 923. *edit. D. Mabil. n.* 7. Invenire est homines pusillanimes, et remissos, deficientes sub onere, virgâ et calcaribus indigentes, quorum remissa lætitia, pusillanimis tristitia est : quorum brevis et rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio : quorum obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione ; quos denique vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frenat ratio, vix disciplina coërcet. Nonnè tibi horum vita inferno penitùs appropinquare videtur.... Exsurgamus obsecro, quicunque hujusmodi sumus, resarciamus animas, spiritum recolligamus, abjicientes perniciosam tepiditatem.

(C) Matth. vii. 19. Omnis arbor, qui non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.

4. Qui negligunt ea, quæ Dei sunt et quæ ad salutem consequendam omnino sunt necessaria ; verbi gratiâ, qui segnes sunt ad orationem, aliaque, ad quæ tenentur ex officio. (D)

5. Qui pœnitentiam suam procrastinant; qui non laborant jugiter ad vitia sua exstirpanda ; qui non conantur novos in dies profectus facere, et *crescere*, ut ait Apostolus (2. *Petr.* III. 18.), *in gratiâ et cognitione Domini nostri Jesu Christi.* (E)

XII. 36. Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.

Apostolus scribens ad TIMOTH. *Epist.* 1. *cap.* V. 13. *adolescentiores viduas reprehendit, quæ* otiosæ discunt circuire domos : non solùm autem, *inquit*, otiosæ, sed et verbosæ, et curiosæ, loquentes quæ non oportet.

S. BERNARD. *De Consider. Lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 22. Etsi rectè sapiens hortatur sapientiam scribi in otio, cavendum et in otio otium est. Fugienda proindè otiositas, mater nugarum, noverca virtutum. Inter seculares nugæ, nugæ sunt; in ore Sacerdotis, blasphemiæ. Interdùm tamen si incidant, ferendæ fortassis, referendæ nunquam. Magis interveniendum cautè et prudenter nugacitati.... Verbum scurrile, quod faceti urbanive nomine colorant, non sufficit peregrinari ab ore : procul et ab aure relegandum. Fœdè ad cachinnos moveris, fœdiùs moves. Porrò detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facilè dixerim.

(D) S. BERNARD. *In Cant. Serm.* 75. *n.* 1. Non est reversus sponsus ad vocem et votum revocantis. Quare ? Ut desiderium crescat, ut probetur affectus, ut exerceatur amoris negotium. Sanè ergo dissimulatio est, non indignatio. Sed superest ut quæratur, si fortè reperiatur quæsitus, qui vocatus non venit, dicente Domino (*Matth.* VII. 8.) : *Omnis qui quærit, invenit....* Neque vicis unius, aut unius noctis quæsitio hæc, et hæc frustratio, cùm dicat ista (*Cant.* III. 1.), *quem quæsivi per noctes.* Quid hoc desiderii est et ardoris, ut surgens de nocte publicum non erubescat, percurrat civitatem, percunctetur palàm et passim de dilecto, atque à vestigandis semitis ejus nullà valeat ratione averti, nullà præpediri difficultate, non tempestivæ retineri amore quietis ?

N. 3. Verùm is sponsus, quid est, quod non invenitur quæsitus, cùm requiratur tam studiosè et impigrè, nunc quidem in lectulo, nunc verò in civitate, aut etiam in plateis vel vicis ; ipse autem dicat (*Matth.* VII. 7. 8.) : *Quærite, et invenietis ; et qui quærit, invenit* ?..... Sed attendite tres esse causas, quæ interim occurrunt, et quærentes frustrari solent : cùm aut videlicet non in tempore quærunt, aut non sicut oportet, aut non ubi oportet. Si enim omne tempus aptum est ad quærendum, cur ergo dicit Prophela (*Isai.* LV. 6.)..... *Quærite Dominum, dum inveniri potest* ? Erit absque dubio, cùm inveniri non poterit ; et ideò addit, Ut invocetur, dum propè est : quia futurum est jam, non propè futurum.

N. 4. Cæterùm nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis sunt ; tempus planè et quærendi, et invocandi, quando plerumque et antequam invocetur, adesse sentitur. Audi denique quid polliceatur. * *Antequam me invocetis*, inquit (*Isaï.* LXV. 24.), *dicam, ecce adsum....* Quod si per bona opera quæritur Deus, ergo dùm tempus habemus, operemur bonum ad omnes : præsertim quia Dominus apertè prænuntiat venire noctem, quando nemo potest operari.

(E) S. AUG. *Serm.* 169. *aliàs* 15. *de verbis Apostoli, c.* 15. *n.* 18.... * *Quæ retrò oblitus, in ea, quæ ante sunt extentus, secundùm intentionem sequor.* (*Philip.* III. 13.) Adhuc proficio... nondùm perveni... Ergo si te extendis... si ea, quæ ventura sunt, cogitas ; obliviscere præterita, non in ea respicere, ne ibi remaneas, ubi respexeris. Mementote uxoris Lot. *Quotquot ergo perfecti hoc sapiamus* (*Ibid.* 15.)..... Ego me non arbitror apprehendisse.... perfecti viatores, nondùm perfecti possessores.... In quo pervenimus, non in eo remaneamus, sed in eo ambulemus... Quid est ambulare ? Breviter dico Proficere ; ne fortè non intelligatis, et pigrius ambuletis. Proficite,... discutite vos semper sine dolo, sine adulatione,

sine palpatione... Semper tibi displiceat quod es, si vis pervenire ad id, quod nondùm es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris: Sufficit: et peristi. Semper adde, semper ambula, semper profice: noli in viâ remanere, noli retrò redire, noli deviare.

S. BERNARD. *Epist.* 254. *ad Guarinum. n.* 1. Cùm consummatus fuerit homo tunc incipit. Jam seni requies, jam corona debebatur emerito: et ecce tanquam novus in Christo miles, nova iterùm tibi excitas bella, provocas adversarium.... pietatis ac disciplinæ bonis studiosiùs invigilas solito... artubusque fatiscentibus, durat tamen incolumis propositi vigor, nec sentit rugosæ carnis infirma spiritus promptus... Ut quid enim meluat veterani domicilii ruinas, qui fabricam spiritualem videt in dies in sublime consurgere, proficere in æternitatem.

N. 2. Sed dicet aliquis :.... Perfectus non habet quo proficiat: et qui proficit, eo ipso quo proficit, perfectus non esse convincitur.... Vera virtus finem nescit, tempore non clauditur.... Nunquam justus arbitratur se comprehendisse: nunquam dicit satis est; sed semper esurit, sititque justitiam: ita ut si semper viveret, semper justitior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur.

N. 3.... Indefessum proficiendi studium, et jugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur.

N. 4. Quòd si studere perfectioni, esse perfectum est; profectò nolle proficere, deficere est. Ubi ergo sunt, qui dicere solent: Sufficit nobis, nolumus esse meliores quàm nostri?.... Non vis proficere? Non. Vis ergo deficere? Nequaquàm. Quid ergo? Sic mihi, inquit, vivere volo, et manere in quo perveni: nec pejor fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non potest. Quid enim stat in hoc seculo?.... Ipse denique hominis seculique auctor, quandiù in terris visus est, et cum hominibus conversatus est, nunquam stetit. Et quidem, teste Scripturâ, (*Act.* x. 38.) *Pertransiit benefaciendo et sanando omnes.* Pertransiit autem non infructuosè, non remissè, non pigrè, non lento gressu, sed *exsultavit ut gigas ad currendam viam....* (*Ps.* XVIII. 6.) Porrò currentem non apprehendit, qui et ipse pariter non currit. Et quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? Ideò Paulus aiebat (1. *Cor.* IX. 24.): *Sic currite, ut comprehendatis.* Ibi tu, Christiane, fige tui cursûs, profectûsque metam, ubi Christus posuit suam. *Factus est*, inquit (*Philip.* II. 8.), *obediens usque ad mortem.* Quantumlibet ergo cucurreris, si usque ad mortem non perveneris, bravium non apprehendis. Bravium Christus est: quod si, illo currente, tu gradum sistis; non Christo appropias, sed te magis elongas: timendumque tibi est, quod ait David (*Ps.* LXXII. 27.): *Ecce qui elongant se à te, Domine, peribunt.* Itaque si proficere, currere est: ubi proficere, ibi et currere desinis: ubi verò non currere, ibi et deficere incipis. Hinc planè colligitur, quia nolle proficere, non nisi deficere est.

N. 5.... Semper in robusto et vegeto corpore animus mollior, atque tepidior jacet; et rursùm in corpore debili et infirmo fortior viget, promptiorque spiritus.

Epist. 384. *Ad Monachos S. Bertini. aliàs* 341. *n.* 1. Discipulus proficiens, gloria magistri. Quisquis in schola Christi non proficit, ejus indignus est magisterio.... et non proficere, sine dubio deficere est. Nemo proindè dicat: Satis est, sic volo manere, sufficit mihi esse sicut heri et nudiustertius. In via residet, qui ejusmodi est: in scala subsistit ubi neminem Patriarcha vidit non ascendentem, aut descendentem. Dico ergo: *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* (1. *Cor.* X. 12.) Ardua et angusta est via, et non hic, sed in domo Patris mansiones sunt multæ. Itaque *Qui se dicit in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare.* (1. *Joan.* II. 6.) Jesus enim (ut ait Evangelista) (*Luc.* II. 52.) *crescebat et proficiebat sapientiâ et ætate et gratiâ apud Deum et homines.* Ille non restitit ergo, sed *exsultavit ut gigas ad currendam viam* (*Ps.* XVIII. 6.): et nos quoque, si non desipimus, curremus post eum, trahemur in odorem unguentorum ipsius. Alioqui si elongari contigerit, erit pigritanti animæ et laboriosior et periculosior via, dum nec odore recreari, nec certa possit agnoscere vestigia longiùs abeuntis.

N. 2. Sic ergo currite, fratres, ut comprehendatis. Quod sanè ita fiet,

I. Quinam sunt desidiæ fontes ?

R. Concupiscentia carnis , concupiscentia oculorum , et superbia vitæ : ideò enim homines desidiæ se dedunt , quia nolunt sibi suisque cupiditatibus vim facere.

I. Quænam sunt desidiæ filiæ ?

R. Sex numerantur à S. Gregorio Magno. (*Moral. lib.* 31. *c.* 17.)

1. Malitia , quâ fit ut impugnentur bona spiritualia , quorum in detestationem inducit acedia.

2. Rancor seu indignatio adversùs eos , qui ad Deum impellunt.

3. Pusillanimitas seu abjectio mentis , quâ fit , ut præcepta negligantur quasi nimis ardua.

4. Desperatio , quâ quis omnem salutis suæ curam abjicit præ nimia diffidentia ; salutis assecutionem judicans impossibilem.

5. Torpor seu remissio quædam animi circa præceptorum observationem ; ita ut vel omittantur penitùs , vel negligenter impleantur.

6. Evagatio mentis , quâ fit ut anima , præ tædio rerum spiritualium , sese transferat ad exteriora , ut iis delectetur.

His addi potest cujuscunque laboris fuga , somnus nimius , crapula , odium veritatis , cordis obduratio , aliaque id genus. (F)

I. Quale peccatum est acedia ?

R. Lethale peccatum est , si gravis sit et charitatem exstinguat. *Servum inutilem projicite in tenebras exteriores* , inquit Christus. (*Matth.* XXV. 30.) (G)

si nequaquàm arbitraminì vos comprehendisse , *sed obliti quæ retrò sunt , extenditis vos in anteriora* (*Philip.* III. 13.) : si apprehendatis disciplinam *nequando irascatur Dominus , et pereatis de via justa.* (*Ps.* II. 12.) *Qui edit me* (ait sapientia *Eccli.* XXIV. 29.) *adhuc esuriet ; et qui bibit me , adhuc sitiet* : ut noverit piger , qui dignè prorsùs lapidatur stercoribus boum , fastidium sibi , non de salietate , sed de inedia generari.

(F) CASSIAN. *de Cœnobiorum institutis , lib.* 10. *c.* 2. (*Acedia dæmon*) cùm miserabilem obsederit mentem , honorem loci , fastidium cellæ , fratrum quoque aspernationem gignit , atque contemptum. Ad omne quoque opus , quod intra septa sui cubilis est , facit desidem et inertem. Non eum in cella residere , nec operam sinit impendere lectioni ,.... ab omni se dolet spiritali quæstu inanem , in locoque vacuum consistere.... absentia longeque posita magnificat monasteria ; .... depingit è contra universa , quæ habentur in manibus aspera.... Postremò non posse se salvari putat in eo loco durantem ,.... Deindè lassitudinem corporis cibique esuriem (prætendit).... Tum prætereà huc illucque anxius circumspectat , et nec fratrem sibi quempiam advenlare suspirat , sæpiusque egreditur et ingreditur cellam... omnique actu spiritali redditur otiosus , ac vacuus.

Cap. 4. Hujus ægritudinis universa incommoda uno versiculo beatus David eleganter expressit (*Ps.* CXVIII. 28.) , *Dormitavit* , inquiens , *anima mea præ tædio* , id est , præ acedià. Propriè satis non corpus dixit , sed animam dormitasse. Verè enim ab omni contemplatione virtutum et intuitu spiritualium sensuum dormitat anima , quæ perturbationis hujus telo fuerit sauciata.

(G) PROV. VI. 6. Vade ad formicam ô piger , et considera vias ejus , et *disce sapientiam* : 7. Quæ cùm non habeat ducem , nec præceptorem ,

Veniale peccatum est, si sit levis, nec charitatem exstinguat.

I. Quid facto opus est, ut fugiatur acedia?

R. Diligenter investigandum et sedulâ meditatione perscrutandum quid Deus exigat ab omnibus omninò Christianis, quid ab aliis aliter, habitâ ratione statûs et conditionis, affectûs et indolis: et ubi isthæc omnia comperta sint, omni opere ac studio enitendum ut hæc sedulò et fideliter impleantur. Quod, ut perfectiùs intelligas, adverte, præter ea, quæ Deus ab omnibus omninò Christianis exigit, præter ea, quæ uniuscujusque statûs et conditionis propria sunt, esse et sua singulis officia. Verbi gratiâ, aliud Deus exigit ab

nec principem, 8. parat in æstate cibum sibi, et congregat in messe quod comedat. 9. Usquequò piger dormies? Quandò consurges è somno tuo? 10. Paululùm dormies, paululùm dormitabis, paululùm conseres manus, ut dormias: 11. Et veniet tibi quasi viator egestas, et pauperies quasi vir armatus. Si verò impiger fueris, veniet ut fons messis tua, et egestas longè fugiet à te.

XX. 4. Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, et non dabitur illi.... 13. Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat: aperi oculos tuos, et saturare panibus.

XXI. 5.... Omnis piger semper in egestate est.... 25. Desideria occidunt pigrum, noluerunt enim quidquam operari manus ejus. 26. Totâ die concupiscit, et desiderat.

XXII. 13. Dicit piger: Leo est foris, in medio platearum occidendus sum... 29... Vidisti hominem velocem in opere suo, coram Regibus stabit, nec erit ante ignobiles.

XXIV. 30. Per agrum hominis pigri transivi... Et ecce totum repleverant urticæ, et operuerant superficiem ejus spinæ, et maceria lapidum destructa erat.... 33. Parùm.... dormies, modicùm dormitabis, pauxillùm manus conseres, ut quiescas. 34. Et veniet tibi quasi cursor egestas, et mendicitas quasi vir armatus.

XXVI. 13. Dixit piger: Leo est in viâ, et leæna in itineribus. 14. Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo. 15. Abscondit piger manum sub ascella sua, et laborat si ad os suum eam converterit. 16. Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias.

ECCLI. XXII. 1. In lapide luteo lapidatus est piger, et omnes loquentur super aspernationem illius. 2. De stercore boum lapidatus est piger, et omnis qui tetigit eum, excutiet manus.

XXXIII. 28. Servo malevolo tortura et compedes, mitte illum in operationem, ne vacet: 29. Multam enim malitiam docuit otiositas.

MATTH. XIII. 24. Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. 25. Cùm autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit.

XXV. 3. Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus et stridor dentium.

S. BASIL. *In c.* 1. *Isaï pag.* 849. *edit. Paris. in fol. ann.* 1618. *tom.* 1. *pag.* 841. *mihi pag.* 656. Inter ea quoque, quæ odio prosequitur Dominus, unum hoc est segne et iners otium, nimirùm cessatio ab his, quæ nos ex officio attinet facere. Quomodò enim non odio persequendum otium, quod formicâ et api pejorem efficit hominem, qui utique initio suæ conditionis positus in paradiso est, ut operaretur et custodiret eum? Primum igitur et maximè proprium humanæ conditionis studium est, ut operetur, ita ut iners otium sit propemodùm præter hominum naturam, id quod se asserit Dominus odisse. Cæterùm quonam genere otii nos feriari vult? Nimirùm, ut ne operemur cibum qui perit, ne ad ullam vanitatem sustollamus oculos, ne inanes fabellas et ramusculos excipiamus auribus.

Homil. 8. *in Hexaëmeron in fine, pag.* 110. *tom.* 1. *edit. in fol. anni* 1618. Otium Dei metu si careat, præceptor vitiorum iis est, qui tempore sibi indulto non norunt uti.

6.

homine peccatore, aliud ab homine ejusdem conditionis, qui non indiget gravi pœnitentiâ; aliud ab homine fervido, aliud à frigidiori; aliud ab ægro, aliud à vegeto; aliud in adversis, aliud in prosperis. Atque ita variantur officia pro varietate indolis, statûs et affectionis singulorum. Ut quisque affectus est, ut quisque se habet erga cæteros, ut fert conditio, ut fert occasio, ita Deo servire quisque debet. Ergo diligenter investigandum quid Deus velit, quid ab omnibus, quid à singulis exigat; nec minori diligentiâ id omne faciendum. Peccat per acediam quisquis isthæc vel nosse, vel perficere parum curat. (H)

I. Quænam sunt acediæ remedia?

R. Oratio, labor continuus et indefessus, pœnitentia, carnis maceratio, lectio piorum librorum.

I. Quænam sunt, quæ ad fugiendam acediam maximè conducunt?

R. Jugis meditatio mortis et æternitatis, aliarumque rerum, quæ ad salutis negotium procurandum solent homines efficaciùs movere.

Atque hæc quidem meditatio, ad cætera omnia peccata fugienda maximè conducit. (I)

(H) *Legenda est* S. GREG. MAGN. *Pastor. Pars* 3. *à c.* 2. *ad* 42. *Hujus excerpta aliquot vide inferiùs Part.* 3. *Sect.* 1. *Cap.* 7. §. 11. *In eo opere non solùm de generalibus Christianorum officiis agit, sed cujuscunque statûs, conditionis, personæ officia edocet sanctus Doctor.*

(I) ECCLE. IX. 10. Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.

ECCLI. VII. 40. In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.

XIV. 12. Memor esto quoniam mors non tardat, et testamentum inferorum quia demonstratum est tibi.... 17. Ante obitum tuum operare justitiam: quoniam non est apud inferos invenire cibum.

JOAN. IX. 4. Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.

XII. 35. Ambulate, dùm lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant: et qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat.

2. COR. IV. 17. Id enim, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

GALAT. VI. 9. Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus, non deficientes. 10. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.

S. BASIL. *In* 1. *cap. Isaï. p.* 8. *mihi p.* 659. *Exquirite judicium.* Christi videlicet, secundùm quod de nobis fert sententiam, singulis quibusque nostrùm pro meritorum qualitate rependens mercedem: quod quidem nisi observemus, nisi præ oculis habeamus: ne possimus quidem persistere in ullo opere bono. Attenta enim cogitatio arcanorum nobisque formidabilium, quæ in tremendo judicio se offerent, pædagogus est ad exercendam pietatem.

SECTIO SECUNDA.

De Virtutibus.

CAPUT PRIMUM.

De Virtutibus in genere.

Int. Disc. QUID facto opus est, ut abstineamus nos à peccatis ?

R. Omni studio et operâ amplectendæ virtutes ; qui enim virtute caruerit, hunc peccatorem esse necesse est.

I. Quid est virtus ?

R. Virtus est donum Dei, quo quis ad cognoscenda et implenda officia vitæ Christianæ et facilitatem habet et propensionem.

Donum, inquam, *Dei* ; hæc enim facilitas et propensio à Deo est. Hanc nemo potest propriis viribus acquirere. (A)

Aliter definitur virtus à S. Thomâ. (1. 2. *q.* 55. *art.* 4.) *Bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, quâ nullus malè utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.*

Definitur à S. Augustino. (*L.* 83. *Quæst. qu.* 31.) *Animi habitus bonum faciens habentem, et opus ejus bonum reddens.*

Et alibi (*L. de morib. Eccles. Cath. c.* 6.) : *Habitus naturæ modo atque rationi consentaneus, qui animam facit optimam.*

Eodem ferè recidunt omnes illæ definitiones.

I. Quotuplex virtus ?

R. Solemnis et omnibus nota ea divisio est, quâ virtutes, aliæ dicuntur Theologicæ, Morales aliæ.

Theologicæ, sic dictæ à voce Græcâ *Theologos*, eæ sunt, quæ ad Deum immediatè referuntur ; quæ non nisi divinâ revelatione cognoscuntur ; quarum tractatus ad eam doctrinæ partem propriè pertinet, quæ Theologia dicitur.

Morales eæ sunt, quæ non ad Deum immediatè, sed ad mores rectè componendos primò et directè referuntur.

I. Quot sunt virtutes Theologicæ ?

R. Tres sunt. Nimirùm Fides, Spes, et Charitas. (B)

I. Cur ais virtutes Theologicas referri immediatè ad Deum ?

R. Id de singulis per se patet. Per Fidem enim in Deum credimus ; per Spem in Deum speramus ; per Charitatem

(A) SAPIENT. VIII. 21. Et ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum : adii Dominum, et deprecatus sum illum.

JACOB. I. 17. Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum.

(B) 1. COR. XIII. 13. Nunc autem manent, Fides, Spes, Charitas : tria hæc ; major autem horum est Charitas.

Deum diligimus. Est ergo Deus, ut cum Theologis loquar, objectum proprium et primarium et immediatum virtutum Theologicarum.

I. Quot sunt virtutes Morales ?

R. Plurimæ sunt. Sed omnes reducuntur ad quatuor principales, quæ *Cardinales* dicuntur; quia sunt veluti cardines et fundamenta cæterarum : videlicet ad Prudentiam, Temperantiam, Fortitudinem, et Justitiam.

I. Cur ais virtutes Cardinales, cæterasque virtutes morales non referri immediatè ad Deum?

R. Quia referuntur immediatè ad componendos mores ; qui quidem sunt posteà ad Deum referendi. Deus enim est finis ultimus, ad quem oportet omnia referri, quæ ad mores pertinent. Nec omninò puri mores sunt, nisi ad Deum eorum sanctitas referatur.

I. Quænam virtutes à virtutibus Cardinalibus prodeunt ?

R. Id dicemus infrà (*Hujus Sect. Cap.* 5. §. 2.) ubi de virtutibus Cardinalibus sermo erit.

CAPUT SECUNDUM.

De Virtutibus in specie : ac primò de Fide.

§. 1. Quid sit Fides.

I. Quid est fides ?

R. Fides est lumen supernaturale à Deo mentibus nostris infusum, quo in Deum firmiter credimus, iisque omnibus planè assentimur, quæ Deus revelavit, etiamsi illa captum nostrum superent.

Dico fidem *lumen* esse, quia per eam mens nostra irradiatur et cognoscit quæ à Deo revelata sunt.

Per hoc lumen *firmiter*, hoc est, sine dubitatione, cum assensu pleno, certissimè,

Credimus in Deum, hoc est, credimus Deum existere, ipsique omninò confidimus ;

Iisque assentimur, quæ Deus revelavit, hoc est, quæ Deus nobis manifestavit, significavit,

Etiamsi illa captum nostrum superent. Nam inter ea, quæ à Deo revelata sunt, alia intelligentiâ consequimur, alia ingenii nostri aciem superant : utraque per fidem credimus. Intelligimus, verbi gratiâ, cœlum et terram fuisse à Deo condita : non planè intelligimus quî fieri possit, ut Deus unus in tribus personis subsistat : utrumque fide certâ credimus, quia Deus utrumque revelavit.

I. Quodnam est fidei nostræ fundamentum?

R. Verbum Dei solum. Neque enim aliud fide Theologicâ credimus, quàm quod Deus dixit et revelavit.

I. Cur revelanti Deo credimus ?

R. Quia Deus nec sapientissimus falli, nec optimus fallere potest. (A)

I. Quomodò cognoscimus quæ sunt à Deo revelata ?

R. Per ministerium Ecclesiæ Christi, cui Deus credidit verbi sui depositum. (B)

I. Undè sumit Ecclesia verbi Dei depositum ?

R. Ex Scripturâ sacrâ et Traditione. Quidquid enim Deus revelavit hominibus, quidquid Ecclesia proponit de fide credendum, totum id Scripturâ vel Traditione continetur.

I. Scripturæ sacræ nomine quid intelligis ?

R. Intelligo verbum Dei scriptum in iis libris, quos canonicos dicimus.

I. Quid intelligis Traditionis nomine ?

R. Intelligo verbum Dei non scriptum in libris canonicis, sed ab Apostolis ad nos usque continuâ successione, ore transmissum et veluti per manus traditum.

§. 2. De Auctoritate Ecclesiæ in rebus Fidei.

I. Cur dixisti verbi Dei depositum (Scripturam nimirùm et Traditionem) Ecclesiæ fuisse à Christo commissum ?

R. Quia ad solam Ecclesiam Catholicam ex Christi instituto pertinet, 1. tum Scripturas, tum Traditiones veras et sinceras à falsis secernere : 2. Interpretari et significare quis sit sensus Scripturarum et Traditionis. (A)

(A) Hebr. vi. 18. Impossibile est mentiri Deum.

(B) 1. Tim. iii. 15. Ecclesia Dei vivi columna et firmamentum veritatis.

S. Greg. Nazianz. *Orat.* 3. *quæ est adversùs Julianum prior invectiva*, *pag.* 101. *tom.* 1. *edit. Paris. Morelli ann.* 1609. Nam cùm doctrinam nostram, dogmatibus quidem, et cœlestibus testimoniis magnam et excelsam esse perspiceret, eamdemque veterem simul et novam, (veterem inquam, quantùm ad prædictiones, ac sublucentia deitatis sensa, novam autem ratione posterioris Dei adventûs, ac miraculorum eorum, quæ tum ex eâ, tum circa eam designata sunt : cæterùm majorem et insigniorem ob Ecclesiæ formas nobis traditas, atque in hunc usque diem conservatas :) ut ne hoc quidem ipsius (Juliani) malignam versutiam effugeret.

S. Aug. *contra Epist. Manichæi, quam vocant Fundamenti*, *c.* 4. *n.* 5. *Vide suprà Part.* 1. *Sect.* 2. *Cap.* 3. §. 5. *litt.* (F)

Cap. 5. *n.* 6. Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.

Lib. de Mendacio, *cap.* 20. *n.* 41. Amaret enim perfectam fidem, non solùm benè credendi ea, quæ SIBI EXCELLENTI ET FIDE DIGNA AUCTORITATE DICERENTUR, sed etiam fideliter enuntiandi quæ ipse dicenda judicaret, ac diceret.

(A) Conc. Toletan. I. *ann.* 400. *c.* 12. Si quis dixerit, vel crediderit alias Scripturas, præter quas Ecclesia catholica recipit, in auctoritate habendas, vel esse venerandas, Anathema sit.

S. Aug. *Lib.* 13. *contra Faustum c.* 4. An Faustus Apostolos nostros pro se testes vocabit ? Non opinor homines producet, sed libros aperiet : quos non pro se, sed contra se apertos reperiet. Quòd si eos infalsatos dixerit, ipse testium suorum fidem oppugnabit. Si autem alios, quos dicat Apostolorum nostrorum, codices protulerit, quomodò eis ipse auctoritatem dabit, quam per Ecclesias Christi ab ipsis Apostolis constitutas non accepit, ut indè ad posteros firmatâ commendatione transcurreret ?

Cap. 5.... Nostrorum porrò librorum auctoritas, tot gentium consensione per successiones Apostolorum, Episcoporum, Conciliorum roborata, vobis (Manichæis) adversa est : vestrorum autem nulla est, quia

Id patet ex eo, quod superiùs primâ hujus Operis Parte probavimus, Ecclesiam esse falli nesciam, esse (1. *Tim.* III. 15.) *columnam et firmamentum veritatis*, esse omninò audiendam, et consulendam in omnibus, quæ ad fidem et religionem pertinent. Idque ex Christi instituto. (B)

et à tam paucis profertur, et ab iis qui Deum et Christum mendacem colunt.

Lib. 28. *c.* 2. Dices illam narrationem non esse Matthæi, quam Matthæi esse dicit universa Ecclesia; ab Apostolicis sedibus usque ad præsentes Episcopos certâ successione perducta.... Istum librum credite esse Matthæi, quem ex illo tempore, quo Matthæus ipse in carne vixit, non interruptâ serie temporum, Ecclesia certâ connexionis successione usque ad tempora ista perduxit.... Sed alium fortè proferes librum, qui nomen habeat alicujus Apostoli, quem à Christo constat electum, et ibi Christum natum ex Maria non esse lecturus es. Cùm ergo necesse sit alterum horum librorum esse mendacem, cui non potiùs censes fidem accommodare debere? Eine quem illa Ecclesia ab ipso Christo inchoata et per Apostolos provecta certâ successionum serie usque ad hæc tempora, toto terrarum orbe dilatata, ab initio traditum et conservatum agnoscit, atque approbat, an ei quem eadem Ecclesia incognitum reprobat?

Cap. 4. Si enim prolatæ fuerint aliquæ litteræ, quæ, nullo alio narrante, ipsius propriè Christi esse dicantur:... quia et illæ litteræ si proferrentur, utique considerandum erat à quibus proferrentur. Si ab ipso, illis primùs sine dubio proferri potuerunt, qui tunc eidem cohærebant, et per illos etiam ad alios pervenire. Quod si factum esset, per illas, quas commemoravi, præpositorum et populorum successiones confirmatissimâ auctoritate clarescerent. Quis est ergo tam demens, qui hodiè credat esse epistolam Christi, quam protulerit Manichæus, et non credat facta vel dicta esse Christi, quæ scripsit Matthæus? Aut si etiam de Matthæo utrum ipse ista scripserit dubitat, de ipso quoque Matthæo non potiùs id credat, quod invenit in Ecclesia, quæ ab ipsius Matthæi temporibus usque ad hoc tempus certâ successionum serie declaratur; et credat nescio cui ex transverso de Perside?... Cùm ipse Apostolus Paulus post ascensionem Domini de cœlo vocatus, si non inveniret in carne Apostolos, quibus communicando et cum quibus conferendo Evangelium, ejusdem societatis esse appareret, Ecclesia illi omninò non crederet? Sed cùm cognovisset eum hoc annuntiantem, quod etiam illi annuntiabant, et in eorum communione atque unitate viventem,.... ita eum Domino commendante, meruit auctoritatem, ut verba illius hodiè sic audiantur in Ecclesia, tanquam in illo Christus,.... locutus audiatur. Et putat Manichæus credi sibi debere ab Ecclesiâ Christi, loquenti contra Scripturas tantâ et tam ordinatâ auctoritate firmatas: per quas ei præcipuè commendatum est, ut quisquis illi annuntiaverit, præterquam quod accepit, anathema sit.

Contra Epistolam Manichæi, quam vocant Fundamenti, c. 4. *n.* 5. *Vide* 3. *superior. litt.* (B)

Lib. de utilitate credendi, cap. 17. *n.* 35. Cùm igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani ab Apostolicâ sede per successiones Episcoporum, frustrà Hæreticis circumlatrantibus, et partim plebis ipsius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arroganliæ. Nam si nulla certa ad sapientiam salutemque animis via est, nisi cùm eos rationi præcolit fides: quid est aliud ingratum esse opi atque auxilio divino, quàm tanto labore (*potius* robore) prædictæ auctoritati velle resistere? Et si unaquæque disciplina, quanquam vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistratum requirit; quid temerariæ superbiæ plenius, QUAM DIVINORUM SACRAMENTORUM LIBROS, ET AB INTERPRETIBUS SUIS NOLLE COGNOSCERE, ET INCOGNITOS VELLE DAMNARE?

(B) MATTH. XVI. 18.... Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo

I. Quid ergo sentiendum de iis, qui existimant unicuique jus et facultatem inesse interpretandi et cognoscendi, seclusâ auctoritate Ecclesiæ, quis sit legitimus Scripturarum sensus?

R. Errant omninò qui sic opinantur.

Primò enim hâc perversâ opinione patet aditus ad omne genus erroris et fraudis et licentiæ. Neque enim fuit unquam ullus Hæreticus, qui Scripturam sacram, privatâ suâ interpretatione, ad suos sensus, ad sua commenta accommodatam non protulerit in medium. (C)

Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. XVIII. 17. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus. XXVIII. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.

LUC. X. 16. Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.

1. TIMOTH. III. 15. Ecclesia Dei vivi columna et firmamentum veritatis.

S. AUG. *contra Cresconium, c.* 33. *n.* 39. *l.* 1. Scripturarum à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas, ut quoniam sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit, hujus obscuritate quæstionis eamdem Ecclesiam de illâ consulat, quam sine ullâ ambiguitate sancta Scriptura demonstrat.

(C) S. HILARIUS *Lib.* 2. *ad Constantium*, *n.* 9. Memento neminem Hæreticorum esse, qui se nunc non secundùm Scripturas prædicare ea, quibus blasphemat, mentiatur.... Omnes Scripturas, sine Scripturæ sensu loquuntur, et fidem, sine fide prætendunt. Scripturæ enim non in legendo sunt, sed in intelligendo; neque in prævaricatione sunt, sed in charitate.

N. 11. Hæc ego in Spiritu sancto ita credidi, ut ultra hanc de Domino Jesu Christo fidem non possim doceri; non per hanc adimens patrum fidei religionem, sed secundùm regenerationis meæ symbolum, et doctrinæ Evangelicæ scientiam, ab eâ juxta ista non dissonans.

S. AUG. *Lib.* 1. *de Trinit. c.* 3. *n.* 6. Nec ipsis sanctis divinorum librorum auctoritatibus ullo modo quisquam recte tribuerit, tam multos et varios errores Hæreticorum; cùm omnes ex eisdem Scripturis falsas, atque fallaces opiniones suas conentur defendere?

VINCENTIUS LIRINENSIS *Commonitorio* 1. *c.* 1. Sæpè igitur magno studio et summâ attentione perquirens à quamplurimis sanctitate et doctrinâ præstantibus viris quonammodò possim certâ quâdam et quasi generali ac regulari viâ Catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ pravitatis falsitate discernere, hujusmodi semper responsum ab omnibus ferè retuli. Quod sive ego, sive quis vellet exsurgentium Hæreticorum fraudes deprehendere, laqueosque vitare, et in fide sanâ sanus, atque integer permanere, duplici modo munire fidem suam, Domino adjuvante, deberet: primùm scilicet divinæ legis auctoritate, tùm deindè Ecclesiæ Catholicæ Traditione.

Cap. 2. Hic forsitan requirat aliquis; Cùm sit perfectus Scripturarum canon, sibique ad omnia satis superque sufficiat, quid opus est ut ei Ecclesiasticæ intelligentiæ jungatur auctoritas? Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sui altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter alius atque alius interpretatur, ut penè quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur. Aliter namque illam Novatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arius, Eunomius, Macedonius, aliter Photinus, Apollinaris, Priscillianus, aliter Jovinianus, Pelagius, Celestius, aliter postremò Nestorius. Atqui idcircò multum necesse est propter tantos tàm varii erroris anfractus, ut Propheticæ et Apostolicæ interpretationis linea secundùm Ecclesiastici et Catholici sensûs normam dirigatur.

Cap. 38. Si divinis eloquiis diabolus et discipuli ejus utantur.... Ecclesiæ filii quonammodo in Scripturis sanctis veritatem à falsitate discernent. Hoc facere magnoperè curabunt, quod sanctos et doctos viros tra-

Deindè qui sic opinantur, ii adversantur sacræ Scripturæ, et rationi. Scripturæ quidem : *omnis* enim *Prophetia Scripturæ* (verba sunt Petri Apostoli) (*Ep.* 2. *c.* I. 20.) *propriâ interpretatione non fit.* Et certè licitum nunquam fuit singulis Judæis Scripturas sacras pro suo more interpretari : sed in rebus obscuris ad Sacerdotes ire tenebantur. *Labia* (namque) *Sacerdotis custodient scientiam*, inquit Malachias, (*Cap.* II. 7.) *et legem requirent ex ore ejus* ; *quia Angelus Domini exercituum est.*

Nec minùs adversantur rationi, qui sic sentiunt. Est enim à ratione prorsùs alienum id pro certo statuere, quod ad praxim revocari nullatenùs possit. At ejusmodi est, quod illi statuunt de privatâ Scripturarum interpretatione. Quomodo enim interpretabuntur Scripturas homines imperiti et rudes, ad fidem vocati non secùs ac docti (D), et quidem pars maxima Ecclesiæ ; quomodo, inquam, Scripturas

didisse nobis scripsimus, ut divinum canonem, secundùm universalis Ecclesiæ traditiones, et juxta Catholici dogmatis regulas interpretentur : in quâ item Catholicæ Apostolicæque Ecclesiæ sequantur necesse est universitatem, antiquitatem, consensionem.... Præferant portionis corruptioni, universitatis integritatem : inque eâdem universitate novitatis profanitati, antiquitatis religionem : itemque in istâ vetustate unius sive paucissimorum temeritati, primùm omnium generalia, si qua sunt, universalis Concilii decreta præponant.... Tunc deindè si id minus est, sequantur quod proximum est, multorum atque magnorum consentientes sibi sententias magistrorum.

S. Bernard. *in vigil. Nativ. Dom. Serm.* 3. *n.* 1. Ecclesia.... quæ secum habet consilium et spiritum sponsi et Dei sui.... nimirùm ipsa est quæ... in ipsam abyssum secretorum Dei oculum contemplationis immersit... Cùm ergo ipsa in Scripturis divinis verba vel alterat, vel alternat, fortior est illa compositio, quàm positio prima verborum : et fortassis tantò fortior, quantùm distat inter figuram et veritatem, inter lucem et umbram, inter dominam et ancillam.

Concil. Trident. *Sess.* 4. (Sancta Synodus) ad coërcenda petulantia ingenia, decernit ut nemo suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei et morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore edendæ forent.

(D) Matth. xi. 25. In illo tempore respondens Jesus dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. 26. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.

Rom. I. 14. Græcis et Barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum.

1. Cor. I. 26. Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes, secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles : 27. Sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes : et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia : 28. Et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret : 29. Ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. 30. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio.

Ephes. iv. 14. Ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.

interpretabuntur, qui nec legere sciunt, nec callent linguam vel Hebræam vel Græcam, quibus sacer textus primitùs constat.

I. Etiamsi rudes nesciant Græcè vel Hebraïcè loqui, nihil vetat eos ex vernaculis Scripturarum translationibus intelligere, quis sit legitimus Scripturarum sensus?

R. 1. Antequam de legitimo Scripturarum sensu ex versionibus vernaculis judicent, discernendum illis est priùs, quænam Scripturæ Canonicæ sint, quænam apocryphæ: Quis autem sanæ mentis non videt hanc discretionem ab imperitis fieri non posse.

2. Esto certi sint de librorum auctoritate: Quomodo certi esse poterunt de translationum fide? Ab hominibus errori obnoxiis factæ sunt illæ versiones: Quomodo intelligent imperiti, num reipsâ interpretes erraverint? Arguuntur quotidiè et damnantur Scripturarum multæ versiones, ut alienæ à genuino sacri textûs sensu, id maximè in Protestantium vel doctissimorum versionibus locum habere certum est. Tolle auctoritatem Ecclesiæ, quæ Christi promissione fulta, dat nobis sine ullâ erroris formidine et sacros fontes, et sinceram horum versionem, patebunt omnia dubiis.

3. Esto rudes et imperiti, seclusâ auctoritate Ecclesiæ, certi sint de fide versionum; non propterea legitimum Scripturarum sensum assequentur. Ad hoc necesse est testimonium cum testimonio, librum cum libro conferre, præcedentia cum subsequentibus connectere: quod quidem ab imperitis ne tentari quidem potest. *In Pauli Epistolis sicut et in cæteris scripturis*, inquit Petrus Apostolus (2. *Ep.* III. 15. 16.), *sunt difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.*

I. Fateor fieri non posse ut singuli Christiani, etiam rudes et imperiti, legitimum Scripturarum sensum propriis viribus assequantur. Sed si supremo Spiritûs sancti lumine illustrentur, si Deus unicuique sensum aperiat ad intelligendas Scripturas, nihil obstabit quominùs et ipsi Scripturas intelligant. At memini me audisse vel legisse uspiam, hanc esse Protestantium opinionem, quod velint adesse Spiritum sanctum singulis fidelibus Scripturas vel legentibus vel audientibus, ut ipsis legitimum harum sensum suggeret: Juxta id quod Christus promisit (*Joan.* XVI. 13.), *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Idque contendunt ex Apostolo (*Hebr.* VIII. 10. 11.) confirmari, dùm is refert hanc Jeremiæ Prophetiam: *Hoc est testamentum, quod disponam domui Israël post dies illos, dicit Dominus: Dando leges meas in mentem eorum, et in corde eorum superscribam eas: et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum: et non docebit unusquisque proximum suum et unusquisque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum; quoniam omnes scient me à minore*

usque ad majorem. Quibus verbis videtur non obscurè innui hanc esse Ecclesiæ prærogativam, ut omnes omninò Christiani superno Spiritûs sancti afflatu illustrentur, ut legem Dei, et proindè Scripturas et eorum genuinum sensum intelligant ?

R. Non is est eorum Scripturæ sacræ testimoniorum sensus. Prius enim, quod protulisti, ad Apostolos et ad corpus Ecclesiæ spectat : et si ad singulos fideles extendatur, sensus est à nemine haberi posse cognitionem omnis veritatis, nisi per Spiritum sanctum : neque enim omnem veritatem norunt omnes omninò Christiani, ut quotidianâ experientiâ per se patet.

Ad alterum testimonium ex Jeremiâ et ex Apostolo prolatum quod spectat, certum est quoque non eum esse illius sensum, quòd legem Dei et abstrusum Scripturarum sensum singuli Christiani sine magistro intellecturi sint. Is enim sensus et manifestâ experientiâ refellitur, et aliis Scripturæ locis non obscuris confutatur. *Fides*, inquit Apostolus (*Rom.* x. 17. *et* 14.), *ex auditu. Quomodò audient sine prædicante ?* Id unum ergo colligendum est ex hoc Jeremiæ testimonio ab Apostolo prolato, hanc esse novi testamenti prærogativam, quòd ita scribenda esset lex Dei in mentibus et cordibus hominum per Spiritum sanctum, ut legem hanc sine magno labore Christiani edocendi sint. Nimirum Deus ipse per gratiam suam singulorum mentibus et cordibus insinuat, quod ipsi à magistris docentur. Alioqui frustrà doceremus. Undè rectè ait, S. Prosper in carmine de ingratis :

Percurrat Apostolus orbem,
Prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, instet,
Quâque viam verbo reseratam invenerit, intret.
Ut tamen his studiis auditor promoveatur,
Non doctor, neque discipulus, sed gratia sola,
Efficit.

Et certè si sensus testimoniorum hujusmodi, qui non pauci in novo Testamento reperiuntur, is esset quòd singuli omninò Christiani superno Spiritûs sancti afflatu illuminandi essent, ad perspiciendum abstrusiorem Scripturarum sensum ; jam nullus esset modus sectarum undique exsurgentium commentis. Se divinitùs illustratum contendet Calvinus adversùs Lutherum, Lutherus adversùs Calvinum. Idem contendent Anabaptistæ, et quotquot feret orbis fanaticos : contendet, inquam, quivis fanaticus, sibi divinitùs infusum fuisse eum Scripturarum sensum, quo sua secta nititur. Sic patebunt omnia fabulis et erroribus et fallaciis. Non potest Spiritus sanctus, Spiritus utique veritatis, sibi ipsi contradicere. Non potest revelare Luthero Christum esse reipsâ præsentem in Eucharistiâ, et Zuvinglio Christum reipsâ abesse ab Eucharistiâ. Ex his collige, agnoscendam omninò esse hominibus auctoritatem supremam, quæ

erumpentes de religione quæstiones sine erroris formidine dirimat : alioqui patebunt omnia disputationibus ; nil nisi dubium occurret in rebus fidei ; nec impediri poterit quominùs omnes *simus parvuli fluctuantes , et circumferamur omni vento doctrinæ , in nequitiâ hominum , in astutiâ ad circumventionem erroris*, contra præceptum Apostoli. (*Eph.* IV. 14.)

Huic incommodo occurrit ineffabili suâ sapientiâ Deus opt. max. nam jussit (*Matth.* XVIII. 17.) Ecclesiam ab omnibus audiri et consuli : promisitque (*Id.* XXVIII. 20.) permansuram esse ad finem usque seculorum Ecclesiam , immaculatam utique et incorruptam ; nec futurum unquam , ut adversùs eam (*Id.* XVI. 18.) portæ inferi prævaleant. (E) Hæc omnia fusè et invictissimè probavimus Parte primâ hujus Operis. (*Sect.* 2. *Cap.* 3. §. 4.) (F)

§. 3. De Scripturâ sacrâ.

I. Quid est Scriptura sacra ?

R. Est verbum Dei scriptum in iis libris, quos Canonicos dicimus.

I. Cur Canonici appellantur libri Scripturarum ?

R. Canon vox Græca est , quæ *regulam* significat. Ideò ergo libros sacros canonicos dicimus. 1° Quòd regulam fidei nostræ contineant.

2. Quòd horum librorum series contineatur in pluribus Ecclesiæ canonibus. Sic regulas ab Ecclesia positas vocamus. (A)

(E) *Vide auctoritates Scripturæ , quas protulimus suprà litt.* (B) *hocce* §.

(F) *Qui doctrinam hocce paragrapho contentam penitùs scrutari voluerint , adeant libros sequentes : Collationem* D. D. BOSSUETI *Meldensium Episcopi cum* D. CLAUDIO de Ecclesia. *Ejusdem Epistolas duas ad populum suum* de Promissionibus Christi ad Ecclesiam : *Domini* NICOLE Justa legitimaque Ecclesiæ Catholicæ adversùs Calvinistas præjudicia : *Eminentissimorum Cardinalium* BELLARMINI , PERRONII , *et* RICHELII Controversiarum *Libros.* Epistolas Pastorales ARCHIEPISCOPORUM PARISIENSIS *et* ROTHOMAGENSIS *ad nuperos diœceseum suarum Catholicos.*

(A) CONCIL. LAODICENUM *sub Sylvestro I. Canone* 59. Quod non oportet privatos , et vulgares aliquos psalmos dici in Ecclesiâ , nec libros non canonicos , sed solos canonicos veteris et novi Testamenti.

Canone 60. Hæc sunt , quæ legi oportet ex veteri Testamento 1. Genesis. 2. Exodus , id est , Exitus ex Ægypto. 3. Leviticum. 4. Numeri. 5. Deuteronomium. 6. Jesus Nave. 7. Judices. Ruth. 8. Esther. 9. Regnorum primus et secundus. 10. Regnorum tertius et quartus. 11. Paralipomenon primus et secundus. 12. Esdræ primus et secundus. 13. Liber Psalmorum centum quinquaginta. 14. Proverbia Salomonis. 15. Ecclesiastes. 16. Cantica canticorum. 17. Job. 18. Duodecim Prophetæ. 19. Isaïas. 20. Jeremias et Baruch , Lamentationes et Epistolæ. 21. Ezechiel. 22. Daniel.

Novi autem Testamenti hæc. Evangelia quatuor, secundùm Matthæum , secundùm Marcum , secundùm Lucam , secundùm Joannem. Actus Apostolorum. Epistolæ Catholicæ septem ; videlicet Jacobi una ; Petri duæ ; Joannis tres ; Judæ una : Epistolæ Pauli quatuordecim ; ad Romanos una ; ad Corinthios duæ ; ad Galatas una ; ad Ephesios una ; ad Philippenses una ; ad Colossenses una ; ad Thessalonicenses duæ ; ad Hebræos una ; ad Timotheum duæ ; ad Titum una ; ad Philemonem una.

CONCIL. CARTHAGINENS. III. *Capitulo* 47. *ann.* 397. Item placuit , ut præter Scripturas canonicas , nihil in Ecclesiâ legatur , sub nomine divi-

narum Scripturarum. Sunt autem canonicæ Scripturæ, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Jesus Nave, Judicium, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Job, Psalterium Davidicum, Salomonis libri quinque, Libri duodecim Prophetarum, Isaïas, Jeremias, Ezechiel, Daniel, Tobias, Judith, Esther, Esdræ libri duo, Machabæorum libri duo : Novi autem Testamenti, Evangeliorum libri quatuor, Actuum Apostolorum liber unus, Pauli Apostoli Epistolæ tredecim, ejusdem ad Hebræos una : Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres, Judæ Apostoli una, et Jacobi una, Apocalypsis Joannis liber unus.

INNOCENT. I. *Epist.* 3. *ad Exuperium Episcop. Tolos. n.* 7. Qui verò libri recipiantur in canone sanctarum Scripturarum brevis annexus ostendit. Hæc sunt ergo, quæ desiderata moneri voce voluisti : Moysi libri quinque ; id est Genesis, Exodi, Levitici, Numeri, Deuteronomii : et Jesu Nave unus ; Judicum unus ; Regnorum libri quatuor simul et Ruth : Prophetarum libri sexdecim : Salomonis libri quinque ; Psalterium ; Historiarum Job liber unus ; Tobiæ unus ; Esther unus ; Judith unus ; Machabæorum duo ; Esdræ duo ; Paralipomenon duo : item Novi Testamenti, Evangeliorum libri quatuor ; Apostoli Pauli Epistolæ quatuordecim : Epistolæ Joannis tres ; Epistolæ Petri duæ ; Epistola Judæ : Epistola Jacobi ; Actus Apostolorum ; Apocalypsis Joannis. *Hanc reperire est apud* LABBÆUM *tom.* 2. *Concil. pag.* 1254.

CONCIL. ROM. I. *ann.* 494. *sub Gelasio I. Ordo librorum veteris Testamenti, quem sancta et Catholica Romana suscipit et veneratur Ecclesia, digestus à Gelasio Papa I. cum septuaginta Episcopis.*

Genesis liber unus. Exodi liber unus. Levitici liber unus. Numeri liber unus. Deuteronomii liber unus. Jesu Nave liber unus. Judicum liber unus. Regnorum libri quatuor. Paralipomenon libri duo. Psalmorum 150. liber unus. Salomonis libri tres : Proverbia, Ecclesiastes, et Cantica canticorum. Item Sapientiæ liber unus. Ecclesiasticus liber unus. Item ordo Prophetarum : Isaïæ liber unus. Jeremiæ liber unus. Cinoth, id est, de Lamentationibus suis. Ezechielis liber unus. Daniel liber unus. Osee liber unus. Amos liber unus. Michææ liber unus. Joël liber unus. Abdiæ liber unus. Jonæ liber unus. Nahum liber unus. Habacuc liber unus. Sophoniæ liber unus. Aggæi liber unus. Zachariæ liber unus. Malachiæ liber unus. Item ordo Historiarum. Job liber unus. *Ab aliis omissus*, Tobiæ liber unus. Esdræ liber unus. Esther liber unus. Judith liber unus. Machabæorum liber unus.

Item ordo Scripturarum novi et æterni Testamenti.

Evangeliorum libri quatuor. Secundùm Matthæum liber unus. Secundùm Marcum liber unus. Secundùm Lucam liber unus. Secundùm Joannem liber unus. Actuum Apostolorum liber unus. Epistolæ Pauli Apostoli numero quatuordecim. Ad Romanos Epistola una. Ad Corinthios Epistolæ duæ. Ad Galatas Epistola una. Ad Thessalonicenses Epistolæ duæ. Ad Ephesios Epistola una. Ad Philippenses Epistola una. Ad Colossenses Epistola una. Ad Timotheum Epistolæ duæ. Ad Titum Epistola una. Ad Philemonem Epistola una. Ad Hebræos Epistola una. Item Apocalypsis Joannis liber unus. Item Canonicæ Epistolæ numero septem ; Jacobi Apostoli Epistola una. Petri Apostoli Epistolæ duæ. Joannis Apostoli Epistolæ tres. Judæ Zelotis Apostoli Epistola una.

Decretum EUGENII Papæ IV. *pro Jacobitis seu Armenis in Conc. Florentino, anno* 1441. *pag.* 1206. *tom.* 13. *Concil. Labbæi.* (Sacrosancta Romana Ecclesia) unum atque eumdem Deum veteris, et novi Testamenti, hoc est, Legis et Prophetarum, atque Evangelii profitetur auctorem ; quoniam eodem Spiritu sancto inspirante, utriusque Testamenti sancti locuti sunt, quorum libros suscipit, et veneratur, qui titulis sequentibus continentur. Quinque Moysis, id est, Genesi, Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio ; Josue ; Judicum ; Ruth ; quatuor Regum ; duobus Paralipomenon ; Esdrâ ; Nehemiâ ; Tobiâ ; Judith ; Esther ; Job ; Psalmis David : Parabolis : Ecclesiaste : Canticis canticorum : Sapientiâ ; Ecclesiastico : Isaiâ ; Jeremiâ ; Baruch ; Ezechiele ; Daniele ; duodecim Prophetis minoribus ; id est, Oseâ, Joële, Amos, Abdiâ, Jonâ, Michæâ, Nahum, Habacuc, Sophoniâ, Aggæo, Zachariâ, Malachiâ ; duobus Ma-

I. Quinam sunt libri Canonici ?

R. Sunt libri Canonici veteris testamenti, sunt novi testamenti libri Canonici. Illi ante Christi ortum scripti sunt: hi post Christi resurrectionem. (B)

chabæorum; quatuor Evangeliis, Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis; quatuordecim Epistolis Pauli: ad Romanos; duabus ad Corinthios; ad Galatas; ad Ephesios; ad Philippenses; ad Colossenses: duabus ad Thessalonicenses; duabus ad Timotheum: ad Titum; ad Philemonem, ad Hebræos; Petri duabus; tribus Joannis; una Jacobi; una Judæ; Actibus Apostolorum, et Apocalypsis Joannis.

Concil. Tridentinum, *Sect.* 4. 8. *April. ann.* 1546. Sacro-sancta, œcumenica et generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata.... hoc sibi perpetuò ante oculos proponens, ut sublatis erroribus, puritas ipsa Evangelii in Ecclesiâ conservetur: quod promissum antè per Prophetas in Scripturis sanctis Dominus noster Jesus Christus Dei filius proprio ore primùm promulgavit, deindè per suos Apostolos, tanquam fontem omnis salutaris veritatis, et morum disciplinæ, omni creaturæ prædicari jussit: perspiciensque hanc veritatem et disciplinam contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quæ ex ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt, Orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris quàm novi Testamenti, cùm utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus à Christo, vel à Spiritu sancto dictatas, et continuâ successione in Ecclesiâ Catholicâ conservatas, pari pietatis affectu ac reverentiâ suscipit, ac veneratur. Sacrorum verò librorum indicem huic Decreto adscribendum censuit; ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsâ Synodo suscipiuntur. Sunt verò infrà scripti. Testamenti veteris quinque libri Mosis, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Josue; Judicum: Ruth; quatuor Regum; duo Paralipomenon; Esdræ primus et secundus, qui dicitur Nehemias; Tobias; Judith; Esther; Job: Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum; Parabolæ; Ecclesiastes: Canticum canticorum: Sapientia; Ecclesiasticus; Isaïas: Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, scilicet, Osee, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias; duo Machabæorum primus et secundus: Testamenti novi, quatuor Evangelia, secundùm Matthæum, Marcum, Lucam et Joannem; Actus Apostolorum à Lucâ Evangelistâ conscripti: quatuordecim Epistolæ Beati Pauli Apostoli, scilicet ad Romanos; duæ ad Corinthios; ad Galatas; ad Ephesios; ad Philippenses; ad Colossenses: duæ ad Thessalonicenses; duæ ad Timotheum; ad Titum; ad Philemonem; ad Hebræos: Petri Apostoli duæ; Joannis Apostoli tres; Jacobi Apostoli una; Judæ Apostoli una; et Apocalypsis Joannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesiâ Catholicâ legi consueverunt, et in veteri vulgata Latinâ editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones prædictas sciens et prudens contempserit, Anathema sit.

(B) S. Athanas. *Orat. contra gentes*, *n.* 1. Sufficiunt quidem per se tum sacræ et divinitùs inspiratæ Scripturæ ad veritatis indicationem, tum plurimi de eadem re libri à sanctissimis Magistris conscripti; quos si quis evolvat, intelliget aliquo modo Scripturarum mentem, et forlassè eam quam cupit, cognitionem adipiscetur. Cæterùm quia eas lucubrationes ad manum non habemus, necessum est, ut quæ ab illis didicerimus, tibi scripto proferamus.

S. Aug. *de Doctrina Christiana*, *lib.* 2. *c.* 8. *n.* 12. Erit igitur divinarum Scripturarum solertissimus indagator, qui primò totas legerit, notasque habuerit, et si nondùm intellectu, jam tamen lectione, duntaxat eas, quæ appellantur Canonicæ... In canonicis autem Scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurium auctoritatem sequatur, inter quas sanè illæ

sint, quæ Apostolicas sedes habere, et Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis canonicis, ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt: in eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures gravioresque accipiunt, eis quas pauciores minorisque auctoritatis Ecclesiæ tenent.

N. 13. Totus autem Canon Scripturarum, in quo istam considerationem versandam dicimus, his libris continetur: Quinque Moyseos, id est, Genesi, Exodo, Levitico, Numeris, Deuteronomio: et uno libro Jesu Nave; uno Judicum; uno libello qui appellatur Ruth, qui magis ad Regnorum principium videtur pertinere; deindè quatuor Regnorum, et duobus Paralipomenon, non consequentibus, sed quasi à latere adjunctis simulque pergentibus. Hæc est Historia, quæ sibimet annexa tempora continet, atque ordinem rerum: sunt aliæ tanquam ex diverso ordine, quæ neque huic ordini, neque inter se connectuntur, sicut est Job, et Tobias, et Esther, et Judith, et Machabæorum libri duo, Esdræ duo, qui magis subsequi videntur ordinatam illam historiam usque ad Regnorum vel Paralipomenon terminatam: Deindè Prophetæ, in quibus David unus liber Psalmorum; et Salomonis tres, Proverbiorum, Cantica canticorum, et Ecclesiastes. Nam illi duo libri, unus qui Sapientia et alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur: nam Jesus Sirachœos conscripsisse constantissimè perhibetur, (*Vota* Aug. *l.* 2. *Retract. c.* 4. *n.* 2.) In secundo sanè libro de auctore libri, quam plures vocant Sapientiam Salomonis, quòd etiam ipsum, sicut Ecclesiasticum, Jesus Sirach scripserit, non ita constare, sicut à me dictum est, posteà didici, et omninò probabilius comperi non esse hunc ejus libri auctorem) qui tamen quoniam in auctoritatem recipi meruerunt, inter Prophetico s numerandi sunt. Reliqui sunt eorum libri, qui propriè Prophetæ appellantur, duodecim Prophetarum libri singuli, qui connexi sibimet, quoniam nunquam sejuncti sunt, pro uno habentur; Quorum Prophetarum nomina hæc sunt, Osee, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias: Deinde quatuor Prophetæ sunt majorum voluminum, Isaïas, Jeremias, Daniel, Ezechiel. His quadraginta quatuor libris Testamenti veteris terminatur auctoritas: Novi autem, quatuor libris Evangelii, secundùm Matthæum, secundùm Marcum, secundùm Lucam, secundùm Joannem: quatuordecim Epistolis Pauli Apostoli, ad Romanos, ad Corinthios duabus; ad Galatas: ad Ephesios; ad Philippenses; ad Thessalonicenses duabus: ad Colossenses; ad Timothæum duabus; ad Titum; ad Philemonem, ad Hebræos: Petri duabus; tribus Joannis: unâ Judæ, et unâ Jacobi: Actibus Apostorum libro uno; et Apocalypsi Joannis libro uno.

Cap. 9. *n.* 14. In his omnibus libris timentes Deum et pietate mansueti, quærunt voluntatem Dei. Cujus operis et laboris prima observatio est, ut diximus, nosse istos libros, et si nondùm ad intellectum, legendo tamen vel mandare memoriæ, vel omninò incognitos non habere. Deindè illa, quæ in eis apertè posita sunt, vel præcepta vivendi, vel regulæ credendi, solertiùs, diligentiùsque investiganda sunt: Quæ tantò quisque plura invenit, quantò est intelligentiæ capacior. In iis enim quæ apertè in Scripturis posita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresque vivendi, spem scilicet atque charitatem.. Tùm verò factâ quadam familiaritate cum ipsa lingua divinarum Scripturarum, in ea quæ obscura sunt aperienda et discutienda pergendum est, ut ad obscuriores locutiones illustrandas de manifestioribus sumantur exempla, et quædam certarum sententiarum testimonia dubitationem incertis auferant.

Lib. 11. *de Civit. Dei*, *c.* 3. Hic (Christus) priùs per Prophetas, deindè per seipsum, posteà per Apostolos, quantum satis esse judicavit, locutus, etiam Scripturam condidit, quæ Canonica nominatur, eminentissimæ auctoritatis, cui fidem habemus de his rebus, quas ignorare non expedit, nec per nosmetipsos nosse idonei sumus... Sicut ergo de visibilibus, quæ non vidimus, eis credimus qui viderunt, atque ita de cæteris quæ ad suum quemque sensum corporis pertinent: ita de his quæ animo ac

I. Quinam sunt veteris Testamenti libri Canonici ?

R. Ad quatuor capita commodè revocantur : ad primum pertinent libri Legales ; ad secundum libri Historici ; ad tertium libri Morales, vel laudibus Dei celebrandis scripti; ad quartum libri Prophetici.

Libri legales sunt quinque Moysi libri, quos uno Græco nomine Pentateuchum dicimus : iique sunt Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, et Deuteronomium.

Libri historici sunt Josue, Judices, Ruth, Regum libri quatuor, quorum priores duo dicuntur libri Samuëlis ; Paralipomenon qui et Chronicorum libri duo ; Esdræ libri duo, quorum posterior Nehemiæ liber dicitur; Tobias, Judith, Esther, Job, Machabæorum liber primus et alter. His addi possunt libri Genesis, Exodi et Numerorum, qui licèt maximà ex parte historias referant, tamen ad libros legales vulgò referuntur.

Psalterium Davidis centum quinquaginta Psalmos continens, quorum plerique Davidis sunt, Dei laudibus celebrandis præcipuè scriptum est. *Morales libri* sic dicti, quòd tradant præcipuè præcepta morum, sunt Parabolæ seu Proverbia Salomonis, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, et Ecclesiasticus. In his libris sicut et in Psalterio sic celebrantur Dei laudes et traduntur præcepta morum, ut et multa ad Prophetias, quædam ad historiam pertineant.

Libri Prophetarum continent Prophetarum seu majorum seu minorum scripta. Majores, sic dicti, quòd plus cæteris scripserint, quatuor sunt : nimirum Isaïas, Jeremias, cui

mente sentiuntur... hoc est, de invisibilibus, quæ à nostro sensu interiore remota sunt, iis nos oportet credere, qui hæc in illo incorporeo lumine disposita didicerunt, vel manentia contuentur.

Lib. 15. *c.* 23. *n.* 4. Omittamus igitur earum Scripturarum fabulas, quæ apocryphæ nuncupantur, eò quòd earum occulta origo non claruit Patribus, à quibus usque ad nos auctoritas veracium Scripturarum certissimâ et notissimâ successione pervenit. In his autem apocryphis, etsi invenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa nulla est canonica auctoritas. Scripsisse quidem nonnulla divina Enoch illum septimum ab Adam, negare non possumus, cùm hoc in Canonicâ Epistolâ (v. 14.) Judas Apostolus dicat. Sed non frustra non sunt in eô canone Scripturarum, qui servabatur in Templo Hebræi populi succedentium diligentiâ Sacerdotum, nisi quia ob antiquitatem suspectæ fidei judicata sunt, nec utrum hæc essent, quæ ille scripsisset, poterat inveniri, non talibus proferentibus, qui ea per seriem successionis reperirentur ritè servasse. Undè illa quæ sub ejus nomine proferuntur, et continent istas de Gigantibus fabulas, quòd non habuerint homines patres, rectè à prudentibus judicantur non ipsius esse credenda : sicut multa sub nominibus et aliorum Prophetarum, et recentiora sub nominibus Apostolorum ab Hæreticis proferuntur, quæ omnia nomine apocryphorum ab auctoritate canonica diligenti examinatione remota sunt.

Si pleniorem earum rerum, quæ auctoritatem Scripturæ sacræ spectant, notitiam habere cupis, lege Sixti Senensis *Bibliothecam sacram*, Serrarii *et* D. Elies du Pin *Prolegomena ad Scripturam sacram*, R. P. Frassen *Minorita Disquisitiones Biblicas*, R. P. Natalis Alexandri *Dominicani Dissertationem in Canonem 47. Concilii Carthaginensis tertii, quæ reperitur inter Dissertationes historiæ Ecclesiasticæ quarti sæculi, etc.*

et Baruch scriba illius adjungitur, Ezechiel, et Daniel. Minores, sic dicti, quod minùs scripserint, duodecim numerantur; Osee, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias.

I. Qui sunt Libri novi Testamenti.

R. Sacro-sancti Jesu Christi Evangelii scriptores quatuor, qui Evangelistæ nuncupantur : Matthæus, Marcus, Lucas, et Joannes. Acta Apostolorum auctore Lucâ. Apostolorum Epistolæ. Nimirùm Pauli quatuordecim, quarum hæc series. Ad Romanos una, ad Corinthios duæ, ad Galatas una, ad Ephesios una, ad Philippenses una, ad Colossenses una, ad Thessalonicenses duæ, ad Timotheum duæ, ad Titum una, ad Philemonem una, ad Hebræos una. Cæterorum Apostolorum Epistolæ septem, quæ Catholicæ nuncupantur, quia ad non speciales Ecclesias vel personas, ut Pauli Epistolæ, sed ad omnem Ecclesiam scriptæ sunt. Harum hic catalogus : Jacobi una, Petri duæ, Joannis Apostoli et Evangelistæ tres, Judæ una. Sequitur Apocalypsis seu revelatio Joannis.

I. Debentne Christiani legere Scripturam sacram ?

R. Lectio divinarum Scripturarum, maximè novi Testamenti, Psalmorum, et librorum moralium veteris Testamenti deberet esse castæ deliciæ et quotidiana exercitatio Christianorum, qui pietatem, non vanitatem aut curiositatem alere student. Id maximè probat et peroptat Ecclesia. (C)

(C) S. CHRYSOST. *Homil.* 2. *in Matth. c.* 1. Obsecro ut hæc, quæ (de Scripturis) seminata sunt, versetis. De tali enim studio, talique cura ingens quoddam animabus bonum ac salutare conquiritur. Nam et Deo placere possumus ista curando, et ab injuriosis obscœnisque sermonibus, et à conviciis munda ora servabimus, dum spiritualibus exercemur eloquiis, et dæmonibus terrori esse poterimus, linguam nostram talium armis muniendo verborum, et tunc majorem Dei gratiam valebimus promereri. Hinc enim et mentis vestræ et acumen augetur et lumen..... Non sum ego Monachus, uxorem habeo, et filios et curam domûs gero. Hoc est quod omnia quasi uuà quadam peste corrumpit, quoniam lectionem divinarum Scripturarum ad solos putatis Monachos pertinere, cùm multò magis vobis quàm illis sit necessaria. Qui enim versantur in publico et vulnera quotidiè accipiunt, magis indigent medicamine. Itaque multò est gravius atque deterius rem superfluam esse legem Dei putare, quàm illam omninò non legere... Non audis Paulum loquentem (1. *Cor.* x. 11.) : Quoniam ad correptionem nostram hæc omnia scripta sunt. Tu verò Evangelium etiam si illotis, ut aiunt, manibus contrectare daretur, ne attingere quidem cupias : tantum abest, ut penitùs penetrare judices operæ pretium : itaque fit ut sursum deorsum ferantur omnia. Quod si discere cupis quantus ex Scripturis divinis nascatur profectus, temetipsum diligenter examina : qualis quidem efficiaris cùm Psalmos audis ; qualis item cùm diabolicam cantilenam.. Itaque assiduè potentibus Spiritûs Dei carminibus egemus... Hoc est enim nutrimentum animæ, hoc ornamentum, hoc securitas : ut è regione, Dei non audire verbum, fames atque internecies. Dabo, inquit (*Amos* VIII. 11.), eis non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Dei. Quid igitur infelicius esse possit, quàm ut quod Deus loco pœnæ minatur, hoc tu jam sponte in caput tuum attrahens corroges malum, inferens animæ tuæ sævissimam famem, atque pestiferam, et omnium maximè debilem ac infirmam ipsam reddens ? Verbis enim et sanari illa solet, et corrumpi. Nam et sæpè in iram sermone succenditur, et ab ipso incendio alio rursùs

sermone restinguitur.... Si autem hoc facit sermo iste communis, responde, quare tu Scripturarum eloquia contemnas ? .... Ex Scripturis namque divinis sermo prolatus, ipso igne vehementiùs animam audientis accendit, atque in omnium illam præparat usum bonorum. Sic etiam Paulus Corinthios, quos inflatos esse aguoverat, ac tumentes, castigatione sermonis reddidit mitiores... et David post peccatum, quoniam sermonem audivit Dei (2. *Reg.* XII.), ad salutarem illam pœnitentiam convolavit... Et quid, ais, lucri est, quando quis audit, et non accedit ad implenda, quæ dicta sunt ? Non parvum est etiam ex ipso lucrum auditu. Nam qui audit, semetipsum damnabit et ingemiscet, et eò aliquando perveniet, ut studeat etiam implere quod didicit. Qui verò nec quàm peccavit intelligit, quandò à peccatis recedet ? quandò seipsum culpabit ? quandò etiam emendare conabitur ? Non igitur contemnamus Scripturas audire divinas, diabolicæ enim hoc est mentis, non permittentis nos aspicere thesaurum, ne divitias acquiramus. Propterea ille suadet, nihil omninò esse commodi divinas audire leges, ne quando ex auditu sequi etiam videat actionem. Deprehendentes itaque hanc illius artem malignam, undique nos muro muniamus, ut his circumstipati armis, et ipsi permaneamus invicti, et caput dejiciamus inimici.

Conc. 3. *de Lazaro.* Id semper hortor, et hortari non desinam, ut non hic tantùm attendatis iis quæ dicuntur, verùm etiam cùm domi fueritis, assiduè divinarum Scripturarum lectioni vacetis.... Ne quis enim mihi dixerit : Sunt frigida illa verba, multa insunt quæ contemni debeant : ego forensibus causis affixus sum, publica gero negotia, artificium exerceo, uxorem habeo, alo liberos, familiæ curam gero, mundanus homo sum, non est meum legere Scripturas, sed eorum qui mundo dixerunt vale, qui montium vertices occuparunt, qui vitam ejusmodi continenter agunt. Quid ais homo? Non est tui negotii Scripturas evolvere : quoniam innumeris curis distraheris ? Imò tuum magis est quàm illorum. Neque enim illi perindè Scripturarum egent præsidio, atque vos in mediis negotiorum undis jactati. Nam Monachi quidem a foro forensibusque negotiis liberi, quique in deserto fixere tuguriola, neque cum quoquam habent commercium, sed in illa quieta tranquillitate cum omni securitate philosophantur, ac velut in portu sedentes, rebus vehementer tutis fruuntur. Nos contrà velut in medio mari fluctuantes, innumerisque velimus, nolimus peccatis obstricti, semper opus habemus perpetuo, jugique Scripturarum solatio... Quia perpetuò stas in acie, quia frequentes accipis plagas, idcircò magis opus est remediis... Necesse est indesinenter à Scripturis armaturam sumere... Prohibeamus eminùs venientia diaboli spicula exstinguentes, depellentesque per assiduam Scripturarum lectionem. Neque enim fieri potest, non potest, inquam, fieri ut quisquam salutem assequatur, ni perpetuò versetur in lectione spiritali... Nobis artis instrumenta sunt Apostolorum ac Prophetarum libri, omnisque Scriptura divinitùs inspirata et utilis..... Per hos fabricamur animam nostram, depravatamque corrigimus, et inveteratam renovamus... Itaque ne negligamus nobis parare libros, ne circa vitalia vulnus accipiamus..... Nobis ipsis recondamus thesaurum librorum spiritualium..... Ubicunque fuerint libri spirituales, illinc omnis expellitur vis diabolica, multaque inhabitantibus accedit consolatio... Ex libris reddimur tutiores, firmioresque. Nam simul atque tetigit aliquis Evangelium, mox composuit suam ipsius mentem, et à rebus mundanis abduxit, idque ex ipso solo aspectu. Quòd si accesserit diligens lectio, non aliter quàm in sacris adytis rebus divinis initiata anima, sic repurgatur, meliorque redditur, Deo cum ipsa per illas Scripturas colloquente. Quid igitur, inquiunt, si non intelligamus ea quæ continentur libris ? Maximè quidem etiam si non intelligas illic recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur sanctimonia. Quanquam fieri non potest ut omnia ex æquo ignores : propterea siquidem Spiritùs gratia dispensavit illa temperavitque, quò publicani, piscatores, tabernaculorum opifices, pastores et Apostoli, idiotæ, illiterati, per hos libros salvi fierent, ne quis idiotarum ad hanc difficultatis confugere posset excusationem, ut omnibus facilia conspectu essent ea quæ dicuntur, ut et opifex, et famulus, et

vidua mulier, et omnium hominum indoctissimus ex auditâ lectione aliquid lucri, utilitatisque reportaret... Cui enim non sunt manifesta quæcunque in Evangelio scripta sunt ? Quis autem audiens beatos esse mites, beatos misericordes, beatos mundi corde, cæteraque hujusmodi, desiderabit præceptorem, ut aliquid eorum discat quæ dicuntur? Quin etiam signa, miracula, historiæ, nonne cuivis nota manifestaque sunt ? Prætextus iste est et causatio, pigritiæque velamentum. Non intelligis quæ insunt ? Quomodo possis aliquando intelligere, quæ ne leviter quidem inspicere velis ? Sume librum in manus, lege historiam omnem, et quæ nota sunt memoriâ tenens, ea quæ obscura sunt, parumque manifesta frequenter percurre. Quòd si non poteris assiduitate lectionis invenire quod dicitur, accede ad sapientiorem, vade ad Doctorem, communica cum his ea quæ scripta sunt, declara vehemens studium : et si viderit te Deus tantam animi promptitudinem adhibere, non despiciet tuam vigilantiam ac sollicitudinem. Verùm etiamsi nullus homo te docuerit quod quæris, ipse sine dubio reserabit..... Magna adversùs peccatum munitio est, Scripturarum lectio ; magnum præcipitium, profundum barathrum, Scripturarum ignoratio. Magna salutis perditio, nihil scire ex divinis legibus. Ea res et hæreses peperit, et vitam corruptam invexit. Nam fieri non potest, non potest, inquam, fieri, ut quis sine fructu discedat, qui assiduâ attentaque Scripturarum lectione fruatur.

Homil. 10. *in cap.* 1. *Joan. in Græco cod. est* 11. *initio, edit. Paris. Morelli in fol. an.* 1633. *Francisco Aretino interprete...* Quid igitur à vobis contendimus ? Ut unâ dierum in hebdomade, vel saltem sabbato, curæ vobis sit Evangelicas legere lectiones, quas ante has conciones in manibus habere, domi frequenter repetere, earum diligenter sensum disquirere, quid clarum, quid obscurum in his sit adnotare velitis, quid pugnare videatur, cùm non pugnet : ita omnibus penitùs examinatis, his vos concionibus quàm attentissimos exhibeatis. Hoc pacto non parùm utrisque nostrùm emolumenti provenerit.. Quod si qui sunt, qui negotia occupationesque, et publicarum rerum curas causantur : primùm in hoc non parùm errant, quòd in tot rebus versantur, et ita semper secularibus negotiis affixi sunt, ut ne minimum quidem in his, quæ maximè necessaria sunt, studium impendant. Deindè frivolam et nullius momenti excusationem afferunt, cùm accusari potiùs hac in parte eorum cum amicis possent consuetudines, et moræ in theatris et consessus, ut equorum certamina speculentur, in quibus sæpenumerò diem totum consumunt... Est et his oscitantibus inepta excusatio, librorum scilicet inopia. Et divitibus quidem ad hoc respondere ridiculum est. Verùm cùm multos pauperes hâc frequenter excusatione uti existimem, cum his parùm perjocari atque ita eos percunctari placet, nunquid omnia artis suæ habeant instrumenta, etsi inopiâ in his comparandis admodùm impediantur ?

Homil. proœm. in Epist. ad Romanos. Ita illum (Paulum) nonnulli ignorant, ut ne Epistolarum quidem numerum planè norint. Hoc verò non ignorantia facit ; sed quòd nolint hujus viri scripta assiduè in manibus habere. Neque enim nos quæ scimus, ab ingenii bonitate atque acumine scimus ; sed quòd illi nos viro impensè affecti, ab illius lectione nunquam discedimus... Quapropter si et vos quoque in animum induxeritis hujus lectioni studiosam ac diligentem operam navare, nihil sanè erit, quod aliud requirendum vobis sit. Verus enim est sermo Christi, cùm dicit (*Matth.* VII. 7.), *Quærite, et invenietis ; pulsate et aperietur.* Verùm quoniam plures ex iis qui huc convenêre, et liberorum educationem, et uxoris curam, gubernandæque domûs providentiam in sese receperunt, atque idcò non sustinent totos se labori isti addicere, saltem ad percipienda quæ alii collegerunt, excitamini, tantumque iis quæ dicuntur audiendis impendite diligentiæ, quantum colligendis pecuniis. Tametsi enim turpe sit non nisi tantum à vobis exigere, tamen contenti erimus, si vel tantum præstetis. Si quidem hinc infinita exorta sunt mala, ab ipsâ videlicet sacrarum Scriptionum ignoratione : hinc multa hæresecon lues pullulavit : hinc vitæ in multis neglectus... Quid ad divinarum Scripturarum radios oculos non intendunt, necessariò in multa

frequentes errata incurrunt, proindè ac si in tenebris periculosissimis ambularent.

Homil. 9. *in cap.* 3. *Epist. ad Colossenses init...* Verbum Christi habitet in vobis abundanter... Audite quicunque estis mundani et uxori præstis et liberis, quomodo vobis quoque maximè mandet legere Scripturas, et non leviter, nec temerè, sed magno studio et diligentiâ.. Non dicit (*Coloss.* III. 16.), Verbum Christi sit in vobis solummodo. Sed quid? *Inhabitet abundanter, et copiosè in omni sapientiâ docentes, et commonentes vosmetipsos..* Neque alium exspectes doctorem ac magistrum. Habes Dei eloquia. Nullus te docet sicut illa.... Parate vobis libros (sacros), medicamenta animæ. Si nullos alios vultis, novum quidem certè Testamentum vobis parate, Apostolorum Actus, Evangelia, magistros perpetuos. Si dolor acciderit, tanquam in medicamentorum apothecam aspice: illinc malì accipe consolationem; si damnum, si mors, si tuorum amissio. Immò verò non aspice solùm, sed omnia suscipe, et ea mente tene. Hoc est omnium malorum causa nescire Scripturas... *Docentes et commonentes vosmetipsos in Psalmis, hymnis et canticis spiritualibus.* Vide quàm non importunus et molestus sit Paulus. Quoniam lectio est laboriosa, et valdè molesta et gravis, non deduxit ad historias, sed ad Psalmos, ut simul et animum oblectes canens, et furtim subducas à laboribus... Doce puerum tuum canere Psalmos illos plenos Philosophiâ, utpote statim de moderatione et temperantiâ, immò verò ante omnia de consuetudine non habendâ cum malis, statim ab ipso initio libri.... De consuetudine habendâ cum bonis, et hæc et multa alia ibi invenies. De ventri imperando, de continendis manibus, de intemperantiâ. Quòd esse avarum, et plura habendi cupiditate teneri non oporteat. Quòd nihil sint pecuniæ, nec gloria, et quæ sunt hujusmodi. Quando ab ineunte ætate cum his eduxeris, paulatim duces etiam ad altiora. Psalmi habent omnia, hymni autem rursùs nihil humanum. Quando in Psalmis didicerit, tunc etiam sciet hymnos, utpote rem diviniorem. Superiores enim Potestates hymnum canunt, non psallunt. Non est enim, inquit (*Eccli.* XV. 9.), speciosus hymnus in ore peccatoris. Et rursùs (*Ps.* C. 6. *et* 7.) *Oculi mei super fideles terræ ut ipsi mecum sedeant.* Et rursùs: *Non habitat in medio domûs meæ qui facit superbiam.* Et rursùs: *Ambulans in viâ immaculatâ hic mihi ministrabat.* Adeò ut non solùm cum amicis, sed ne cum servis quidem se misceant, sed sibi caveant. Sunt enim mala innumerabilia liberis hominibus, quando servos corruptos eis præfecerimus... Dilexi, inquit, eos qui diligunt legem tuam, hoc ergo nos æmulemur, et hos diligamus. Ut temperantes sint: *Lumbi mei impleti sunt illusionibus* (*Ps.* XXXVII. 8.)... *Perdes omnes qui fornicantur abs te.* (*Ps.* LXXIII. 27.) Et quòd ventri oporteat imperare... Et occidit plures eorum, cùm esset *adhuc esca in ore ipsorum.* (*Ps.* LXXVII. 30.) Et quòd oporteat non vinci à muneribus: *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* (*Ps.* LXI. 11.) Et quòd gloriæ sit dominandum: *Neque cum eo descendet post ipsum gloria ejus.* (*Ps.* XLVIII. 18.) Quòd malignì non sint æmulandi: *Nolite æmulari in malignantibus.* (*Ps.* XXXVI. 1.) Quòd Principatus et Potestates nihil oporteat existimare: *Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani, et transivi, et ecce non erat.* (*Ibid.* 35. 36.) Quòd præsentia nihil sint facienda: *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt: beatus est populus, cujus est Deus adjutor.* (*Ps.* CXLIII. 15.) Quòd non impunè peccamus, sed est remuneratio: *Tu reddes unicuique secundùm opera sua.* (*Ps.* LXI. 13.) Cur autem non reddit quotidiè? *Deus judex justus et fortis et patiens.* (*Ps.* VII. 12.) Quòd bonum sit humilitas; *Domine*, inquit (*Ps.* CXXX. 1.), *non est exaltatum cor meum.* Quòd malum sit superbia: *Propterea*, inquit (*Ps.* LXXII. 6.), *tenuit eos superbia in finem.* (*Jacob.* IV. 6.) *Dominus superbis resistit.* (*Ps.* LXXII. 7.) *Egredietur tanquam ex adipe iniquitas eorum.* Quòd bonum sit eleemosyna: (*Ps.* CXI. 9.) *Dispersit dedit pauperibus: justitia ejus manet in seculum seculi.* Quod laudandum sit misereri: (*Ibid.* 5.) *Bonus est vir qui miseretur et commodat.* Et his longè plura illic invenies in philosophia dogmata: ut, quòd non sit maledicendum: *Detrahentem*, inquit (*Ps.* C. 5.), *clanculum proximo suo, hunc persequebar.* Quis sit hymnus supernorum sciunt fideles.

S. AUG. *Epist.* 137. *aliàs* 3. *ad Volusianum, c.* I. *n.* 3. Tanta est enim Chris-

Sed fatendum est in Christianis esse plurimos, quibus præ ignorantiâ crassiori, vel præ ingenii tarditate, Scripturarum lectio parum prodesset; alios quibus præ superbo et indocili ingenio noceret hæc lectio. Ægri nimiùm heu quibus vel ipsum ægritudinis remedium mortiferum est. (D)

tianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidiè proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere: non quòd ad ea quæ necessaria sunt saluti, tantà in eis perveniatur difficultate: sed cùm quisque ibi fidem tenuerit, sine quà rectè pièque non vivitur, tam multa, tamque multiplicibus ministeriorum umbraculis opacata, intelligenda proficientibus restant, tantaque non solùm in verbis, quibus ista dicta sunt, verùm etiam in rebus quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura habet (*Eccli.* XVIII. 6.), *Cùm consummaverit homo*, tunc incipit.

Cap. 5. *n.* 18. Modus autem ipse dicendi quo sancta Scriptura contexitur, quàm omnibus accessibilis, quamvis paucissimis penetrabilis. Ea quæ aperta continet, quasi amicus familiaris, sine fuco ad cor loquitur indoctorum atque doctorum. Ea verò quæ in mysteriis occultat, nec ipsa eloquio superbo erigit, quò non audeat accedere mens tardiuscula et inerudita, quasi pauper ad divitem; sed invitat omnes humili sermone, quos non solùm manifestà pascat, sed etiàm secretà exerceat veritate, hoc in promptis quod in reconditis habens. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursùs operta desiderantur, desiderata quodammodò renovantur, renovata suaviter intimantur. His salubriter et prava nutriuntur, et magna oblectantur ingenia. Ille huic doctrinæ inimicus est animus, qui vel errando eam nescit esse saluberrimam, vel odit ægrotando medicinam.

Lib. de vera Relig. cap. 51. *n.* 100. Omissis igitur et repudiatis nugis theatricis et poeticis, divinarum Scripturarum consideratione et tractatione pascamus animum, atque potemus vanæ curiositatis fame ac siti fessum et æstuantem, et inanibus phantasmatis tanquam pictis epulis, frustrà refici satiarique cupientem: hoc verè liberali, et ingenuo ludo salubriter erudiamur. Si nos miracula spectaculorum, et pulchritudo delectant, illam desideremus videre sapientiam, quæ pertendit à fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.

S. HIERON. *Epist.* 57. *aliàs* 7. *ad Lætam*, *tom.* IV. *part.* 2. *p.* 595. *nov. edit.* Pro gemmis et serico divinos codices amet (filia tua), in quibus non auri et pellis Babylonicæ vermiculata pictura; sed ad fidem placeat emendata et erudita distinctio. Discat primò Psalterium, his se canticis avocet; et in Proverbiis Salomonis erudiatur ad vitam. In Ecclesiaste consuescat, quæ mundi sunt calcare. In Job virtutis et patientiæ exempla sectetur. Ad Evangelia transeat, nunquam ea positura de manibus. Apostolorum Acta, et Epistolas, totà cordis imbibat voluntate. Cùmque pectoris sui cellarium his opibus locupletaverit, mandet memoriæ Prophetas, Heptateuchum, et Regum, et Paralipomenon libros, Ezræ quoque et Esther volumina. Ad ultimum sine periculo discat Canticum canticorum; ne si in exordio legerit, sub carnalibus verbis, spiritualium nuptiarum epithalamium non intelligens, vulneretur....

THEOPHILUS ALEXAND. *Lib. Paschal.* 2. *versùs initium*, *tom.* IV. *S. Hier. nov. edit. pag.* 706. Quotidianâ lectione sanctarum Scripturarum quisque infundat oleum sensui suo, et paret mentis lucernam, quæ juxta præceptum Evangelii (*Matth.* V. 15.) *luceat omnibus*, *qui in domo sunt.*

Lege etiam Patris VERON Præmium tertium *in Versionem Novi Testamenti.* D. ELIES DU PIN Prolegomena *ad Scripturam sacram. Et* DD. ARCHIEPISC. ROTHOMAGENSIS Litteram *ad nuperos Catholicos datam* 5. *Julii* 1699. *etc.*

(D) S. AUG. *Lib.* 3. *Confess. c.* 5. *n.* 9. Itaque institui animum intendere in Scripturas sanctas, ut viderem quales essent. Et ecce video rem non compertam superbis, neque nudatam pueris, sed incessu humilem,

successu excelsam et velatam mysteriis.... Tumor meus refugiebat modum ejus ; et acies mea non penetrabat interiora ejus. Verumtamen illa erat, quæ cresceret cum parvulis ; sed ego dedignabar esse parvulus, et turgidus fastu mihi grandis videbar.

Lib. 6. *Confess. c.* 5. *n.* 8. Ideoque cùm essemus infirmi ad inveniendam liquidâ ratione veritatem, et ob hoc nobis opus esset auctoritate sanctarum litterarum, jam credere cœperam nullo modo te fuisse tributurum tam excellentem illi Scripturæ per omnes jam terras auctoritatem, nisi et per ipsam tibi credi, et per ipsam te quæri voluisses... eoque mihi illa venerabilior et sacro-sanctâ fide dignior apparebat auctoritas, quò et omnibus ad legendum esset in promptu, et secreti sui dignitatem in intellectu profundiore servaret, verbis apertissimis et humillimo genere loquendi se cunctis præbens, et exercens intentionem eorum, qui non sunt leves corde : ut exciperet omnes populari sinu.

Tract. 18. *in Joan. n.* 1. Neque enim natæ sunt hæreses et quædam dogmata perversitatis illaqueantia animas et in profundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè ; et quod in eis non benè intelligitur, etiam temerè et audacter asseritur. Itaque, charissimi, valdè cautè hæc audire debemus, ad quæ capienda parvuli sumus ; et corde pio et cum tremore, sicut scriptum est, hanc tenentes regulam sanitatis, ut quod secundùm fidem, quâ imbuti sumus, intelligere valuerimus, tanquam de cibo gaudeamus : quod autem secundùm sanam fidei regulam intelligere nondùm potuerimus, dubitationem auferamus, intelligentiam differamus, hoc est, ut etiam si quid nescimus, bonum tamen et verum esse mininè dubitemus.

CONCILIUM SENONENSE *sub Clemente VII. an.* 1528. *in* 4. *Decreto fidei. Tom.* IV. *Concil. Labbæi pag.* 446. Magna profectò fuit, semperque futura est Scripturæ sacræ auctoritas : in quâ nihil falsum, nihil otiosum esse possit. Cùm enim non humanâ voluntate allata sit aliquando Prophetia, sed Spiritu sancto inspirati loculi sint sancti Dei homines, omnis scriptura divinitùs inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, et ad erudiendum in justitiâ : at nihilominùs mutilum est et prorsùs invalidum sumptum è Scripturis argumentum, si pro cujusvis arbitrio, quod adductum fuerit, sacrum aut profanum, canonicum aut apocryphum habeatur, vel quod in canonem admissum receptumque fuerit, indocti et instabiles depravent ad suam ipsorum perditionem, ac passim cerdones, ac infimæ plebis homines, in eam, quam semel imbiberint, sententiam pertinaciùs detorqueant. Nam quid promovebis, cùm, si quid defenderis, negetur ; ex diverso si quid negaveris, defendatur ? Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione : nihil consequeris, nisi vilem de blasphematione laudem. Nullus quidem tam deploratus quondam surrexit hæreticus, qui non suum errorem scripturâ tueri conaretur : nulla tam absurda, tam impudens hæresis, qui non sacris utcunque fulciatur eloquiis, sed corruptis, et à genuino sensu depravatis. Immò vero si quis litteræ corticem tantùm, suo fretus ingenio percurrat, si penitissimos sensus cum Ecclesiasticis interpretibus non penetret, vix unquam confutabitur Hæreticorum versutia. Obortis igitur de fide dissidiis, frustrà sæpè Scriptura consulitur, nisi Ecclesiæ certa et infallibilis litem dirimat auctoritas, quæ canonicum librum ab apocrypho, Catholicum sensum ab Hæretico, germanum ab adulterino, discernat. Hâc nempe velut internuntiâ Patrum et sacrorum Conciliorum organis, Spiritus sanctus docet nos omnia, et suggerit nobis omnia : sine quorum auspiciis, qui Scripturæ sacræ sensum habere se jactitant, non intelligunt quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, sed videntes non vident, et audientes non audiunt. In enumerandis itaque canonicæ Scripturæ libris, qui præscriptum Ecclesiæ usum et auctoritatem non sequitur, sacrum Carthaginense Concilium *tertium*, Innocentii et Gelasii decreta, et denique definitum à Sanctis Patribus librorum catalogum respuit, aut in exponendis Scripturis, non pascit hædos suos juxta tabernacula pastorum, sed fodit sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas : et spretis orthodoxorum Patrum vestigiis, proprii spiritûs judicium sequitur : is veluti schismaticus et hæreseon omnium incensor et fautor, à tantâ temeritate reprimatur.

I. Quâ mente legi debet sacra Scriptura ?

R. Cum mente venerabundâ, submissâ, docili. Quæ capiuntur, ea tenenda sunt. Quæ captum superant, credenda et suspicienda. In omnibus obsequendum Ecclesiæ judicio. (E)

I. Quid facto opus est, ut hæc lectio prosit ?

R. Orandus Deus ante et post lectionem, ut aperiat nobis sensum ad intellectionem Scripturarum, et verba sua ipse cordibus nostris imprimat. Quidquid legitur, id altè animo infigendum, id jugiter, ut sese dat occasio, exprimendum in moribus. (F) ne similes simus *homini consideranti vultum nativitatis suæ in speculo ; consideravit enim se et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit*, inquit Jacobus Apostolus. (I. 23. 24.)

§. 4. De auctoritate Traditionis in rebus Fidei.

I. Quæcunque proponuntur nobis à Deo, necessariò credenda, continenturne libris canonicis ?

R. Non continentur. Multa sunt in iis non scripta : et eorum, quæ scripta sunt, genuinum sensum assequi non valemus, nisi per traditionem.

Patet Traditionis necessitas ex Scripturis, ex omnibus Ecclesiæ Patribus, imò ex ipsis Hæreticis, qui ipsam parvipendere se profitentur.

1. *Ex Scripturis* quidem. Paulus Apostolus Epistolâ secundâ ad Thessalonicenses (II. 14.) hæc habet : *State et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Pluribus aliis in locis Apostolus traditionem laudat, profiteturque se non omnia, quæ tenenda sint, scripto mandasse (A)

(E) S. Chrysost. *Homil.* 1. *in Cap.* 1. *Epist. ad Rom.* Quando enim à Domino quid definitur ac publicatur, non debent quæ dicuntur, ab auditoribus in quæstionem et curiosam dubitationem vocari, sed tantùm simpliciter suscipi. In hoc enim Apostoli missi sunt, ut quæ percepissent, eloquerentur, non ut aliquid de suo adderent : nostrum verò est, ut credamus.

Vide S. Aug. *Tract.* 18. *in Joan. n.* 1. *suprà hocce* §. *litt.* (D)

Consule Librum de Lectione sacræ Scripturæ *à docto pioque* Præsule Castoriensi *editum.*

(F) Josue. I. 8. Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo ; sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia, quæ scripta sunt in eo : tunc diriges viam tuam et intelliges eam.

S. Bernard. *Serm.* 5. *de Adventu Domini, n.* 2.... Serva sermonem Dei... nam et ille panis vivus est, et cibus mentis.... Custodi verbum Dei : beati enim qui custodiunt illud. Ergo trajiciatur in viscera quædam animæ tuæ, et transeat in affectiones tuas, et in mores tuos. Comede bonum, et delectabitur in crassitudine anima tua. Ne obliviscaris comedere panem tuum, ne arescat cor tuum, sed adipe et pinguedine repleatur anima tua.

(A) 2. Ad Thessalon. II. 14. Itaque fratres state : et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.

S. Chrysost. *Homil.* 4. *in* 2. *ad Thessal. cap.* 2. *v.* 14. Hinc est perspicuum, quod non omnia tradiderunt per epistolam, sed multa etiam sine scriptis : et ea quoque sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio : nihil quæras amplius.

2. *Ex omnibus Ecclesiæ Patribus.* S. Ignatio Petri Apostoli Discipulo : S. Irenæo qui secundo seculo floruit : S. Clemente Alexandrino, Tertulliano, Eusebio, S. Basilio, S. Gregorio Nysseno, S. Epiphanio, S. Hieronymo, S. Augustino, Vincentio Lirinensi ; et aliis qui vel quinque prioribus Ecclesiæ seculis, vel cæteris deinceps ad nostra usque tempora floruerunt. Omnium una eà de re vox est. In his ne unus quidem fuit, qui non agnoverit traditionis necessitatem. (B)

1. Cor. xi. 2. Laudo autem vos fratres, quod.... et sicut tradidi vobis præcepta mea tenetis.... 23. Ego enim accepi à Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, etc.

2. Timoth. ii. 2. Et quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.

Hebr. v. 11. De quo nobis grandis sermo et interpretabilis ad dicendum : quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. 12. Etenim cùm deberetis magistri esse propter tempus : rursùm indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei, et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. 13. Omnis enim, qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ : parvulus enim est. 14. Perfectorum autem est solidus cibus ; eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni et mali.

(B) Eusebius *Lib.* 3. *histor. Ecclesiasticæ*, *c.* 36. Ignatius secundus post Petrum Antiochensem Ecclesiam sortitus, cùm per Asiam sub accuratissima satellitum custodia ductaretur, singularum nihilominùs civitatum, quas ingrederetur, Ecclesias sermonibus et cohortationibus suis confirmans, monebat imprimis, ut sibi à pravis Hæreticorum opinionibus caverent, quæ tunc primùm in lucem emergere cùm cœpissent, copiosiùs pullulabant. Hortatusque est ut Apostolorum traditionibus tenaciter inhærerent : quas quidem ad certiorem posteritatis notitiam testimonio suo confirmatas scriptis mandare necessarium duxit.

S. Irenæus. *Lib.* 3. *contra hæres. cap.* 2. *Quòd neque Scripturis, neque traditionibus obsequantur Hæretici. n.* 1. Cùm enim ex Scripturis arguuntur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non rectè habeant, neque sint ex auctoritate, et quia variè sint dictæ, et quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant traditionem. Non enim per litteras traditam illam, sed per vivam vocem : ob quam causam et Paulum dixisse (1. *Cor.* ii. 6.) : *Sapientiam autem loquimur inter perfectos : sapientiam autem non mundi hujus.* Et hanc sapientiam unusquisque eorum esse dicit, quam à semetipso adinvenerit.... Unusquisque enim ipsorum omnimodo perversus, semetipsum, regulam veritatis depravans, prædicare non confunditur.

N. 2. Cùm autem ad eam iterùm Traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones Presbyterorum, in Ecclesiis custoditur, provocamus eos ; adversantur Traditioni, dicentes se non solùm Presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram invenisse veritatem.... Evenit itaque, neque Scripturis jam, neque traditioni consentire eos.

Cap. 3. Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre : et habemus annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria sciissent Apostoli, quæ seorsim et latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maximè traderent ea, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant. Valdè enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos et successores relinquebant suum ipsorum locum magisterii tradentes, quibus emendatè agentibus fieret magna utilitas. Sed quod valdè longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones ; maximæ, et antiquissimæ, et omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ

Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentiam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, et malam sententiam, præterquàm oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undiquè fideles, in qua semper ab his, qui sunt undiquè, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio, etc. *Idem nempe de cæteris Ecclesiis dicit, quarum auctores Apostolos eorumque successores enumerat.*

Cap. 4. Tantæ igitur ostensiones cùm sint, non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesiâ sumere: cùm Apostoli quasi in depositorium dives, plenissimè in eam contulerint omnia, quæ sint veritatis: uti omnis quicunque velit, sumat ex eâ potum vitæ... Quæ autem sunt Ecclesiæ, cum summa diligentia, oportet diligere, et apprehendere veritatis traditionem. Quid enim et si de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis de præsenti quæstione quod certum et re liquidum est? Quid autem si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum eorum qui in Christum credunt, sine charta vel atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, et veterem traditionem custodientes.

S. CLEMENS ALEXAND. *Stromat. lib.* I. *p.* 201. 202. *edit. Lugd. Batav. anni* 1616. *mihi pag.* 274. *et* 275. Sed qui veram quidem beatæ doctrinæ servabant traditionem, statim à Petro et Jacobo et Joanne, et Paulo, sanctis Apostolis, ita ut filius acciperet à patre, (pauci autem sunt Patribus similes) ad nos quoque Deo volente pervenerunt, illa à majoribus data et apostolica deposituri semina..... Jam verò non revelavit multis ea, quæ non erant multorum, sed paucis quibus sciebat convenire, qui ea possent accipere, et ex eis informari. Arcana autem, sicut Deus, verbo creduntur, non scripto..... à nobis quoque audiat, ei qui occultè audit, occultum manifestatum iri: et ei qui secretè ea quæ traduntur, potest servare, apertum iri quod opertum est, ut veritas, et id quod multis est occultum, fiat paucis manifestum....

Pag. 217. *mihi p.* 296. *et* 297. * *Videte ne quis sit qui vos abducat à fide in Christum per philosophiam et inanem deceptionem, quæ tollit providentiam, secundùm traditionem hominum.* (*Colos.* II. 8.) Quæ est enim secundùm traditionem divinam philosophia, constituit et confirmat providentiam... Quoniam autem non sola traditio est publica ei qui sentit sermonis magnificentiam, occultanda est sapientia, quæ dicta est in mysterio, quam docuit Dei Filius.... *Sed quod auditis*, inquit Dominus (*Matth.* X. 27.), *in aurem, prædicate super tecta*, arcanas traditiones veræ cognitionis, quæ excelsè et excellenter explicantur, jubens suscipere, et sicut in aurem audivimus, ita etiam tradere quibus oportet, non autem omnibus passim tradere quæ eis in parabolis dicta erant, præcipiens.

Lib. 5. *p.* 420. *et* 241. *mihi pag.* 575. *et* 577. Quocirca alia quidem sunt mysteria, quæ fuerunt absconsa usque ad Apostolos, et tradita sunt ab ipsis, ut à Domino acceperunt: absconsa autem in veteri Testamento, quæ nunc manifestata sunt sanctis... Jam enim erant quæ tradebantur Hebræis sine scriptis.

Lib. 6. *pag.* 787. *mihi p.* 676. Depositum enim quod Deo redditur, est convenienter Domini doctrinæ, per ejus Apostolorum piam traditionem, intelligentia et exercitatio, *Quod autem auditis in aurem*, abditè scilicet de mysterio, *super domos... prædicate*: idque fecerunt, cùm ea præclarè ac magnificè intellexissent, sublimique et excelso dicendi genere tradiderunt, et ex regula veritatis Scripturas explanarunt... Recta sunt omnia... coram iis qui intelligunt, hoc est, iis qui ab ipso declaratam Scripturarum expositionem, ex Ecclesiastica regula accipientes conservant. Regulâ autem Ecclesiastica est concentus et consensio legis et Prophetarum, convenienter Testamento quod traditur per Domini adventum.... Propter multas ergo causas occultant Scripturæ sententiam. Primùm quidem, ut

diligenter inquiramus, et semper in intelligendâ salutari vigilemus doctrinâ. Præterea, ne omnibus quidem conveniebat hominibus intelligere, ne fraudi iis esset, si aliter acciperent ea quæ à sancto Spiritu dicta sunt salutariter. Quocirca iis qui sunt electi ex hominibus, et iis qui ex fide cooptati sunt ad cognitionem, quæ servantur sancta mysteria Prophetiarum, teguntur parabolis.

Pag. 489. *mihi* 678. *et* 679. Quia autem non omnium est veritas, multis modis occultat virtutem, iisque solis, qui sunt initiati ad cognitionem, qui veritatem quærunt propter charitatem, lucem exoriri facit.... Quin etiam jubetur Isaïas Propheta, novo libro accepto, in eo scribere quædam: Sanctam illam quæ posteà futura erat, cognitionem, per Scripturarum expositionem, propheticè prædicente Spiritu, eam quæ illo tempore nondùm erat scripta, propterea quòd nondùm cognosceretur: dictum enim fuerat ab initio iis solis qui intelligunt. Jam verò cùm Apostolos docuerit Servator, scriptæ, non scripta jam quoque nobis traditur traditio, quæ novis cordibus secundùm novum illum librum Spiritûs inscribitur potentiâ...

Pag. 502..... *mihi* 697.... Solo ergo est à Deo tradita, quæ est apud nos doctrina, à qua dependent omnes fontes sapientiæ, quicunque ad veritatem tanquam ad scopum feruntur.

Lib. 7. *pag.* 526. *mihi* 731 *et* 732. Cognitio autem quæ datur ex traditione per Dei gratiam, veluti quoddam depositum committitur iis, qui seipsos doctrinâ dignos exhibuerint.

Pag. 545. *mihi* 759. *et* 760. Quemadmodùm amygdalæ dicuntur inanes, non in quibus nihil inest, sed in quibus id quod inest, est inutile: ita etiam Hæreticos dicimus, qui sunt inanes Dei consiliorum et Christi traditionum.

TERTULLIANUS *de Corona militis, c.* 3. Hanc si nulla scriptura determinavit, certè consuetudo corroboravit, quæ sine dubio de traditione manavit. Quomodò enim usurpari quid potest, si traditum priùs non est. Etiam in traditionis obtentu exigenda est, inquis, auctoritas scripta. Ergo quæramus, an et traditio nisi scripta non debeat recipi? Planè negabimus recipiendam, si nulla exempla præjudicent aliarum observationum, quas sine ullius scripturæ instrumento, solius traditionis titulo, et exindè consuetudinis patrocinio vindicamus. Denique ut à baptismate ingrediar, aquam adituri, ibidem, sed et aliquantò priùs in Ecclesia sub antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, et pompæ, et angelis ejus. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quàm Dominus in Evangelio determinavit. Indè suscepti, lactis et mellis concordiam prægustamus, exque ea die, lavacro quotidiano per totam hebdomadem abstinemus. Eucharistiæ sacramentum, et in tempore victûs, et omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quàm Præsidentium sumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annuâ die facimus. Die Dominico jejunium nefas dicimus, vel de geniculis adorare. Eâdem immunitate à die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus. Calicis aut panis etiam nostri aliquid decuti in terram anxiè patimur. Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.

Cap. 4. Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, et fides observatrix. Rationem Traditioni, et consuetudini, et fidei patrocinaturam aut ipse perspicies, aut ab aliquo, qui perspexerit, disces. Interim nonnullam esse credes, cui debeatur obsequium.

De Præscriptionibus adversùs Hæreticos, c. 17. Tantùm veritati obstrepit adulter sensus, quantùm et corruptor stylus.

Cap. 19. Ergo non ad Scripturas provocandum est: nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla aut incerta victoria est, aut par incertæ. Nam etsi non ita evaderet collatio Scripturarum, ut utramque partem sisteret, ordo rerum desiderabat illud priùs proponi, quod nunc solùm disputandum est: Quibus competat fides ipsa: cujus sint Scripturæ; à quo, et per quos, et quando, et quibus sit tradita disci-

plina quâ fiunt Christiani. Ubi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ et fidei Christianæ ; illic erit veritas Scripturarum et expositionum , et omnium Traditionum Christianarum.

Cap. 20. (Christus) quid homini agendum determinaret, quandiù in terris agebat, ipse pronuntiabat, sive populo palàm, sive discentibus seorsùm ; ex quibus duodecim præcipuos lateri suo allegerat destinatos nationibus magistros. Itaque uno eorum decusso , reliquos undecim , digrediens ad Patrem post resurrectionem , jussit ire et docere nationes , tinguendas in Patrem et in Filium et in Spiritum sanctum. Statim igitur Apostoli.... assumpto per sortem duodecimo Matthiâ in locum Judæ , ex auctoritate Prophetiæ , quæ est in Psalmo David (CVIII. 8.) consecuti promissam vim Spiritûs sancti ad virtutes et eloquium , primò per Judæam contestatâ fide in Jesum Christum , et Ecclesiis institutis ; dehinc in orbem profecti , eamdem doctrinam ejusdem fidei nationibus promulgaverunt , et proindè Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt , à quibus traducem fidei et semina doctrinæ , cæteræ exindè Ecclesiæ mutuatæ sunt , et quotidiè mutuantur ut Ecclesiæ fiant. Ac per hoc et ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum.... Itaque tot ac tantæ Ecclesiæ , una est illa ab Apostolis prima , ex qua omnes. Sic omnes prima , et Apostolicæ , dùm unà omnes unam probant unitatem , dùm est illis communicatio pacis et appellatio fraternitatis , et contesseratio hospitalitatis , quæ jura non alia ratio regit, quàm ejusdem sacramenti una traditio.

Cap. 21. Hinc igitur dirigimus præscriptionem , si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad prædicandum , alios non esse recipiendos prædicatores , quàm quos Christus instituit : quia nec alius Patrem novit , nisi Filius , et cui Filius revelavit.... Quid autem prædicaverint , id est , quid illis Christus revelaverit , et hîc præscribam non aliter probari debere nisi per easdem Ecclesias , quas ipsi Apostoli condiderunt , ipsi eis prædicando , tam viva , quod aiunt , voce , quàm per Epistolas posteà. Si hæc ita sunt , constat proindè omnem doctrinam , quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis , matricibus , et originalibus fidei conspiret , veritati deputandam , sine dubio tenentem , quod Ecclesiæ ab Apostolis , Apostoli à Christo , Christus à Deo suscepit. Reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præjudicandam , quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum , et Apostolorum , et Christi et Dei. Superest ergo uti demonstremus , an hæc nostra doctrina , cujus regulam suprà edidimus , de Apostolorum traditione censeatur , et ex hoc ipso an cæteræ de mendacio veniant. Communicamus cum Ecclesiis Apostolicis , quod nulli doctrina diversa , hoc est , testimonium veritatis.

Vide superiori §. litt. (B) S. ATHANAS. *Orat. contra Gentes , n.* 1.

EUSEBIUS *Demonstrat. Evangelicæ , lib.* 1. *cap.* 8. Cæterùm ille quidem (*Moses*) in tabulis inanimatis , hic (*Jesus*) autem in mentibus vitâ præditis , perfecta novi Testamenti documenta descripsit : ejus vero Discipuli ad Magistri sui nutum , auribus multorum doctrinam suam accommodantes , quæcunque quidem veluti ultra habitum progressis , a perfecto ipsorum Magistro præcepta fuerant , ea iis , qui capere poterant , tradiderunt : quæcunque verò iis convenire arbitrabantur , qui animas adhuc affectibus obnoxias gerrent , curationisque indigentes ; ea ipsi ad imbecillitatem multorum se dimittentes , partim litteris , PARTIM SINE LITTERIS , quasi jure quodam non scripto servanda , commendarunt....

S. BASIL. *De Spiritu sancto , cap.* 27,... Dogmata et instituta quæ in Ecclesia prædicantur , quædam habemus è doctrina scripto prodita , quædam rursùs ex Apostolorum traditione in mysterio , id est , in occulto tradita recipimus : quorum utraque parem vim habent ad pietatem , nec his quisquam contradicit , quisquis sanè vel tenuiter expertus est , quæ sint jura Ecclesiastica. Nam si consuetudines quæ scripto proditæ non sunt , tanquam haud multùm habentes momenti conemur rejicere , imprudentes gravissimum Evangelio detrimentum inferemus , imò potiùs ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Quod genus est , ut ejus quod primum est et vulgatissimum primo loco commemorem ; ut signo crucis eos , qui spem collocarunt in Christum ,

signemus, quis scripto docuit? Ut ad Orientem versi precemur, quæ nos docuit Scriptura? Invocationis verba cùm conficitur panis Eucharistiæ et poculum benedictionis, quis sanctorum in scripto nobis reliquit? Neque enim his contenti sumus, quæ commemorat Apostolus, aut Evangelium, verùm alia quoque et ante et post dicimus, tanquam multum habentia momenti ad mysterium, quæ ex traditione citra scriptum accepimus. Consecramus autem aquam Baptismatis et oleum unctionis, prætereà ipsum qui Baptismum accipit, ex quibus scriptis? Nonne à tacita secretaque traditione? Ipsam porrò olei inunctionem, quis sermo scripto proditus docuit? Jam ter immergi hominem, undè ex Scriptura haustum? Reliqua autem quæ fiunt in Baptismo, veluti renunciare Satanæ et Angelis ejus, ex qua Scriptura habemus? Nonne ex minime publicata et arcana hac traditione? Nonne ex doctrina, quam patres nostri silentio quieto, minimèque curioso, servaverunt? Pulchrè quidem illi, nimirùm docti arcanorum venerationem silentio conservari. Nam quæ nec intueri fas est non initiatis, qui conveniebat horum doctrinam publicitùs circumferri scripto?.... Qui in primordiis Ecclesiæ certos ritus præscripserunt Apostoli et Patres, in occulto, silentioque mysteriis suam servavere dignitatem. Neque enim omninò mysterium est quod ad populares ac vulgares aures effertur. Hæc est ratio cur quædam citra scriptum tradita sunt, ne dogmatum cognitio propter assuetudinem vulgò veniret in contemptum. Aliud autem est dogma, aliud edictum: nam dogmata silentur, edicta verò publicantur. Est autem silentii species etiam obscuritas, quâ utitur Scriptura, intellectu difficilem reddens dogmatum sententiam, idque ad utilitatem in Scripturis versantium.... Deficiet me dies, si Ecclesiæ mysteria citra scriptum tradita pergam recensere. Omitto cætera, ipsam fidei professionem, quâ credimus in Patrem et Filium, et Spiritum sanctum, è quibus habemus Scriptis?

Cap. 29. *initio.* Arbitror autem Apostolicum esse, etiam non scriptis traditionibus inhærere. * *Laudo*, inquit (1. *Cor.* XI. 2.), *vos, quòd omnia mea meministis* (2. *Thess.* II. 14.), *et quemadmodum tradidi vobis traditiones obtinetis quas accepistis, sive per sermonem, sive per epistolam.*

S. GREG. NYSSENUS. *Orat.* 3. *contra Eunomium*, *pag.* 126. *tom.* 2.... Sufficit enim ad nostri sermonis demonstrationem, quòd habeamus à patribus venientem ad nos traditionem, velut hæreditatem quamdam per successionem ex Apostolis per sanctos sequentes transmissam.

S. EPIPHAN. *t.* 1. *L.* 3. *adversùs Hær. hæres.* 7. *n.* 8. Necessariò facere illud Ecclesiam dico, (*quòd scilicet mentionem faciat in sacrificio mortuorum tum sanctorum, tum aliorum qui in fide Christi defuncti sunt*) quæ traditum sibi ritum illum à majoribus acceperit. Potest verò quisquam maternam sanctionem, aut legem patris evertere? Quemadmodùm à Salomone scriptum est (*Prov.* I. 8.): *Audi, fili, sermones patris tui, et ne repellas leges matris tuæ:* Quibus Patrem, hoc est et Deum unigenitum ejus Deum (*lege*, et Deum unigenitum ejus Filium) cum Spiritu sancto declarat PARTIM SCRIPTO, PARTIM SINE SCRIPTO docuisse: Matrem vero nostram Ecclesiam decreta quædam habere penès se, quæ dissolvi evertique nequeunt.

Adversùs Apostolicos, *n.* 6. Sed et traditione quoque opus est. Neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idcircò alia scripto, traditione alia sanctissima Apostoli reliquerunt. Quod ipsum ita Paulus affirmat (1. *Cor.* XI. 2.); *Quemadmodùm tradidi vobis.* Item alio loco: *Ita doceo, et ita tradidi in Ecclesiis.* Item: *Si meministis: nisi frustrà credidistis.*

S. HIERONYM. *Adversus Luciferianos. pag.* 615. *et* 616. *tom.* 1. *edit. Paris.* 1609. *c.* 4. Etiam si Scripturæ auctoritas non subesset, totius orbis.... consensus instar præcepti obtineret. Nam et multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt: velut in lavacro ter caput mergitare; deindè egressos, lactis et mellis prægustare concordiam, ad infantiæ significationem; die Dominico per omnem Pentecosten, nec de geniculis adorare, et jejunium solvere: multaque alia quæ scripta non sunt, rationabilis sibi observatio vindicavit.

S. AUG. *Lib.* 2. *contra Julianum*, *cap.* 10. *n.* 34. Sancti Patres quod

invenerunt in Ecclesia tenuerunt : quod didicerunt docuerunt , quod à Patribus acceperunt , hoc filiis tradiderunt.

Lib. 2. *de Baptismo contra Donatistas* , *c.* 7. *n.* 12. Saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia , in ipsis quoque schismaticis et hæreticis corrigere quod pravum est , non iterare quod datum est ; sanare quod vulneratum est , non curare quod sanum est. Quam consuetudinem credo ex Apostolicâ traditione venientem : (sicut multa quæ non inveniuntur in litteris eorum , neque in Conciliis posteriorum , et tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam , non nisi ab ipsis tradita et commendata creduntur.

Lib. 4. *cap.* 24. *n.* 31. Quod universa tenet Ecclesia , nec Conciliis institutum , sed semper retentum est , non nisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.

Lib. 5. *de Baptismo contra Donatistas* , *c.* 23. *n.* 31... Sed consuetudo illa quæ opponebatur Cypriano , ab eorum (*Apostolorum*) traditione exordium sumpsisse credenda est , sicut sunt multa quæ universa tenet Ecclesia , et ob hoc ab Apostolis præcepta benè creduntur , quanquam scripta non reperiantur.

Cap. 26. *n.* 37. Quod autem nos admonet (Cyprianus) *ut ad fontem recurramus* , *id est* , *Apostolicam Traditionem* , *et indè canalem in nostra tempora dirigamus* , optimum est et sine dubitatione faciendum.

Epist. 54. *aliàs* 118. *seu Lib.* 1. *ad inquisitiones Januarii* , *c.* 1. *n.* 1. *Vide suprà* §. 1. *Cap.* 2. *Sect.* 1. *hujusce Partis* , *litt.* (R)

VINCENTIUS LIRIN. *Commonit.* 1. *cap.* 3. In ipsa item Ecclesia Catholica magnoperè curandum est , ut id teneamus quod ubique , quod semper , quod ab omnibus creditum est : hoc est enim verè proprièque Catholicum quod ipsa vis nominis ratioque declarat , quæ omnia ferè universaliter comprehendit. Sed hoc ita demùm fiet , si sequamur universalitatem , antiquitatem , consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo : si hanc unam fidem veram esse fateamur , quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia : antiquitatem verò ita , si ab iis sensibus nullatenùs recedamus , quos sanctos majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est : consensionem quoque itidem , si in ipsa vetustate omnium vel certè penè omnium Sacerdotum pariter et magistrorum definitiones , sententiasque sectemur.

Cap. 4. Christianus... si se aliqua Ecclesiæ particula ab universali communione præciderit... si contagio totam commaculare Ecclesiam conetur... providebit , ut antiquitati inhæreat , quæ prorsùs jam non potest ab ulla novitatis fraude seduci.... Omninò curabit ut paucorum temeritati vel insciliæ , si qua sunt universaliter antiquitùs universalis Concilii decreta præponat. Operam dabit ut collatas inter se majorum consulat , interrogetque sententias , eorum duntaxat qui diversis licèt temporibus et locis , in unius tamen Ecclesiæ Catholicæ communione et fide permanentes , magistri probabiles exstiterunt ; et quidquid non unus aut duo tantùm sed omnes pariter uno eodemque consensu apertè , frequenter , perseveranter tenuisse , scripsisse , docuisse cognoverit , id sibi quoque intelligat absque ullâ dubitatione credendum.

Cap. 9. Nihil novandum , nisi quod traditum est.

Cap. 12. *Licèt aut nos* , *aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquàm quòd evangelizavimus vobis* , *anathema sit...* (*Galat.* 1. 8.) Quisquis ille traditam semel fidem mutare tentaverit , anathema sit.

Cap. 14. Annuntiare ergo aliquid Christianis Catholicis , præter id quod acceperunt , nunquam licuit , nusquam licet , nunquam licebit , et anathematizare eos qui annuntiant aliquid , præter quàm quòd semel acceptum est , nunquam non oportuit , nusquam non oportet , nunquam non oportebit.

Cap. 27. *Vide suprà Sect.* 1. *Cap.* 2. §. 1. *hujusce Partis* , *litt.* (R)

Cap. 32. Christi verò Ecclesia sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos , nihil in his unquam permutat , nihil minuit , nihil addit , non amputat necessaria , non apponit superflua , non amittit sua , non usurpat aliena ; sed omni industriâ hoc unum studet , ut vetera fideliter sapienterque tractando , si qua illa sunt antiquitùs informata et inchoata , accuset et poliat : si qua jam expressa et enucleata , consoli-

3. *Ex ipsis Heterodoxis, qui traditionem parvipendere se profitentur.* Protestantes ipsi multa credunt, multa observant, quæ non nisi traditione novimus. Credunt Baptisma infantibus collatum, collatum infusione, collatum ab Hæreticis, validum esse, id et nos credimus. Id autem non Scripturis, sed solâ Traditione constat. Diem Dominicam loco sabbati sanctificant: festos dies complures celebrant; et in Britanniâ majori frequentior est isthæc festorum observatio. Hæc autem esse facienda sola Traditio docet, ut ait S. Augustinus. (*Epist.* 54. *aut* 118. *ad Jannarium.*)

Quin et multa sunt in Scripturis præcepta, quorum ab observatione abstinent; nec tamen in eo peccare se suspicantur. Hæc autem non esse necessariò observanda, solâ traditione liquet. Hujus rei exempla duo ponere sufficiat.

Primum exemplum. Lotionem pedum omninò prætermittunt Protestantes, licèt sic à Christo præcepta sit, ut sacramentum eo ritu instituere videatur, si spectes litteralem verborum sensum. Ait enim Christus Petro, (*Joan.* XIII. 8.) *Si non lavero te, non habebis partem mecum:* et deindè, (*Id. ibid.* 13. 14. 15.) *Vos vocatis me magister, et Domine: et benè dicitis: sum etenim. Si ergo lavi pedes vestros, Dominus, et Magister: et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci vobis, ita et vos faciatis....* Quis non his verbis sacramentum institui intelligeret, nisi certissimâ traditione constaret non esse hæc eâ ratione intelligenda.

Exemplum alterum. Solemnis est ea lex ab Apostolis in Concilio Hierosolymitano sancita, quâ præcipitur abstinentia à suffocatis et sanguine, à quibus tamen minimè abstinemus, uti nec ipsi Protestantes abstinent. Verba ipsa Concilii referre juvat (*Actor.* XV. 28. 29.): *Visum est Spiritui sancto et nobis, nihil ultrà imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine et suffocato.* Nonnisi traditione novimus, ad tempus id fuisse ab Apostolis præceptum.

det, firmet: si qua jam confirmata et definita, custodiat. Denique quid unquam aliud Conciliorum decretis enisa est, nisi ut quod antèà simpliciter credebatur, hoc idem posteà diligentiùs crederetur; quod antea lentiùs prædicabatur, hoc idem posteà instantiùs prædicaretur.

Cap. 39. Antiqua sanctorum Patrum consensio.... præcipuè in fidei regula magno nobis studio et investiganda est, et sequendâ... Sed eorum duntaxat Patrum sententiæ conferendæ sunt, qui in fide et communione Catholica sanctè, sapienter, constanter viventes, docentes et permanentes, vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo feliciter meruerunt. Quibus tamen hac lege credendum est, ut quidquid vel omnes vel plures uno eodemque sensu manifestè, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi magistrorum consilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo ratoque habeatur: quidquid verò, quamvis ille sanctus et doctus, quamvis Episcopus, quamvis Confessor et Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias et occultas et privatas opiniunculas à communis, publicæ, et generalis sententiæ auctoritate secretum sit.

Vide etiam quæ ex eo suprà attulimus §. 1. *Cap.* 2. *Sect.* 1. *hujusce Partis, et etiam* §. 2. *hujusce Capitis.*

Itaque non possunt effugere Protestantes auctoritatem Traditionis. Hanc vel inviti sequi tenentur, quidquid in contrarium effutiant.

I. Quanta est Traditionis auctoritas?

R. Eadem est prorsùs cum auctoritate Scripturæ. Verbum Divinum scriptum sit nec ne perindè est, utrobique verbum divinum est. Id patet ex omnibus SS. Patribus suprà laudatis, maximè ex sancto Chrysostomo. (*Homil.* 4. *in* 2. *ad Thessal.*)

I. Quâ ratione ad nos usque pervenit verbum illud minimè Scriptum?

R. Docti à Christo Apostoli docuerunt quos constituerunt per civitates Episcopos. Illi rursùs docuerunt alios sibi successuros, à quibus alii quoque et docti et ordinati sunt. Sic custoditum est in Ecclesia verbi Dei ad nostra usque tempora depositum. (C)

I. Rectè admodùm. Sed quis certò sciat, non fuisse adulteratum verbum Dei, dùm per tot ora, per tot seculorum successiones ad nos usque transmeavit.

R. Id fieri non potuisse constat. 1° Enim Ecclesia Spiritu Dei regitur, nec fieri potest ut erret unquam circa fidem. Id fusè probavimus primâ parte hujus Operis. (*Sect.* 2. *Cap.* 3. §. 4.)

Deindè Ecclesia regulam habet certam, quâ veræ traditiones à falsis secernantur. Hæc autem in eo posita est, teste post sanctum Augustinum (*L.* 5. *de Baptismo contra Donat. cap.* 23. *et* 26.) Vincentio Lirinensi (*Commonit.* 1. *cap.* 3. 4. *etc.*) quòd id solùm habeatur pro tradito ab Apostolis, quod ubique docet vel servat diffusa per totum orbem Ecclesia, nec tamen aliquo certo tempore institutum fuisse cognoscitur.

I. Cur vocas regulam hanc certam?

R. Quia fieri non potest, ut diffusi per totum orbem Christiani, qui nullam habent inter se consiliorum societatem, qui non minùs moribus et ingeniis et usibus (si fidem excipias) quàm regionibus à se invicem disjuncti sunt; fieri non potest, inquam, ut ii in rebus, quæ ad religionem pertinent, idem omninò doceant, idem servent, nisi id acceperint ab eodem magistro, qui discipulos suos per totum terrarum orbem miserit iisdem instructos præceptis et mandatis.

I. Quid si sensim Præpositorum incuriâ disseminatum et receptum aliquid per Ecclesiam fuerit contra Christi doctrinam, contra sanctiones Apostolicas nemine nisi post longa temporum spatia rem advertente?

R. Id fierit nequit, si quæstio sit de re alicujus momenti. Quod quidem quatuor rationibus demonstro.

1. Christus promisit nunquam futurum ut Ecclesia erret in fide. Satis superque id superiùs (1. *Part. Sect.* 2. *Cap.* 3. §. 4.) probatum est.

(C) 2. Timoth. II. 2. *Vide suprà litt.* (A) *hocce* §.

2. Alienum est prorsùs ab hominum ratione et moribus, receptam ubique terrarum doctrinam et consuetudinem, nemine advertente, nemine contradicente, subverti. Norunt omnes quas turbas, quas contradictiones excitare soleat rerum novarum molitio.

3. Si quis unquam novum dogma, novos in Ecclesiam mores invehere tentaverit, statim hunc deprehensum, confutatum, damnatum fuisse docet omnium seculorum experientia, ut patet ex iis, quæ primâ Parte (*Sect.* 2. *Cap.* 3. §. 10.) diximus de hæresibus, quæ unoquoque seculo prodierunt.

4. Quod ab Apostolis ad nos usque traditione manavit, id scriptum subinde est à SS. Patribus, qui singulis ætatibus floruerunt : refert unusquisque quid suo tempore sentiat, quid observet Ecclesia, hujus quoque rei vel vestigia, vel certa argumenta exstant in Conciliis, in libris liturgicis, in aliis ejusmodi antiquitatis Ecclesiasticæ monumentis. Libri illi jampridem toto terrarum orbe diffusi sunt. Non potest traditio falsa pro verâ supponi, quòd spectat ad mores vel dogmata, quin simul adulterentur et corrumpantur scripta isthæc omnia, ex quibus eruuntur veræ et genuinæ traditiones. Illud autem fieri posse qui in animum induxerit, næ is insanire videatur. (D)

I. Ergo quidquid nunc credit Ecclesia, id credidit semper jam ab Apostolorum temporibus?

R. Tam id certum est quàm quod certissimum. Id patet tum ex suprà dictis, tum ex singulorum dogmatum probatione toto hocce Opere.

I. Et de observationibus Ecclesiasticis quid sentis? Manaruntne omnes quoque ab Apostolis?

R. Quidquid per totam Ecclesiam sic observatur, ut ignoretur hujus observationis initium, verbi gratiâ jejunium ante-paschale, signum crucis, baptisma parvulorum, etc. hoc ab Apostolis ad nos traditione manasse certissimum est. (E) Patet id quoque de singulis observationibus in serie hujus Operis laudatis et SS. Patrum testimoniis confirmatis.

I. Nunquid et traditione Ecclesia utitur ad intelligentiam Scripturarum?

R. Ad Scripturam quod attinet, necessaria prorsùs in duobus traditio est : 1° Ut intelligatur qui sint libri verè Canonici (F) ; 2° Ut habeatur legitimus Scripturarum sensus. Neque enim libros alios recipit Ecclesia in Canonicarum Scripturarum numerum, quàm quos certâ traditione novit ab Apostolis manasse. Neque Scripturam explicat, nisi

(D) *Vide hæc fusiùs explicata in libro* Perpetuitatis Fidei circa Eucharistiam, *tom.* 1. *lib.* 1. *à cap.* 8. *ad decimum tertium, et lib.* 9. *cap.* 10. *et* 11.

(E) *Hæc multis SS. Patrum testimoniis fusè probavimus hoc eodem paragrapho litt.* (B)

(F) *Vide suprà* §. 3. *hujusce Cap. litt.* (B) S. Aug. *l.* 2. *de Doctrin. Christ. cap.* 8. *n.* 12. *et* 13. *et cap.* 9. *n.* 14.

juxta eum sensum, quem tenuit semper Ecclesia. (G)

§. 5. De auctoritate Conciliorum et SS. Patrum in rebus Fidei.

I. Quid agit Ecclesia ad dirimendas controversias, quæ subindè oriuntur in rebus fidei?

R. Fidei depositum servat summus Pontifex, servant et Episcopi: (juxta illud Apostoli 1. ad Timotheum VI. 20. *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.* Hi insurgentes controversias judicio suo dirimunt vel soli, vel in Conciliis.

I. Quandonam congregantur Concilia?

R. Congregantur ut plurimùm vel cùm occurrit controversia de fide dirimenda, vel cùm statuendum aliquid est circa disciplinam, ubi rem unus Episcopus non posset pari successu definire.

I. Quot sunt genera Conciliorum?

R. Concilia sunt vel Generalia, vel Nationalia, vel Provincialia, vel Diœcesana. *Generalia*, quæ et idiomate Græco dicuntur *œcumenica*, ex Episcopis totius Ecclesiæ congregantur. (A) *Nationalia* ex Episcopis unius regni vel nationis: *Provincialia* ex Episcopis unius vel aliquot Provinciarum: *Diœcesana* ex Episcopo et clero unius Diœcesis.

I. Sedentne soli Episcopi in Conciliis?

R. In Conciliis alii sedent ut judices, alii ut assertores et vindices Canonum, alii vel sedent vel stant ut rerum Divinarum et Ecclesiasticarum periti, ad ventilandas et discutiendas hinc indè controversias.

Soli Episcopi sedent ut judices de jure. Sunt tamen alii quibus ex primæva consuetudine jus suffragii concessum

(G) *Adductis paragrapho superiori et hocce paragrapho Veterum auctoritatibus, hæc ad demonstrationem evicimus.*

(A) *Concilia generalia huc usque undeviginti tantùm numerantur: quorum octo prima in Oriente, seu apud Græcos, celebrata sunt.*

CONCILIA GENERALIA GRÆCORUM.

Anno Chr.	325.	Nicænum, sub Sylvestro Papa.
	381.	Constantinopolitanum primum, sub Damaso.
	431.	Ephesinum, sub Cælestino I.
	451.	Chalcedonense, sub Leone I.
	553.	Constantinopolitanum II. sub Vigilio.
	680.	Constantinopolitanum III. sub Agathone.
	787.	Nicænum II. sub Adriano I.
	869.	Constantinopolitanum IV. sub Adriano II.

CONCILIA GENERALIA LATINORUM.

1122.	Lateranense I. sub Calixto II.
1139.	Lateranense II. sub Innocentio II.
1179.	Lateranense III. sub Alexandro III.
1215.	Lateranense IV. sub Innocentio III.
1245.	Lugdunense I. sub Innocentio IV.
1274.	Lugdunense II. sub Gregorio X.
1311.	Viennense, sub Clemente V.
1414.	Constantiense, sub Joanne XXIII.
1439.	Florentinum, sub Eugenio IV.
1512.	Lateranense V. sub Julio et Leone X.
1545.	Tridentinum, sub Paulo III. Julio III. et Pio IV.

est ab Ecclesiâ ; putà Præpositi generales Ordinum religiosorum, et Abbates.

Imperatores, Reges, Principes, vel missi ab iis Oratores seu Magistratus, sedent ut assertores et vindices Canonum et publicæ tranquillitatis.

Sedent Presbyteri, stant Diaconi cæterique rerum Ecclesiasticarum periti, ad ventilandas et discutiendas hinc indè controversias, ut rebus maturè discussis, et auditis Consultorum votis, statuant Judices quod duxerint esse definiendum.

I. Estne vetus in Ecclesiâ consuetudo congregàndi Concilia?

R. Ea jam à temporibus Apostolorum invaluit. Ipsi subortas quæstiones graves inter conversos ex Judæis, vel ex gentibus fideles, habito Jerosolymis Concilio diremerunt, his verbis solemnibus, (*Act.* XV. 28.) *Visum est Spiritui sancto et nobis.*

I. Cur his verbis usi sunt Apostoli.

R. Ut intelligamus Sacro-sanctis Conciliis præesse Spiritum sanctum, ipsumque per Patres congregatos loqui.

I. Ergo certa nec errori obnoxia est Conciliorum definitio, ubi de fide pronuntiant?

R. Conciliorum generalium definitio de fide certa est et erroris expers. Quia hæc Concilia repræsentant universam Ecclesiam, cui promissa à Christo (*Matth.* XVI. 18.) est æterna in rectà fide stabilitas. *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* (B)

Ejusdem auctoritatis est cæterorum Conciliorum definitio, si accesserit totius Ecclesiæ consensus. Quia ubi constat de totius Ecclesiæ fide, sive Ecclesia congregata sit in generalibus Conciliis, sive per totum orbem diffusa, consensum suum præbeat Conciliis particularibus, perindè est. Satis est si constet de totius Ecclesiæ fide. Quam enim fidem diffusa per totum orbem Ecclesia tenet, certum est hanc esse consentaneam traditioni, inconcussæ utique fidei nostræ regulæ. (C)

(B) MATTH. XVIII. 20. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

XXVIII. 20. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.

Hinc S. GREG. MAGN. *Lib.* 1. *Epist.* 24. *dicit se* venerari quatuor prima Concilia, sicut quatuor Evangelia.

S. AMBROSIUS *Epist.* 32. Sequor tractatum Nicæni Concilii à quo me nec mors, nec gladius poterit separare.

S. HIERON. *Dial. adv. Lucifer. de SS. Confessoribus Athanasio, Hilario, Eusebio loquens:* Quomodo poterant, inquit, adversùm Synodum Nicænam facere, propter quam exilia sustinuerunt.

S. AUG. *Epist.* 54. *aliàs* 118. *ad Januar. cap.* 1. *n.* 1. Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri.

(C) CARD. BELLARMINUS *Controvers. tom.* 1. *lib.* 1. *de Conciliis et Ecclesiâ, cap.* 11. *Conciliorum ad Controversias de fide dirimendas, etc. necessitatem adstruit his verbis.* Quamvis autem generalia Concilia non sint absolutè

Hoc ut intelligatur, operæ pretium est in mentem revocare quod suprà (*duob. super.* §.) diximus, fidei depositum Scripturâ sacrâ et Traditione contineri; duplicemque hanc esse fidei nostræ certissimamque normam. Ergo ubi de fide quæstiones excitantur, consulit Ecclesia Scripturam et Traditionem. Et, si quæstio sit de genuinâ intelligentiâ Scripturarum, ut ferè semper usuvenit, nam obscuris Scripturarum sententiis abusi sunt semper Hæretici *ad suam* et aliorum *perditionem*, inquit Petrus Apostolus (2. *Epist.* III. 16.); tunc Scripturarum sensum genuinum Ecclesia à traditione accipit. Nimirum traditio subortis quæstionibus antiquior, et ad tempora Apostolica continuâ successione recurrens, una et certa via est intelligendi quem Scripturarum sensum ab Apostolis acceperit Ecclesia. Jam diximus necessaria, tamen Concilia aliqua, sive generalia, sive particularia sint, omninò necessaria esse ad bonam Ecclesiæ gubernationem vix in quæstionem vocari posse dubito. Nam si necesse est, *ut veniant scandala*, ut ait Dominus (*Matth.* XVIII. 7.), et *oportet hæreses esse*, ut (1. *Cor.* XI. 19.), Apostolus ait, certè necesse est etiam, ut in Ecclesia sit certum aliquod judicium, quo et scandala tolli et hæreses damnari possint: alioqui brevi tempore Ecclesia universa in partes scinderetur et periret. Nam *omne regnum in seipsum divisum desolabitur.* (*Matth.* XII. 25.)

Etsi verò summus Pontifex judex est, tamen non debet in controversiis fidei dijudicandis aut solo suo judicio fidere, aut exspectare divinam revelationem, sed adhibere diligentiam, quantam res tanta postulat, et ordinaria media, et tùm demùm exspectare assistentiam Spiritûs sancti, et directionem divinam.

Porrò medium ordinarium ac proindè necessarium esse Concilium, magnum aut parvum, unum vel plura, prout ipse judicaverit, facilè probari potest.

Primùm ex divinâ illâ promissione (*Matth.* XVIII. 20.), *Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, illic sum in medio eorum.* Hunc enim locum de Conciliis intelligit Synodus Chalcedonensis in Epist. ad Leonem, et aliæ Synodi.

Secundò, ex facto Apostolorum, qui cùm possent etiam seorsùm singuli definire controversias, tamen ne viderentur negligere medium ordinarium et à Christo ipso demonstratum, non sine Concilio controversiam de legalibus Antiochiæ exortam definire voluerunt. (*Act.* XV.)

Tertiò, ex consuetudine totius Ecclesiæ, atque omnium seculorum. Semper enim fuit in Ecclesia ista consuetudo, ut ad res dubias explicandas Concilia Episcoporum haberentur. Et ipsi etiam Romani Pontifices nullam unquam hæresim novam sine novo Concilio damnaverunt, ut cognoscere poterit, qui vel tomos Conciliorum, vel historias Ecclesiasticas evolvere voluerit. Quod autem semper, et ab omnibus factum est, quis negare audebit, ordinarium dici posse, et reverà esse?

Sed accedat confirmatio ex Patribus. Cyprianus lib. 2. Epist. 1. ad Stephanum: *Necesse*, inquit, *habuimus, convenientibus in unum pluribus Sacerdotibus, cogere, et celebrare Concilium.* Gelasius in tomo de vinculo anathematis: *Si præcessit*, inquit, *consensus Pontificis, docetur à quibus, et ubi ille sit gestus, si secundum Ecclesiæ regulam celebratus, si paternâ traditione profectus, si majorum more prolatus, si competenti examinatione depromptus; ubi procul dubio requirendum est, si synodali congregatione celebratus, quod in receptione damnati, et depulsione Catholici, quia nova est causa, fieri certissimum est.*

Denique, Concilium Toletanum XI. in ipsa præfatione multis verbis demonstrat Conciliorum in Ecclesia necessitatem: sed illa summa est, si Concilia desint, necesse esse, ut omnia vitiis et erroribus continuò repleantur. Itaque etsi posset Deus per absolutam potentiam suam Ecclesiam sine Conciliis conservare: tamen secundùm ordinariam providentiam ejus, necessaria Concilia sunt ad bonam Ecclesiæ gubernationem.

id unum haberi pro traditione Divinâ et Apostolicâ, quod tenet et tenuit semper Ecclesia per totum orbem diffusa. Variæ sunt rationes certò intelligendi num in unum vel dogma vel usum omnes omninò Ecclesiæ conveniant. Primò si convocentur omnes omnium omninò Ecclesiarum Episcopi, quibus creditum est fidei depositum, ut singuli dicant quæ sit Ecclesiæ suæ traditio circa subortam quæstionem. Id fit in Conciliis generalibus. (D) Sed quia non ita facilè congregantur ejusmodi Concilia, alia via est expeditior juxtà et frequentior certò cognoscendi quæ sit Ecclesiæ traditio. Suum fert summus Pontifex de propositâ quæstione judicium; accedit singularum Ecclesiarum toto orbe consensus. Aliquando ferunt judicium Episcopi in Conciliis vel Provincialibus vel Nationalibus congregati: Romam et ad cæteras Ecclesias hæc judicia deferuntur: confirmantur à Romano Pontifice; accedit omnium Ecclesiarum consensus; agnoscunt singulæ in hoc judicio quam profitentur fidem. Consensus hic Ecclesiarum in rem ab uno particulari Concilio definitam certissimum est traditionis argumentum; eam-

(D) **Holden** *Lib.* I. *de Resolut. Fidei*, *c.* 9. Stabilità jam Catholicæ traditionis certitudine, eaque in unitate sua præcipuè constitutâ, superest investigandum, quâ viâ, quoque medio cognoscenda sint divinitùs revelata et instituta, quæ huic inniti untur traditioni. Cùm autem universum quid seu Catholicum sit quod inquirimus (traditio *scilicet* universalis) constat evidentissimè à nullo particulari et singulari homine sub hac ratione petendum esse. Quidquid enim declarare aut denuntiare valeat quivis particularis, (quicunque ille fuerit) traditionis universalis rationem habere nequit sub hoc præciso particularis denuntiationis titulo, licet fortassis ei possit competere hæc ratio: eo quòd universim et Catholicè idem ipsum sit et unius et totius societatis judicium. Imò tametsi plurimorum fuerit in Concilio congregatorum testimonium, nisi universum et Catholicum sit, traditionis certitudinem perfectam non habet.

Ex superioribus clarè consequitur (quod et affirmant Theologi nonnulli) Ecclesiæ Christi Pastores et Rectores (quamcunque aliàs habeant auctoritatem) veritatum revelatarum esse tantummodo custodes ac testes; fidelissimos quidem et invictissimos, sive sparsim per orbem universum in suis singillatim diœcesibus et parochiis greges suos docentes et regentes, sive in debitis circumstantiis et conditionibus universim congregatos et consentientes. Verùm articulorum fidei conditores audeat eos nemo verè Catholicus et perspicax adstruere. Cujus jam sæpiùs rationem reddidimus. Omnem putà fidei revelatæ articulum Dei revelantis auctoritati pernecessariò inniti, novas autem communicari Ecclesiæ revelationes, quæ fidei Catholicæ dogma *fundent*, nullus agnovit Catholicus; ac ideò fidei revelatæ et Catholicæ articulorum numerum augeri posse, vel ignorantis est, vel calumniantis oratio. Christum igitur, ut suprà advertimus, veritatum et divinarum institutionum solum et unicum fundatorem ac conditorem fuisse, tanquam axioma indubitatum apud Catholicos omnes, præsupponimus.

Hanc veritatem subsequitur altera, quam habet sanctus Augustinus Ep. 118. ad Januar. Quæ Christus præscripsit, ea nemo audeat variare. Ut putà, sicut nequit Ecclesia novum aliquod divinitùs revelatum aut institutum, fidei scilicet Catholicæ articulum, tradere, condere, aut fidelibus obtrudere, ita neque in totius Ecclesiæ potestate ac auctoritate situm est veritatem aliquam à Christo revelatam, aut institutionem divinitùs editam, vel minimè variare aut immutare: sub hoc inquam anathemate, *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. nec præteribit unum iota aut unus apex a lege* (Christiana) *donec omnia fiant.*

demque obtinet auctoritatem ac Concilium generale. Quamplurima exstant exempla hæresum hâc multiplici viâ proscriptarum, sive per Concilia œcumenica, sive per summos Pontifices, sive per Episcopos, sive per Concilia particularia, accedente totius Ecclesiæ consensu. Quin et Concilia quædam quæ non fuerunt œcumenica convocatione, accedente Ecclesiæ consensu, habita sunt pro œcumenicis; tale fuit Concilium primum Constantinopolitanum, in quo proscripta est hæresis Macedonii. Id in œcumenicis secundum numeratur, nec fuit convocatione nisi nationale totius Orientis : sed accedente consensu Occidentis œcumenicum evasit. Contrà autem Concilium Sardicense œcumenicum fuit convocatione, non exitu, ut asserunt plerique Theologi, quia non accessit totius Ecclesiæ consensus. Quod de fide dixi, dictum puta de disciplinâ et moribus Ecclesiæ. Plures sunt canones circa disciplinam et mores à provincialibus Conciliis conditi, qui cùm ab universa Ecclesia recepti sint, auctoritatem habent œcumenicam : dicunturque meritò *canones Spiritu Dei conditi, et totius orbis reverentiâ consecrati* (E)

I. Quomodo se gerit Ecclesia circa eos, qui Ecclesiam in fide definientem non audiunt?

R. Si quis Ecclesiam non audierit, inquit Christus (*Matth.* XVIII. 17.) *sit tibi velut Ethnicus et Publicanus.* Ergo illos Ecclesia pro Hæreticis habet et sinu suo pellit.

I. Quæ ratio habenda est sententiæ sanctorum Patrum in rebus fidei?

R. Eos Ecclesia veneratur ut testes Traditionis suo quemque seculo. Si quis eorum unus à cæteris dissentiat, non magni facienda ejus hâc in re sententia. Maximi facienda sententia omnium vel plurimorum idem sentientium. Ubi sancti Patres alii aliud sentiunt, nihil ut plurimùm definit Ecclesia, quia cùm Traditio ea de re nec certa, nec una sit, non habetur pro Traditione Divina vel Apostolica. Hinc oritur inter Catholicos Theologos opinionum varietas de rebus ad fidem non pertinentibus.

I. Quænam amplectenda sententia est in rebus ad fidem non pertinentibus, in quibus nihil definivit Ecclesia, nec una est Theologorum opinio?

R. Tunc per Ecclesiam licet ad utramlibet partem se recipere. Quam quisque opinionem veriorem putat, eam am-

(E) HOLDEN *Lib.* 1. *de Resolut. Fidei, cap.* 9. Statuendum... posse Concilium generale certissimè et absque omni erroris periculo denuntiare et declarare (quod alii vocant *decernere* ac *definire*) quidquid sit directè et expressè divinitùs revelatum aut institutum. Quod non aliud est quàm posse hos omnes simul Episcopos, et unumquemque seorsum testificari, quid in suis singulis et universis Provinciis, vel creditur, vel exercetur, tanquam doctrinæ revelatæ articulus, aut divinitùs institutum religionis exercitium... Episcopi et Rectores Ecclesiæ judicant in Concilio generali veluti præceptores et Doctores : populus verò tanquam discipuli discere et obedire tenentur.

Hocce caput integrum legere operæ pretium est, ut et libri secundi caput tertium.

plecti tenetur. Sed adhibenda cautio duplex. 1. Sic nos affectos esse necesse est, ut opinionem deponamus, et subjiciamus nos ex animo Ecclesiæ, si fortè Ecclesia definiat tandem aliud ab eo quod sentimus. 2. Servanda pax et charitas est cum iis, qui aliud à nobis sentiunt. Nihil enim debet esse antiquiùs pace et charitate. *In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas servetur.* (F)

§. 6. De Necessitate Fidei.

I. Estne fides prorsùs necessaria ad salutem?

R. Necessaria prorsùs. Nulla salus iis, qui firmiter non credunt quidquid credit et docet Ecclesia.

I. Estne necessaria singulis Christianis singulorum fidei capitum cognitio?

R. Necesse est omninò, ut singuli credant in genere quidquid credit Ecclesia; et ex iis nonnulla capita, quæ præcipua sunt, distinctè norint.

I. Quænam illa capita sunt, quæ à singulis distinctè cognosci oporteat?

R. Mysteria sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis Verbi, redemptionis hominum per Christum: quæcunque Apostolorum Symbolo continentur; Præcepta Dei et Ecclesiæ; multa quæ pertinent ad Sacramenta, præsertim ad Baptismum, Eucharistiam et Pœnitentiam. (A) Rem enucleatiùs explico.

(F) S. Aug. *Epist.* 54. *aliàs* 118. *ad Januar. cap.* 2. *n.* 2. *circa finem.* Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum, et propter eorum, inter quos vivitur, societatem servandum est. *Cætera vide suprà* §. 1. *Cap.* 2. *Sect.* 1. *hujusce Partis, litt.* (R)

(A) S. Thom. 2. 2. *Quæst.* 2. *a.* 5. *in conclus.* Tenetur homo explicitè credere omnes fidei articulos, implicitè verò quæcunque in sacra traduntur Scriptura.

In corp..... Quantùm ad prima credibilia, quæ sunt articuli fidei, tenetur homo explicitè credere, sicut et tenetur habere fidem. Quantùm autem ad alia credibilia, non tenetur homo explicitè credere, sed solùm implicitè, vel in præparatione animi, in quantum paratus est credere quidquid divina Scriptura continet: sed tunc solùm hujusmodi tenetur explicitè credere, quando hoc ei constiterit in doctrina fidei contineri.

2. 2. *Quæst.* 2. *art.* 7. *in corp.* Mysterium Incarnationis Christi aliqualiter oportuit omni tempore esse creditum apud omnes: diversimode tamen secundùm diversitatem temporum et personarum. Nam ante statum peccati homo habuit explicitam fidem de Christi Incarnatione, secundùm quod ordinabatur ad consummationem gloriæ, non autem secundùm quod ordinabatur ad liberationem à peccato per passionem et resurrectionem: quia homo non fuit præscius peccati futuri... Post peccatum autem fuit explicitè creditum mysterium Incarnationis Christi, non solùm quantùm ad Incarnationem, sed etiam quantùm ad passionem et resurrectionem, quibus humanum genus à peccato et morte liberatur..... Post tempus autem gratiæ revelatæ, tam majores quàm minores tenentur habere fidem explicitam de mysteriis Christi, præcipuè quantùm ad ea quæ communiter in Ecclesia solemnisantur, et publicè proponuntur, sicut sunt articuli Incarnationis.

2. 2. *Quæst.* 2. *art.* 8. *in corp.* Eodem modo quo mysterium Incarnationis Christi ante Christum fuit explicitè creditum à majoribus; implicitè autem et quasi obumbratè à minoribus; etiam mysterium Trinitatis.

Distinctam articulorum fidei cognitionem majorem minoremve habere tenetur unusquisque pro ratione statûs, conditionis, ingenii, temporis, et cæterorum hujusmodi. Quæ cuique cognitio distincta necessaria sit, difficile est certò statuere. Non hîc quæstio est de iis, quæ ante Christum essent necessariò credenda. Loquimur solùm de Baptizatis quibus adest liber rationis usus. Nullus ex iis salvari potest, quin noverit mysteria sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, et Redemptionis. Tenentur singuli addiscere saltem Præcepta Dei et Ecclesiæ, Symbolum Apostolorum, effectum Baptismi, aliaque multa, quæ pertinent ad sacramenta sive Confirmationis, sive Eucharistiæ, sive Pœnitentiæ, sive Extremæ-unctionis, et ad statûs sui conditionisque rationem et officia.

Hæc dicta intelligantur de rudioribus inter Christianos. Qui enim Religionem penitiùs investigare et cognoscere possunt, nec curant, iis periculosior ignorantia est. Nihil enim est quod nostra pluris intersit, quod ad nos spectet magis, quàm singula nosse, quæ Ecclesia credit, et omnium Ecclesiæ observationum rituumque rationes investigare. Id si ita est, mirum plerosque Christianorum torpere oscitanter ignorantiâ supinâ, cujus valdè timendus ipsis exitus est in tremendo Dei judicio. Quod conterunt tempus ludis, nugis, inanibus colloquiis, voluptatibus, id si in Religionibus studio collocarent, esset hæc illis et facilis et jucunda et utilis occupatio. Non est quod ignorantiam excusent suam.

I. Estne in omnibus Catholicis fides eadem?

R. Eadem est quantùm ad substantiam : idem enim credunt. Non est eadem quantùm ad modum : alii enim firmiùs, alii remissiùs credunt. Est in aliis fides viva, in aliis fides mortua.

I. Quid per fidem vivam, quid per fidem mortuam intelligis?

R. Fides viva ea est, quæ operibus confirmatur ; fides mortua ea est, quæ operibus destituitur.

Fidem habet vivam, qui operatur ex fide, qui quod credit, id agit : verbi gratiâ, qui non diligit mundum, quia

Et ideò, etiam post tempus gratiæ divulgatæ, tenentur omnes ad explicitè credendum mysterium Trinitatis : et omnes qui renascuntur in Christo, hoc adipiscuntur per invocationem Trinitatis.

Actorum MEDIOLANENSIS ECCLES. *Pars* 4. *sive* S. CAROLI *Instructiones ad Confessarios*, *pag.* 431. *col.* 2. *edit. Lugd. ann.* 1683. Confessarius quisque antequam confessionem audiat, efficiat ut pœnitens, ipso audiente, recitet Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum fidei ac Decalogum, ad præscriptum Concilii Provincialis V. nisi ejus recitationis certis personis aliquando remittendæ facultatem habeat, ut VI. Provinciali Concilio, ei diœcesano XI. permissum est : cùm iis verò qui ea capita recitare nesciunt, aut difficilè discere possunt, agat ad præscriptum eorumdem Conciliorum.

At verò omninò perquirat, si rudes quidam homines ad confessionem accedentes fidei articulos ignorent, et si opus esse viderit, eos doceat, ita ut explicitè eos et intelligenter sciant, non autem quasi recitantes tantùm.

credit verum esse quod dicit Joannes Apostolus (1. *Epist.* II. 15.) *Nolite diligere mundum. Amicitia hujus mundi, inimica est Dei*, inquit S. Jacobus. (IV. 4.)

Fidem mortuam habet, verbi gratiâ, qui cùm profiteatur credere se fugiendam esse hujus quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem, non eam tamen fugit, sed sequitur. (B)

I. Estne prorsùs necessaria fides viva ?

R. Est prorsùs. *Justus ex fide vivit.* (*Rom.* I. 17.) Qui non vivit ex fide, justus non est. Ideò tot Christiani ruunt in damnationem, quia fides eorum mortua est. (C)

§. 7. De Peccatis Fidei oppositis. Item de signis Fidei, maximèque de Signo Crucis.

I. Quot sunt genera peccatorum contra fidem ?

R. Quatuor sunt.

1. Infidelitas. Quo peccato tenetur quisquis non credit omnia et singula, quæ fides docet. Tales sunt, Ethnici, Judæi, Hæretici.

2. Apostasia, id est, exterior defectio à fide. Quo peccato tenentur non solùm qui fidem abjurant, sed etiam qui simulant non esse se fideles ; vel qui non audent fidem exteriùs profiteri, cùm necessitas incumbit.

3. Dubium voluntarium in rebus fidei. Quo peccato tenetur, quisquis sciens et volens dubitat de iis, quæ certò credenda sunt.

4. Ignorantia. Quo peccato tenentur, qui præ sua negligentia non noverunt ea, quæ credere tenentur.

I. Ergo non sufficit interiùs credere quod credit Ecclesia ?

R. Non sufficit : sed facienda exterior professio fidei cùm necessitas incumbit. *Corde enim creditur ad justitiam*, inquit Apostolus (*Rom.* X. 10.) *ore autem confessio fit ad salutem.* Et Christus hæc ait (*Matth.* X. 32. 33.) *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Pa-*

(B) JACOB. II. 20... Fides sine operibus mortua est... 26. Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est ; ita et fides sine operibus mortua est. S. IGNATIUS MARTYR. *in Epist. interpolata ad Ephesios.* Melius est igitur tacere et esse, quàm dicere et non esse : quia *non in verbo est regnum Dei, sed in virtute. Corde enim creditur ad justitiam ; ore autem confessio fit ad salutem.* Bonum est igitur docere : sed si fecerit ea quæ dixerit : *Qui* enim *docuerit et fecerit*, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. *Et rursùs.* Dignum est, non solùm vocari nos Christianos, sed etiam esse. Non enim dicere, sed esse facit beatum.

(C) JACOB. II. 14. Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat ? Nunquid poterit fides salvare eum ? 15. Si autem frater, et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano, 16. dicat autem aliquis ex vobis illis : Ite in pace, calefacimini et saturamini : non dederitis autem eis, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit ? 17. Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsâ. 18. Sed dicet quis : Tu fidem habes, et ego opera habeo, ostende mihi fidem tuam sine operibus : et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. 19. Tu credis quoniam unus est Deus : benè facis : et dæmones credunt, et contremiscunt.

tre meo, qui in cœlis est: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.

I. Quomodo fidem profitemur coram hominibus?

R. Id triplici ratione fieri potest.

1. Si verbis et moribus ubique profiteamur nos esse Christianos, neque erubescere Evangelium.

2. Si ubi necessitas incumbit, palàm et apertè reddamus vel Symbolum Apostolorum, vel aliam fidei formulam: profiteamurque id nos credere.

3. Si signemus nos signo crucis, quod compendiaria fidei professio est.

Hoc autem signum duplici ratione fit, ut norunt omnes.

1. Manum dextram admovendo ad frontem, dein ad stomachum, tum ad summitatem brachiorum à sinistra et à dextera parte: simulque dicendo, *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti.*

2. Fit signum crucis dum figura crucis † manu, digitove exprimitur.

I. Cur institutum est signum crucis?

R. 1. Ut continuò revocemus in memoriam præcipua fidei nostræ mysteria, Trinitatem, Incarnationem, Redemptionem. Verbis enim cum hoc signo conjunctis sanctissimam Trinitatem invocamus per merita Filii Dei incarnati, et pro nobis in cruce mortui.

2. Ut hoc signo faciamus externam fidei nostræ professionem circa mysteria hæc tria.

3. Ut verbis cum hoc signo conjunctis gratiam et benedictionem sanctissimæ Trinitatis per Christi merita ad nos vocemus. Proindè elevanda ad Deum mentis intentio est, quoties frontem crucis signaculo terimus.

I. Quandonam faciendum est signum crucis?

R. Jam ab Apostolorum temporibus Christiani, quorum hâc in parte exemplum sequi maximè expedit, hoc signum faciebant ante omnem orationem, ante quemlibet progressum, quemlibet actum alicujus momenti, in quibuslibet periculis, tentationibus, etc. (A)

(A) TERTULLIAN. *Lib. de Coronâ milit. cap.* 3. Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum et exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. *Lib.* 2. *ad uxorem, cap.* 5. Latebisne tu, cùm lectulum, cùm corpusculum tuum signas?

S. CYRILLUS HIEROSOLYM. *Catechesi* 4. *n.* 10... Ne ergo Christi crucem erubescamus, sed si quis alius abscondat, tu palàm ad frontem obsignato, ut dæmones regium signum intuentes, tremuli procul aufugiant. Signo autem isto utere, tum edens ac bibens, tum sedens ac cubans, de lecto surgens, loquens, ambulans, et ut semel dicam, in omni negotio.

Cateches. 13. *n.* 11... Accipe arma contra adversarios hujus crucis. Trophæum statuas fidem crucis adversùs contradicentes. Cùm enim de Domino, cruceque contra infideles quæstio tibi erit, priùs statue manu tuâ signum: et obmutescet contradicens. Non pudeat crucem Christi confiteri: Angeli enim gloriantur, dicentes (*Matth.* XVIII. 5.): *Jesum crucifixum quæritis*... Corona enim est crux, et non ignominia.

N. 18. **Non pudeat igitur nos crucifixum confiteri, sed in fronte confidenter signaculum crucis digitis imprimatur, et in aliis omnibus crux fiat: in panibus comedendis, et in poculis bibendis, et in egressu et ingressu, ante somnum, recumbendo, et surgendo, eundo, et quiescendo. Magna hæc est custodia, quæ propter pauperes gratis datur: sine labore propter infirmos, cùm à Deo sit hæc gratia, signum fidelium, et timor dæmonum: triumphavit enim de illis in hoc signo. Ostenta illud audacter: quando enim viderint crucem, recordantur crucifixi. Metuunt eum qui contrivit capita draconis. Neque propterea, quod est gratuitum, contemnas hoc signaculum: sed ideò magis venerare benefactorem.**

N. 19. *in fine.* **Trophæum Jesu salutare, crux omnes congregavit. Hoc Persas servire fecit..... hoc ad hodiernum usque diem curat morbos, dæmones fugat, et veneficiorum incantationumque avertit imposturas: hoc cum Jesu apparebit in cœlo: præcedet enim Regis trophæum, ut videant quem pupugerunt, et à cruce agnoscant quem contempserunt.**

S. EPHREM. *de Juliano anachoretâ, init. p.* 582. *col.* 1. **Dæmon, conspecto crucis signo, quo puer amictus ac consignatus erat, non est ausus ei nocere.**

Serm. in pretiosam et vivificam crucem Domini, p. 537. *col.* 2. *circa medium.* **Depingamus et insculpamus in januis nostris, et in frontibus, et oculis, et in ore, ac pectore, in omnibus membris nostris vivificum hoc signum. Hâc ornemur, atque armemur invincibili Christianorum armaturâ: quippe quæ victrix est mortis, spes mundi, lux finium orbis terræ, reseratrix paradisi, propulsatrix atque destructrix hæresum, firmamentum orthodoxæ fidei; magna, salutarisque custodia, gloria perpetua orthodoxorum Ecclesiæ. Hanc igitur, ô Christiane, armaturam singulis diebus ac noctibus, horis atque momentis circumferre, omni in loco non omittas. Nihil absque eâ peragas: sed sive dormias, sive expergiscaris, sive operi insistas, sive comedas, sive bibas, sive iter agas, sive per mare naviges, sive flumen trajicias, sive quid aliud agas; omnia membra tua, salutari ac vivifico hoc crucis signaculo semper consignes atque communias: et nunquam timebis à timore nocturno, aut à sagitta volante per diem, à negotio perambulante in tenebris, à ruina, et dæmonio meridiano. Hujus propugnaculo si adjutus fueris, non accedent ad te mala, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Nam, hoc signo conspecto, cunctæ mox adversariæ potestates perterrefactæ declinant, atque recedunt. Hoc idolorum errorem pessumdedit, hoc orbem terrarum sanctificavit, hoc tenebras depulit, et lucem restituit. Hoc gentes ab ortu solis et occasu, à septentrione et meridie collegit, et in unam Ecclesiam, in unam fidem, in unum Baptisma, in charitate conjunxit. Hoc Orthodoxorum inexpugnabilissimus murus est. Crux, spes Christianorum. Crux, resurrectio mortuorum. Crux, claudorum baculus. Crux, pauperum consolatio. Crux, frenum divitum. Crux, superborum eversio. Crux, triumphus adversùs dæmones. Crux, juvenum pædagogus. Crux, inopum abundantia, desperatorum spes, navigantium gubernatio. Crux, fluctuantium portus, oppugnatorum murus. Crux, orphanorum ac pupillorum pater, justorum consiliarius. Crux, afflictorum consolatio et sublevamen. Crux, infantium custos, virorum caput, senum corona. Crux, lumen eorum qui in tenebris sedent, et Regum magnificentia. Crux, servorum libertas, imperitorum sapientia, et Barbarorum philosophia. Crux, Prophetarum prædicatio, Apostolorum congregatio, et Martyrum gloriatio. Crux, Virginum pudicitia, et Sacerdotum gaudium. Crux, Ecclesiæ fundamentum, ac orbis terrarum securitas: templorum Idolorum destructio, et Judæorum scandalum. Crux, imbecillorum fortitudo ac firmitas, et ægrotorum medicina. Crux, cibus esurientium, et fons sitientium. Crux, Monachorum fiducia, et nudorum tegumentum.**

De Panoplia seu armatura spiritali, p. 369. *col.* 1. *circa finem.* **Cæterum vice sculi, crucis signo te ipsum muni: signans eo membra tua omnia, et cor tuum. Neque verò solâ manu te signes: sed etiam animo: et studia tua, et ingressum tuum, et exitum tuum, in omni tempore: sessionem quoque tuam, et resurrectionem tuam, et lectulum tuum, et quæcunque pertransis, signa primùm in nomine Patris, et Filii, et**

I. Quisnam hoc signum instituit ?

R. Hoc signum ab Apostolis ipsis, institutum fuisse, certâ Traditione constat. Hoc enim in usu est, et fuit semper in omnibus omninò Ecclesiis, et apud omnes omninò cujuscunque regionis, cujuscunque ætatis Christianos. Id manifestè demonstratur ex Tertulliano, Lactantio, S. Athanasio, S. Basilio, S. Gregorio Nysseno, S. Gregorio Nazianzeno, S. Chrysostomo, S. Ambrosio, S. Hieronymo, S. Augustino, S. Paulino, S. Ephrem, S. Cyrillo Hierosolymitano, cæterisque omnibus, quos sigillatim enumerare superfluum est. (B) Horum testimonia perspicua sunt, decretoria, omni

Spiritûs sancti. Validissima quippe ejusmodi armatura est : nullusque tibi unquàm nocere poterit, si eâ munitus fueris. Nam si quis terreni Regis signaculum defert, eum lædere nullus audeat, quantò magis nos, qui tale cœlestis Imperatoris signum ferimus, neminem metuere possumus. Hisce ergo armis..... utere : sunt enim vehementer contraria telis inimici.

Vide infrà hocce §. *litt.* (B) HIERON. *et alios.*

(B) S. IGNATIUS MARTYR *in Epist. ad Philipp. ipsi falsò adscripta.* Princeps mundi in hoc gaudet, quando quis crucem negaverit. Interitum enim sibi ipsi esse cognoscit confessionem crucis. Hoc est enim trophæum contra ejus virtutem : quod videns expavescit, et audiens timet... Initium enim illi fuit ad damnationem crux Christi, principium mortis, initium perditionis.

TERTULL. *de Coronâ milit. c.* 3. *Vide suprà litt.* (A) *hocce* 2.

Lib. 5. *contra Marcionem, c.* 22.. Illa nota,.. de quâ Ezechiel (IX. *h.*).. *Da signum Tau in frontibus virorum.* Ipsa est enim littera Græcorum Tau, nostra autem T, species crucis, quam portendebat futuram in frontibus nostris, apud veram et Catholicam Jerusalem, in quâ fratres Christi, filios scilicet Dei, gloriam Patri Deo relaturos Psalmus vigesimus primus canit ex persona ipsius Christi ad Patrem, Enarrabo nomen tuum fratribus meis : in medio Ecclesiæ hymnum tibi dicam.

LACTANT. *divinarum Institutionum, lib.* 4. *c.* 26... Quòd verò ad crucem spectat, magna in eâ vis... Extendit ergo (Christus) in passione manus suas, orbemque dimensus est, ut jam tunc ostenderet, ab ortu solis usque ad occasum, magnum populum ex omnibus linguis et tribubus congregatum, sub alas suas esse venturum, signumque illum maximum, atque sublime frontibus suis suscepturum. Cujus rei figuram Judæi etiam nunc exhibent, cùm limina sua de cruore agni notant..... Nam agnus candidus, sine macula, Christus fuit, id est, innocens, justus, et sanctus, qui ab iisdem Judæis immolatus, saluti est omnibus, qui signum sanguinis, id est, crucis, qua sanguinem fudit, in sua fronte conscripserint... Sed tùm figura valuit in præsenti ad depellendum periculum, ut appareret, quantùm veritas ipsa valitura sit, ad plebem Dei protegendam, in extrema totius orbis necessitate.

Cap. 7. Quanto terrori sit dæmonibus hoc signum, sciet qui viderit, quaicnùs adjurati per Christum, de corporibus quæ obsederint, fugiant. Nam sicut ipse, cùm inter homines ageret, universos dæmones verbo fugabat ; hominumque mentes emotas, et malis incursibus furiatas, in sensus pristinos reponebat : ita nunc sectatores ejus, eosdem spiritus inquinatos, de hominibus, et nomine magistri sui, et signo passionis excludunt. Cujus rei non difficilis est probatio : nam cùm diis suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant, nec responsa potest consultus reddere vates. Et hæc sæpè causa præcipua justitiam persequendi, malis Regibus fuit. Cùm enim quidam ministrorum nostrorum sacrificantibus dominis assisterent, impositio frontibus signo, Deos eorum fugaverunt, ne possent in visceribus hostiarum futura depingere.

S. ATHANASIUS *Homil. de Passione et cruce Domini, n.* 30. Peccatum à quo pridem superabantur Gentiles, jam signo crucis vincunt ludibrioque habent.

Lib. de Virginitate, *n.* 13. Porrò cùm in mensâ sederis, cœperisque frangere panem, ipso ter consignato signo crucis „.... gratias age.

Serm. qui reperitur in tom. 3. *Athanasii edit. BB. pag.* 469. *n.* 2. Cùm manè surrexeris figuram venerandæ et vivificæ crucis omnibus tuis facito membris, et dum ambulas, decumbis, surgis, semper dicito, Domine Jesu Christe adjuva me.... et observa quandonam à te diabolus fugiat, tùm scilicet maximè cùm viderit crucis typum in fronte, in ore et in corde tuo.

Oratione contra Gentes, *n.* 1. Cruce erectâ, universa idololatria eversa est: hoc signo omnes dæmonum præstigiæ fugantur, solusque Christus adoratur.

De Incarnatione Verbi Dei, *n.* 29.... Testes esse merentur homines, singulis victoriam adversùs mortem tribuere et concedere, illamque omnibus, qui ejus fidem habent, et crucis signum gerunt, infirmare.

N. 47. Olim dæmones variis spectris hominum mentes decipiebant, fontibusque et fluviis, lignis aut lapidibus insidentes, stultos mortales præstigiis percellebant: jam verò post divinum Verbi adventum evanuerunt ejusmodi fallaciæ. Siquidem, solo crucis signo adhibito, omnes illæ dæmonum fraudes repelluntur.

N. 48. Veniat et quisquis ea quæ diximus experiri cupit, atque in mediis ipsis dæmonum præstigiis et oraculorum fallaciis ac magiæ prodigiis signo crucis, quæ apud ipsos ludibrio est, utatur, solumque Christum nominet: mox videbit, quàm citò per ipsum fugentur dæmones, cessent oracula, ars omnis magica, veneficiaque evanescant.

In Vita sancti Antonii, *n.* 13.... Obsignate vos, aiebat, et cum fiducia abscedite, siniteque illos (dæmones) sibi ipsis illudere. Tùm abibant illi signo crucis muniti, ille verò (Antonius) remanebat, nihil læsus à dæmonibus, neque ejusmodi certaminibus defatigatus.

S. Antonius *Orat. ad Monachos quam S. Athanas. in ipsius vita exscripsit.* Solent, inquit, saucii (dæmones) gravius assurgere, et mutatâ arte pugnandi, cùm cogitatione nihil egerint, pavoribus terrent, assumentes nunc mulierum, nunc bestiarum, nunc serpentium formas, necnon et ingentia quædam corpora, et usque ad tectum domûs porrectum caput, infinitas species, et militum catervas. Quæ omnia ad primum quoque crucis signum evanescunt.

S. Basilius *Lib. de Spirit. sanct. cap.* 27. Si consuetudines quæ scripto proditæ non sunt, tanquam haud multum habentes momenti, conemur rejicere, imprudentes gravissimum Evangelio detrimentum inferemus, imò potiùs ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. Quod genus est, ut ejus quod primum est et vulgatissimum primo loco commemorem: ut signo crucis eos, qui spem collocarunt in Christum, signemus, quis scripto docuit?

S. Greg. Nyss. *de Vita Gregorii Thaumaturgi*, *tom.* 2. *pag.* 980. *edit. ann.* 1638. *p.* 548. *tom.* 3. *mihi pag.* 980. Cùm se recepisset, (*Gregorius Thaumaturgus*) cum comitibus in illud templum, dæmones quidem statim invocatione nominis Christi perterrefecit: figurâ autem crucis nidoribus inquinatum aera cùm expiasset atque lustrasset, quod facere solitus erat, noctem totam orationibus et laudum decantationibus pervigilem transegit, adeo ut in domum orationis transformaretur ædes illa.

De Vita S. Macrinæ. Vide infrà litt. (C)

S. Greg. Nazianz. *Adversùs iram. Iambic.* 21.

Signare mox te, sis memor sanctâ cruce,
Quam cuncta metuunt, ac tremunt: quâ præside
Adversùs omnes semper usum me scio.
Carmina varia. c. 21.
..... Diffuge jam jam: (*Dæmon*)
Ne cruce, quam metuunt omnia, te feriam.
Namque crucem in membris medioque in corpore gesto,
Inque viis: crux est lausque decusque meum.
Carm. 61. *ad Nemesium.*
Nec mirum. Namque ipse etiam, sors inclyta Christi,
Prolato ipsius vel solo nomine sæpè
Dæmonas ejeci, stridentes atque gementes,
Clamantesque Dei robur dominantis Olympo.

Aëra vel medium signo crucis ipse notavi,
Illustremque tulit typus hic ex hoste triumphum.
Mosis ut in manibus sancta pro gente precantis.

Oratione 3. *adversùs Julianum. pag.* 71. *edit. Paris. ann.* 1609. **Quod** autem à pluribus commemoratur, nec à fide alienum est, oratione persequor. (Julianus) descendebat in quoddam adytum plerisque inaccessum et horrendum, comitem.... habens.... hominem in ejusmodi rebus sapientem vel potiùs sophistam.... Ut autem egregium virum (Julianum) progredientem terrores adoriri cœperunt, ac subindè plures, et formidabiliores, (sonos quosdam insuetos, aiunt, tetrosque odores, atque ignea spectra et nescio quas nugas et deliramenta) rei novitate perculsus, (harum enim rerum studium serò amplexus fuerat) ad crucem, vetusque remedium confugit, hocque se adversùs terrores consignat, eumque, quem persequebatur, opitulatorem adsciscit. Ac quæ sequuntur, magis tremenda. Valuit signaculum, cedunt dæmones, pelluntur timores. Quid deindè? Respirat malum: rursùs audaciam concipit, rursùs aggreditur, rursùs iidem terrores urgent, rursùs signum adhibetur, ac dæmones conquiescunt.

S. Chrysost. *Homil.* 55. *in Matth. c.* 16. Neminem igitur pudeat horum salutis nostræ Symbolorum, atque signorum. Passio certè Domini nostræ beatitudinis caput est atque origo, quâ vivimus, et per quam sumus. Sed veluti coronam sic læto animo crucem Christi circumferamus. Omnia enim quæ ad salutem nostram conducunt, per ipsam consummantur. Nam cùm regeneramur crux Domini adest, cùm sacratissimo alimur cibo, cùm in ordine consecrandi statuimur, ubique ac semper ad victoriæ insigne nobis assistit: quapropter et in penetralibus, et in parietibus, et in fenestris, et in fronte quoque ac mente magno studio crucem inseramus. Id enim salutis nostræ, id communis libertatis, id mansuetudinis atque humilitatis Domini signum... Quando igitur cruce te signas, universam tecum crucis causam verte, et iræ ac reliquarum passionum incendia exstingue: quando te cruce signas, magnâ tuam frontem arma fiduciâ,.... crucem.... non simpliciter digito in corpore, sed magnâ profectò fide in mente formare oportet. Nam si hoc modo eam impresseris, nullus scelestorum dæmonum cùm hastam videat, quâ lethale vulnus suscepit, congredi tecum audebit.

S. Ambros. *Epist.* 72. *aliàs* 77. *ad Constantium, n.* 12. Sed jam levi circumcisionis dolore non opus est Christiano populo, qui mortem Domini circumferens, per momenta singula fronti propriæ mortis contemptum inscribit, utpote qui sciat sine cruce Domini salutem se habere non posse.

S. Hieronym. *Epist.* 18. *aliàs* 22. *ad Eustochium.* Cùm te in lectulo compositam dulcis libidinum pompa concusserit, arripe scutum fidei, in quo ignitæ diaboli exstinguuntur sagittæ.... ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat crucem.

Epist. 1. *ad Heliodorum.* Crux antennæ figatur in frontibus.

Epist. 7. *aliàs* 8. *ad Demetriadem.* Crebro signaculo crucis munias frontem tuam.

Epist. 86. *aliàs* 27. *ad Eustochium.* Cùm os, stomachumque signaret, et matris dolorem crucis niteretur impressione lenire,.... digitum ad os tenens crucis signum pingebat in labiis.

S. Aug. *l.* 1. *Confess. c.* 11. *n.* 17.... Signabar jam signo crucis ejus, et condiebar ejus sale.

Tract. 118. *in Joan. n.* 5.... Quid est, quod omnes noverunt, signum Christi, nisi crux Christi? Quod signum nisi adhibeatur, sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ ex qua regenerantur, sive oleo quo chrismate unguntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.

Enarr. 3. *in Psal.* 30. *n.* 8. Certè omnes Christiani sumus, vel Christiani omnes dicimur, et omnes Christi signo signamur.

Enarr. 4. *n.* 7. Non sine causâ signum suum Christus in fronte nobis figi voluit, tanquam in sede pudoris, ne Christi opprobria Christianus erubescat.

Serm. 2. *in Psal.* 36. *n.* 4. Crux honorata est, et.... à locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum.

Enarr. 1. *in Psal.* 68. *n.* 12.... Quid times fronti tuæ, quam signo crucis armasti?

exceptione majora. Nec possunt in sceleris sui defensionem ullum ex antiquis scriptoribus proferre testimonium Neoterici, qui signum hoc tantâ antiquitate, tantâ auctoritate commendatum abrogare non erubuerunt. Non possunt ergo effugere infandæ temeritatis notam. Qui res singulas attentè animoque libero et integro perpenderit, is vel ex hoc uno planè intelliget, profectò non fuisse Spiritu Dei afflatos qui se fidei reformatores ore blasphemo jactitarunt.

I. Verumne est quod effertur, per signum crucis, si cum fide fiat, expelli dæmones, aliaque multa mira præter naturæ ordinem fieri?

R. Verum prorsùs. Multa id genus miracula facta fuisse referunt SS. Patres, qui primis Ecclesiæ seculis floruere.

Refert Lactantius, (*Divin. Inst. lib.* 4. *c.* 27.) consultum ab Imperatore dæmonis oraculum non ausum fuisse respondere quidquam coram Christiano, qui se crucis signo munierat. Julianum Apostatam S. Gregorius Nanzianzenus ait, (*Orat.* 3. *adv. Julian.*) dum quibusdam magicis operationibus vacaret, subito terrore correptum impressisse sibi signum crucis, statimque evanuisse spectra omnia. Alia multa illustriora miracula per signum crucis facta fuisse leguntur apud S. Athanasium in vitâ S. Antonii; apud S. Hieronymum, in vitâ S. Pauli primi Eremitæ, item in vitâ S. Hilarionis; apud Theodoretum, in historia Ecclesiastica, et in vitis sanctorum Juliani, Marciani, Aphraat, Macedonii, Petri; apud S. Sulpitium Severum in vitâ S. Martini; apud S. Augustinum libro 8. de Civitate Dei, cap. 28. apud Victorem Vitensem in historia persecutionis Wandalicæ. Hæc testimonia venerandæ antiquitatis, hæc miracula scriptis

In Psal. 85. *n.* 14. Christianum te dicis (*ad Donatistam loquitur*) ut invideas gloriæ Christi, cujus signum te in fronte portare asseris, et de corde perdidisti?

S. Paulinus hymno 8. *de sancto Felice Poemat.* 23. *versu* 106.

Nos crucis invictæ signum, et confessio munit.

S. Cyrillus Alexand. *Contra Julianum lib.* 6. *pag.* 194. *t.* 6. (Julian.) *Crucis lignum adoratis, ejusque signa in fronte formatis, et vestibulis ædium insculpitis?* R. Cyrill. p. 195. Quibus (nobis Christianis) nihil prius aut antiquius est, quàm ut frontes ac domos omninò signo pretiosæ crucis informent.... siquidem servator omnium.... crucem perpessus est, ignominiâ contemptâ, ut corruptionis vim retunderet.... ut mortis laqueis genus hominum exsolveret, ut tyrannidem peccati, quod nos opprimebat everteret, ut sævientem in membris carnis legem sedaret, et spiritales faceret adoratores.... Horum nobis omnium salutare lignum memoriam excitat, ac in eam prætereà cogitationem nos adducit, unum, ut sapientissimus Paulus ait, pro omnibus mortuum esse.... Quocircà nos honorandæ crucis lignum boni omnis ac virtutis admonitionem facimus.

In Actis S. Euplii *apud* Theodor. Ruinart, *anno* 294. *pag.* 439. *Dicitur S. Euplius* libera manu signasse sibi frontem, *antequam interroganti Præsidi responderet.*

Ibid. Acta S. Theodoti Ancyrani. *ann.* 303. *pag.* 362. Crucis signum suæ quisque impressit fronti, et mox apparuit eis crux illustris, quæ videbatur ex parte Orientali radium ignitum emittere: ad quam apparitionem mixtus gaudio timor fuit, et genibus flexis adoraverunt versùs locum, undè crux apparebat.

mandata per viros sanctitate conspicuos, testes utique locupletissimos, quorum nomen est vel ipsis Protestantibus venerabile, multùm conferunt ad fidem miraculorum, quæ per signum crucis facta fuisse leguntur apud Scriptores recentiores, quorum hic seriem referre nimis longum esset. (C)

(C) LACTANTIUS *seu* AUCTOR *Libri de Mortib. Persecutorum cap.* 10. Cùm (Maximianus) ageret in partibus Orientis, ut erat pro timore scrutator rerum futurarum, immolabat pecudes, et in jecoribus eorum ventura quærebat. Tùm quidam ministrorum scientes Dominum, cùm assisterent immolanti, imposuerunt frontibus suis immortale signum. Quo facto, fugatis dæmonibus, sacra turbata sunt. Trepidabant aruspices, nec solitas in extis notas videbant; et quasi non litassent, sæpiùs immolabant. Verùm identidem mactatæ hostiæ nihil ostendebant.

S. AUG. *de Civit. Dei, lib.* 22. *c.* 8. *n.* 3. Carthagine Innocentia.... in mamilla cancrum habebat: rem, sicut medici dicunt, nullis medicamentis sanabilem.... Hoc illa à perito medico et suæ domui familiarissimo acceperat, et ad solum Deum se orando converterat. Admonetur in somnis, appropinquante Paschâ, ut in parte feminarum observanti ad baptisterium, quæcunque illi baptizata primitùs occurrisset, signaret ei locum signo Christi: fecit, et confestim sanitas consecuta est. Medicus... cùm inspexisset eam postea, et sanissimam comperisset, quam priùs habere illud malum tali inspectione cognoverat, quæsivit ab ea vehementer quid adhibuisset.... Cumque ab ea quid factum esset, audisset... Putabam, inquid, magnum aliquid te mihi fuisse dicturam. Atque.... mox addidit: Quid grande fecit Christus sanare cancrum, qui quatriduanum mortuum suscitavit?

S. GREG. NAZ. *Orat.* 9. *in laudem Patris.* Visum est ipsi me.... noctu repentè supervenientem cum canistro, panibusque in primis candidis, pro meo more benedictis, atque cruce consignatis, eam aluisse, sicque convaluisse ac vires collegisse.

Orat. 3. *in Julianum. Vide suprà litt.* (B) *hocce §.*

S. HIERONYM. *in vita S. Pauli.* Conspicit hominem equo mixtum, cui opinio Poëtarum hippocentauro vocabulum indidit. Quo viso salutaris impressione signi armat frontem: et heus tu, inquit, quanam in parte hic servus Dei habitat? At ille barbarum nescio quid infrendens; et frangens potiùs verba, quàm proloquens, inter horrentia ora satis blandum quæsivit alloquium.

In vita S. Hilarion. tom. IV. *pag.* 76. Quadam nocte, infantum cœpit audire vagitus; balatus pecorum; mugitus boum; planctum quasi muliercularum; leonum rugitus; murmur exercitûs; et rursùs variarum portenta vocum, ut ante sonitu quàm aspectu territus cederet. Intellexit dæmonum ludibria; et provolutus genibus, Christi crucem signavit in fronte; talique armatus casside, et lorica fidei circumdatus, jacens fortiùs præliabatur: quodammodo videre desiderans, quos horrebat audire, et solliciti oculis huc illucque circumspiciens. Cùm interim ex improviso, splendente lunâ, cernit rhedam ferventibus equis super se irruere: Cumque inclamasset Jesum, ante oculos ejus, repentino terræ hiatu, pompa omnis absorpta est.

Pag. 88. Ea tempestate, terræ motu totius orbis, qui post Juliani mortem accidit, maria egressa sunt terminos suos... Quod cùm viderent Epidauritani, frementes fluctus et undarum moles, et montes gurgitum littoribus inferri, verentes quod jam evenisse cernebant, ne oppidum funditùs subverteretur, ingressi sunt ad senem: et quasi ad prælium proficiscentes, posuerunt eum in littore. Qui cùm tria crucis signa pinxisset in sabulo, manusque contra tenderet, incredibile dictu est in quantam altitudinem intumescens mare ante eum steterit: ac diù fremens, et quasi ad objicem indignans, paulatim in semetipsum relapsum est.

S. ATHANAS. *In vita S. Antonii num.* 13. *Vide suprà litt.* (B) *hocce §. Alia loca exscribere supersedemus.*

S. GREGOR. NYSS. *De vita S. Gregor. Thaumat. t.* 2. *p.* 1004. *et* 1005. Do-

minabatur autem in illo loco dæmon quidam homicida, in balneo versari solitus: cujus perniciosa atque pestifera vis in tenebris adversùs propinquantes exercebantur, nemoque eò accedere id temporis solebat, ad quas stans Diaconus (Gregorii Thaumat.) præfectum loci rogabat, ut ostium aperiret... At balneator in lucro ponens, si non unà cum imperito hospite periclitaretur, cùm clavem ei tradidisset, procul à lavacro discedit: posteaquàm autem nudatus intùs erat, multiplices quædam terrorum et concussionum materiæ à dæmonio instruebantur, spectra varia igni fumo mixtam naturam præ se ferentia in forma hominum et ferarum oculis incidentia, auribus insonantia, anhelitu appropinquantia, undique corpori se circumfundentia. At ille signum (crucis) aute sese objiciens, Christique nomen invocans, primum conclave illæsus transivit: ad interiorem autem partem ædium progressus, in molestiora incidit spectacula, in terribiliorem faciem transformato dæmonio: et simul terræ motu conculi conclave ei videbatur, adeò, ut etiam solum infrà ruptum, flammam, quæ subtùs esset, nudam conspiciendam præberet: scintillæque flammæ ab aquis emitterentur, ac rursùs eisdem signo (crucis scilicet) et nomine Christi, præsidioque precum magistri terrores earum rerum, quæ tum apparebant, tum fiebant, discussit: cumque jam aquà recreatus exire festinaret, rursùs prohibebatur à dæmone, qui ostium occupaverat. Verùm etiam hoc rursùs impedimentum per eamdem vim sponte suâ januâ cedente, signo (crucis) discutiebatur.

In vitâ S. Macrinæ Virg. sororis S. Basilii, tom. 2. p. 179. Oculis et ori et cordi crucis signum apposuit... è collo pendet ferreum crucis signum et annulus quidam ex eadem materia... excavatus est annulus, ibique de ligno vitæ particulam conditam habet... sibi ad expellendum morbum satis esse si manu suâ mater ipsa locum sancto signo muniret. Cùm igitur mater in sinum ejus manum intulisset, ut eam partem signaret, signum quidem egit, morbus autem abiit.

Theodor. *Ecclesiast. histor. lib.* 5. *cap.* 21. Præfectus igitur templum Jovis, quod amplissimum erat et variis ornamentis decoratum, destruere aggressus est. Sed cùm operis structuram admodùm firmam ac solidam esse deprehendisset, nullâ vi humanâ dissolvi posse lapidum compagem judicavit... Marcellus... (Apamæensium Episcopus) Deum precatus est, ut quomodo destruendum esset ædificium indicaret. Manò igitur quidam ad eum ultrò accessit.... levi negotio destructurum se templum spopondit... Templum in vertice positum, porticum ex quatuor lateribus ipsi cohærentem habebat. Columnæ verò maximæ erant, templique altitudinem æquabant. Singularum ambitus sexdecim erat cubitorum. Lapidis verò natura erat firmissima, et quæ lapicidarum instrumentis haud facilè cederet. Harum igitur singulas cùm in orbem suffodisset, et suppositis oleaginis lignis eas suffulsisset, ab una ad aliam transibat. Hac ratione cùm tres jam columnas suffodisset, ignem lignis subjecit. Sed dæmon quidam atri coloris apparens, et flammæ vim cohibens, materiam ab igne, sicut natura fert, consumi non sinebat. Cùm igitur id sæpiùs moliti, inutilem esse conatum suum perspicerent, Episcopo post meridiem dormienti eam rem indicarunt. Is confestim ad Ecclesiam progressus, aquam in vasculo afferri jussit. Et aquam quidem sub altari posuit. Ipse verò frontem solo affixam habens, clementem Dominum orabat ne dæmonis tyrannidem ulteriùs pateretur; sed tum imbecillitatem illius ostenderet, tum potentiam suam declararet, ne fortè incredulis gravioris damni occasio ex eo nasceretur... Hæc et hujusmodi alia cùm dixisset, crucisque signo aquam signasset, Equitio cuidam Diacono, qui fide ac zelo munitus erat, præcepit ut aquam acciperet, et ociùs ad locum properans, eam cum fide spargeret, ignemque admoveret. Quo ita facto, dæmon aquæ vim non ferens aufugit. Ignis verò aquâ ipsi contrariâ, non secùs ac oleo excitatus, et materiam apprehendit et momento temporis eam consumpsit. Ita columnæ (Templi Jovis) combustis quibus fulciebantur lignis, et corruerunt ipsæ, et duodecim alias eàdem ruinâ secum traxerunt, sed et templi latus, quod columnis cohærebat, illarum vi simul tractum concidit.

In Relig. Histor. cap. 2. *de vita S. Juliani, paulò post initium.* (Jacobus) cum magno sene (Juliano Saba) iter faciens per desertum, eminùs se-

quebatur.... Sequens igitur, draconem maximum conspicit in via. Quem jacentem contemplans, progredi non audebat: declinare autem præ metu cùm vellet, animum rursùs confirmavit. Deindè lapillum inclinatus arripiens, in eumque conjiciens, eodem in statu manere draconem, nec commovere se posse animadvertit: ex quo mortuum esse intelligens, senis opus esse mortem bellnæ arbitratus est.... Deindè cùm senex sermonem quemdam exorsus esset, tùm illi leniter subridens Jacobus, rogavit sibi ut quod ignorabat, aperiret. Et cùm interrogandi potestatem fecisset, Vidi, inquit, in via jacentem maximum draconem, ac primùm quidem timui vivum existimans. Ut verò mortuum animadverti, securus iter sum ingressus. Dic ergo mihi pater, ait, quis hunc interfecit? Tu enim præcedebas, nullus autem alius hàc præteriit. Tùm senex, Cessa, inquit, talia perscrutari, quæ sciscitantibus utilitatem afferre nullam possunt. Sed instabat nihilò seciùs admirandus Jacobus, verum scire desiderans... Scito ergo, ait magnus Julianus, belluam illam in me eadem in via irruisse, osque ad devorandum patefecisse: et ego Dei nomen appellans, digitoque trophæum crucis ostendens, et omnem metum excussi, et belluam extemplò corruentem vidi, communique laudato Servatore, perrexi ulteriùs.

Cap. 3. *de vita S. Marciani.* In vestibulo domûs orationi operam dante Marciano, draco quidam, qui muri partem Orienti obversam reptando ascenderat, indè ab alto prospectans, hianti ore torvoque aspectu insidias minabatur. Procul autem stans Eusebius, et horrendo illo spectaculo terrefactus, magistrum id ignorare arbitratus, altà voce clamans illi ostendebat, rogans ut fugeret. Quem increpans ille, metumque tanquam perniciosum affectum expellere jubens, digito crucis figuram expressit, et ore insufflans veteres inimicitias patefecit. Mox enim draco, spiritu oris veluti flammà quadam correptus et incensus, exustæ instar arundinis in multas partes dissectus est.

Cap. 8. *de vita S. Aphraatis.* Equus erat genere nobilis, et exercitatus, Imperatori longè charissimus. Is morbo correptus mœrore afficiebat Imperatorem. Morbus autem erat reddendæ urinæ difficultas. Huic curandæ advocabantur qui artem illam callebant, et cùm ars cederet, angebatur Imperator, lugebatque equorum curator. Qui pius cùm esset, ac firmà fide præditus, mediâ luce cum equo ad magni Aphraatis habitaculum se contulit, morboque exposito, et fide suâ indicatâ, orabat ut malum oratione suâ depelleret. Qui nihil cunctatus, sed ad preces statim conversus, aquam ex puteo hauriri signoque salutaris crucis imposito, ad equum afferri jussit: quam præter morem mox bibit, deindè oleo invocatione divinâ benedicto, equi alvum inunxit, manusque contactu morbus abiit è vestigio, et urinæ naturalis egestio secuta est. *Et post pauca circa finem.* Oculis illum ipse conspexi, sanctæque illius dexteræ benedictionem percepi, cùm adolescentulus adhuc matrem ad eum profectam essem comitatus.

Cap. 9. *de vita S. Petri.* Laborat alter oculorum morbo ejusmodi, cui cedere ars medica videbatur. Nihil enim erat, vel conscriptum ab antiquis, vel à recentioribus inventum, quod huic curando admotum non fuisset. Postquam autem omnia revicit, et opem nullam afferre docuit, indicavit illum accedens mulier quædam è domesticis, factique ab eo miraculi mentionem fecit. Aiebat enim uxorem illius, qui tunc regebat Orientem, Pergamius autem is erat, cùm eodem morbo premeretur, ab eo curatum fuisse precibus et crucis signaculo. Audivit mater confestimque ad divinum hominem se contulit... pedibusque ejus advoluta et obtestans, sanitatem oculo restitui rogabat. At ille hominem se dicebat esse, atque eadem cum ipsa prædilum natura: grave præterea peccatorum onus sustinere; eamque ob causam sine fiducia apud Deum esse. Cumque lugeret mater et obsecraret, nec relicturam se affirmaret, nisi sanitatem obtineret, Deum horum curatorem esse dixit, semperque credentibus quæ postulant concedere. Proindè dabit nunc etiam, inquit, non mihi gratiam tribuens, sed fidem tuam considerans. Quare si hanc integram habes et sinceram, et ab omni dubitatione liberam, valedicens et medicis et pharmacis, divinitùs datum accipe hoc remedium. His dictis, oculo manum imposuit, et salutaris signo crucis expresso, morbum depulit.

Cap. 13. *de vita S. Macedonii.* Uxor divitis cujusdam edacitatis morbo laborabat : et morbum hunc quidam dæmonis operam, alii corporis infirmitatem arbitrabantur. Sive hoc autem, sive illud fuit, ejusmodi erat, ut triginta singulis diebus gallinas cùm ederet, aviditatem non expleret, sed alias porrò appeteret. Cùm sic opes suas consumeret, miserti ejus propinqui, divini illius hominis opem imploraut. Venit ille, Deumque precatus, et dexteram aquæ imponens, ac signum crucis effingens, biberc jussit, et morbum sanavit, atque immoderatam appetentiam ita repressit, ut illi deinceps ad victum in singulos dies exigua gallinæ particula sufficeret.

Et paulò post. Nobilis quædam ac prædives femina, Astrium nomine, mentis impos facta, sic ut suorum neminem agnosceret, cibumque ac potum omnem respueret, longo jam tempore in hoc delirio perseverabat : quod quidem alii dæmonis operæ tribuebant, medici verò cerebri morbum appellabant. Quare omni arte consumptà, cùm auxilium indè nullum existeret, vir ejus Avodianus magistratu et dignitate clarus, ad divinum illud caput profectus, et conjugis calamitatem exposuit, et remedium expetiit. Cessit homo Dei, ejusque domum venit, et Deum magnà contentione precatus est, Peractà oratione, aquam afferri cùm jussisset, eique salutare signum impressisset, bibere illam jussit. Reclamantibus medicis, quasi frigido potu hic morbus augeretur, maritus, totà illorum turbà expulsà, uxori potionem præbuit, et illa ut ebibit, ad se mox rediit, mentisque compos facta, et à morbo prorsùs libera sanctum virum agnovit, ejusque dexteram supplex apprehendens, oculis suis imposuit, et ori admovit, et sanà mente in posterum potita est.

SULPICIUS SEVERUS *in vita S. Martini, aliquantò post initium.* Intereà furentibus intra Gallias Barbaris, Julianus Cæsar, coacto in unum exercitu apud Vangionum civitatem, donativum cœpit erogare militibus, et ut est consuetudinis, singuli citabantur, donec ad Martinum ventum est. Tùm verò opportunum tempus existimans, quo peteret missionem... *Hactenùs*, inquit ad Cæsarem, *militavi tibi : patere ut nunc militem Deo : donativum tuum militaturus accipiat : Christi ego miles sum. Pugnare mihi non licet.* Tùm verò adversùs hanc vocem tyrannus infremuit dicens, eum metu pugnæ, quæ posterà die erat futura, non religionis gratià, detrectare militiam. At Martinus intrepidus, imò illato sibi terrore constantior : *Si hoc*, inquit, *ignaviæ adscribitur, non fidei, crastinâ die ante aciem inermis adstabo : et in nomine Domini Jesu, signo crucis, non clypeo protectus aut galeâ, hostium cuneos penetrabo securus.* Retrudi ergo in custodiam jubetur, facturus fidem dictis, ut inermis barbaris objiceretur. Posterà die hostes legatos de pace miserunt, sua omnia seseque dedentes.

Et multò post. Accedit autem in sequenti tempore, dum iter ageret, ut gentilis cujusdam corpus, quod ad sepulcrum cum superstitioso funere deferebatur, obvium haberet ; conspicatusque venientium turbam, quidnam id esset ignarus, paululùm stetit... profanos sacrificiorum ritus agi credidit ; quia esset hæc Gallorum rusticis consuetudo, simulacra dæmonum candido tecta velamine, miserà per agros suos circumferre dementiâ. Elevato ergo in adverso signo crucis, imperat turbæ non moveri loco, onusque deponere. Hic verò mirum in modum videres miseros primùm velut saxa riguisse... Sed beatus vir cùm comperisset, exsequiarum esse illam frequentiam, non sacrorum, elevatà rursum manu, dat eis abeundi et tollendi corporis potestatem. Ita eos et cùm voluit stare compulit, et cùm libuit abire permisit.

Item dum in vico quodam templum antiquissimum diruisset, et arborem pinum, quæ fano erat proxima, esset aggressus excidere, tum verò Antistes loci illius, cæteraque gentilium turba cœpit obsistere : et cùm fidem illi dùm templum everlitur, imperante Domino, quievissent, saccidi arborem non patiebantur ; ille eos sedulò commonere, nihil esse religionis in stipite : Deum potiùs, cui serviret ipse, sequerentur : arborem illam excidi oportere, quia esset dæmoni dedicata. Tùm ex illis unus, qui erat audacior cæteris : *Si habes*, inquit, *aliquam de Deo tuo, quem dicis te colere, fiduciam, nosmetipsi succidimus hanc arborem, tu ruentem excipe, et si tecum est tuus, ut dicis, Dominus, evades.* Tùm ille

I. **Quid indè colligere Christianos expedit, sive eos qui Catholicis parentibus orti Catholicam fidem habuerunt à teneris, sive illos qui recèns ab hæresi reduces, sunt adhuc in fide neophyti?**

R. 1. **Deploranda ipsis est ex imis præcordiis eorum supina** intrepidè confisus in Domino facturum se pollicetur. Hic verò ad istiusmodi conditionem omnis illa Gentilium turba consentit... Jamque paulatim nutare pinus, et ruinam suam casura minitari. Pallebant eminùs monachi, et periculo jam propiore conterriti, spem omnem fidemque perdiderant, solam Martini mortem exspectantes. At ille confisus in Domino, intrepidus opperiens, cùm jam fragorem sui pinus concidens edidisset, jam cadenti, jam super se ruenti, elevatà manu, signum salutis opponit. Tùm verò turbidinis modo (retroactam putares) diversam in partem ruit, adeò ut rusticos, qui tuto loco steterant, penè prostraverit. Tùm verò in cœlum clamore sublato, gentiles stupere miraculo, monachi flere præ gaudio, Christi nomen in commune ab omnibus prædicari.

Apud Parisios verò, dum portam civitatis illius magnis secum turbis euntibus introiret, leprosum miserabili facie, horrentibus cunctis, osculatus est atque benedixit, statimque omni malo emundatus est. Postero die ad Ecclesiam veniens, nitente cute, gratias pro sanitate quam receperat, agebat.

Frequenter autem diabolus, dùm mille nocendi artibus sanctum virum conabatur illudere, visibilem se ei formis diversissimis ingerebat... Adversùs quem semper interritus, signo se crucis et orationis auxilio protegebat.

Epist. ad Eusebium, in fine. Mihi ipse referebat, et non sine gemitu fatebatur, in hoc se diaboli arte deceptum, ut exceptus à somno consilium non haberet, quo per fidem et orationem periculo repugnaret; denique tandiù circa se sævisse ignem, quandiù crumpere ostium turbatus mente tentaverit. Ubi verò auxilium crucis et orationis arma repetiisset, medias cessisse flammas: seque tunc sensisse rorantes, quas malè esset expertus urentes.

Epist. ad Aurelium, initio. Ego sancta genua ejus amplexus, benedictionem pro consuetudine flagitabam, superpositamque capiti meo manum tactu blandissimo sentiebam, cùm inter benedictionis verba solemnia familiare illud ori suo crucis nomen iteraret.

S. VICTOR. Ep. Vitens. *Histor. Pers. Vandali. lib.* 2. *cap.* 17. *n.* 94. Fuit..., Carthagine, quidam cæcus.... nomine Felix. Hic visitatur à Domino, diciturque ei nocte per visum :.... Surge, yade ad servum meum Eugenium Episcopum, et dices ei, quia ego te ad illum direxi. Et illà horà, quà benedicens fontem, ut baptizentur accedentes ad fidem, continget oculos tuos, et aperientur, et videbis lumen.... Excitat puerum, qui ei solitus erat manum porrigere: pergit veloci agilitate ad Fausti basilicam: orat, et veniens cum ingentibus lacrymis, suggerit cuidam subdiacono, nomine Peregrino, ut cum Episcopo nuntiaret, indicans se habere aliquod secreti genus intimandum. Audiens Episcopus jussit hominem introïre.... indicat cæcus Antistiti ordinem visionis suæ, dicitque illi: Non te dimittam, nisi mihi, sicut à Domino jussus es, reddideris oculos meos. Cui sanctus Eugenius, Recede à me, frater: peccator sum, et indignus, et super omnes homines delinquens, utpote et qui in hæc tempora servatus sum. Ille autem tenens genua ejus, aliud non dicebat, nisi illud quod jam dixerat: Sicut jussum est, redde mihi oculos meos. Attendens quoque Eugenius inverecundam credulitatem, et quia jam tempus urgebat, pergit cum eo, comitante officio clericorum ad fontem. Ubi fixis genibus cum ingenti gemitu, pulsans singultibus cœlum, crispantem benedixit alveum fontis, et cùm completà surrexisset oratione, ita cæco respondit: Jam tibi dixi, frater Felix, peccator homo ego sum: sed qui te visitare dignatus est, præsiet tibi Dominus secundùm fidem tuam, et aperiat oculos tuos: simulque vexillo crucis consignat oculos ejus. Statim cæcus visum, Domino reddente, recepit.

cæcitas, qui malunt adhærere ausui temerario Neoterici nescio cujus, quàm sequi constantem et perpetuum usum totius Ecclesiæ, per tot miracula certa suffragio divino firmatum.

2. Nunquàm faciendum crucis signum negligenter et ex merâ consuetudine; sed attentè et reverenter et mente ad Deum erectâ.

CAPUT TERTIUM.

De Spe.

§. 1. Quid sit Spes.

I. Quid est Spes?

R. Spes est donum Dei, quo fit ut exspectemus cum fiducia quidquid nobis à Deo promissum est.

Donum Dei, hanc enim Deus dat, nec possumus habere à nobis metipsis, juxta illud Apostoli (1. *Cor.* IV. 7.): *Quid habes quod non accepisti?* (A)

Quo fit ut exspectemus cum fiduciâ: Nititur enim spes nostra ipsis Dei promissis; Dei, inquam, qui nec falli, nec fallere potest; et Christi meritis, qui ad hoc unum venit ut vitam nobis æternam compararet. (B) Hæc autem fiducia

(A) JACOB. I. 17. Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursùm est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.

S. BASIL. *Constit. Monast. cap.* 15. *De fide et spe.* Omnibus autem in rebus, priusquam ad eas aggrediamur, viam munire debet ac præstruere ea, quæ in Deum fides est, eique comes unà spei alacritas adjungenda, quò videlicet et fide fultas animi vires suffulciamus, et spei alacritate animo ad res honestas erectiores simus. Neque enim in rebus bonis conatus humanus, sublatâ ope divinâ, perfectè unquam, quod vult, poterit adipisci: neque item vicissim divinum præsidium ad nos nullo nostro studio venturum putandum est. Sed ad perfectum virtutis cumulum conjuncta simul esse utraque hæc oportet, et humanum studium et auxilium coeleste, fidei operâ adscitum et comparatum.

(B) JOAN. X. 10. Ego veni ut vitam habeant, et abundantiùs habeant.

ROM. VIII. 32. Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?

HEBR. VI. 18. Ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem: 19. quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis: 20. Ubi præcursor pro nobis introivit Jesus.

S. BERNARD. *Serm.* 9. *in Psal.* XC. Qui habitat, *n.* 5. *Tu es, Domine, spes mea.* Quidquid igitur agendum sit, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum, tu es, Domine, spes mea. Hæc mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ exspectationis. Prætendat alter meritum, sustinere se jactet pondus diei et æstûs, jejunare bis in sabbato dicat, postremò non esse sicut cæteros hominum glorietur: mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Sperant in aliis alii, fortè hic in scientia litterarum, hic in asiutià seculi, ille in nobilitate, ille in dignitate, ille in alia qualibet vanitate confidat: propter te omnia detrimentum feci et ut stercora arbitror, quoniam tu es, Domine, spes mea.... Si mihi præmia promittuntur, per te obtinenda

sperabo ; si insurgant adversùm me prælia , si sæviat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro adversùm spiritum concupiscat : in te ego sperabo.

N. 6. Fratres , hoc sapere, ex fide vivere est, nec alius ex sententia dicere potest : *Quoniam tu es , Domine, spes mea ,* nisi cui intùs sit persuasum à spiritu , ut , quemadmodum monet Prophela (*Psal.* LIV. 23.), jactet cogitatum suum in Domino , sciens quod enutriendus sit ab eo , juxta illud quoque Petri Apostoli (1. *Epist.* v. 7.): *Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum : ipsi enim cura est de vobis.* Ut quid enim , si hæc sapimus , ut quid cunctamur abjicere omninò spes miseras , vanas , inutiles , seductorias : et huic uni tam solidæ, tam perfectæ, tam beatæ spei , totà devotione animi , toto fervore spiritùs inhærere ? Si quid ille impossibile , si quid vel difficile est , quære aliud in quo speres. Sed verbo omnia potest. Quid facilius dictu ? Attamen hujusmodi dictum intelligas volo. Si decreverit salvare nos , continuò liberabimur : si vivificare placuerit , vita in voluntate ejus est : si præmia æterna largiri , licet ei quod vult facere. An verò de facilitate jam non dubitas , sed ipsa tibi est suspecta voluntas ? Planè et voluntatis testimonia credibilia facta sunt nimis. *Majorem hac dilectionem nemo habet , quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* (*Joan.* XV. 13.) Denique quando in se speranti desit illa majestas, quæ tam studiosè monet in se sperare ? Planè non derelinquit sperantes in se. *Adjuvabit eos* , ait (*Ps.* XXXVI. 40.) , *et liberabit eos, et eruet eos à peccatoribus , et salvabit eos.* Quare ? Quibus meritis ? Audi quod sequitur : *Quia speraverunt in eo.* Dulcis causa, attamen efficax , attamen irrefragabilis. Nimirum hæc est justitia , sed quæ ex fide est , non ex lege. *De quacunque tribulatione* , inquit , *clamaverint ad me, exaudiam eos.* Ecce numera tribulationes; (*Ps* XCI. 19.) secundùm multitudinem earum consolationes ejus lætificabunt animam tuam : dummodò ad alium non convertaris ; dummodò clames ad eum ; dummodò speres in eum : nec humile aliquid vel terrenum, sed (*Ps.* XC. 9.) altissimum ponas refugium tuum. Quis speravit in eo , et confusus est ? Facilius est (*Marc.* XIII. 31.) cœlum et terram transire , quàm verbum ejus evacuari.

N. 8. *Tu es , Domine , spes mea.* Convenientiùs siquidem spes nostra dicitur quod speramus , quàm in quo speramus. Sunt autem fortè nonnulli , qui à Domino obtinere temporalia seu spiritualia quælibet concupiscunt : sed perfecta charitas solùm silit quod summum est , totà desiderii vehementià clamans (*Ps.* LXXII. 25. *et* 26.) : *Quid enim mihi est in cœlo , et à te quid volui super terram ? Deus cordis mei , et pars mea Deus in æternum.*

Serm. 3. *in Dom.* 6. *post Pentecost. n.* 6. Tria , inquam , sunt quæ sic roborant et confirmant cor meum , ut nulla me penuria meritorum , nulla consideratio propriæ vilitatis , nulla æstimatio cœlestis beatitudinis , ab altitudine spei dejicere possit in ea firmiter radicatum. Desideratis ea , an reservanda sunt propter eum qui dixit (*Prov.* XXV. 16.) : *Mel invenisti, comede quod sufficit tibi.* Sic completur quotidiè quod de seipsa sapientia prophetavit : et nunc idipsum video , quoniam *qui edunt me*, ait (*Eccli.* XXIV. 29.) *adhuc esurient.* Proindè non vos protraham ultrà... Tria considero in quibus tota spes mea consistit , charitatem adoptionis , veritatem promissionis , potestatem redditionis. Murmuret jam quantum voluerit insipiens cogitatio mea , dicens : Quis enim es tu , aut quanta est illa gloria , quibusve meritis hanc obtinere speras ? et ego fiducialiter respondebo : Scio cui credidi , et certus sum , quia in charitate nimià adoptavit me , quia verax in promissione , quia potens in exhibitione : licet enim ei facere quod voluerit.

Serm. 45. *de divers. n.* 8. Cùm ergo venit (ut dictum est) Deus Filius et factus est homo , qui erat Deus , tanquam medicus bonus dedit præcepta , quibus observatis reformaretur salus amissa. Ut verò præceptis faceret fidem , exhibuit signa : ut eorumdem præceptorum persuaderet utilitatem , promisit beatitudinem.

N. 9. Est igitur fides alia præceptorum, alia signorum , alia promissorum, id est, quà credimus in Deum , quà credimus Deum , quà credimus Deo. Per fidem præceptorum credimus in Deum ; credere autem in Deum , est in eo sperare et eum diligere. Per fidem signorum credimus Deum , qui talia potest , et omnia potest. Per fidem promissorum credimus Deo , qui quidquid promittit veraciter complet. Similiter quoque spes triplex est , et procedit de prædictâ triplici fide. Nam de fide præceptorum oritur spes

timore aliquo temperatur : obstant enim sæpissimè peccata nostra, ne perveniamus ad vitam æternam, quæ nobis à Deo promissa est ; et nemo scit utrùm amore an odio dignus sit, et utrùm sit usque ad finem perseveraturus. (C)

veniæ ; de fide signorum, spes gratiæ : de fide promissorum, spes gloriæ.

S. AUG. *Enarrat. in Psal.* 88. Misericordias Domini in æternum cantabo, etc. *Serm.* 1. *n.* 1. Psalmum istum... accipite de spe quam habemus in Christo Jesu Domino nostro : et erigite animos, quia ille qui promisit, ita cætera completurus est ut multa complevit. Dat enim nobis ad eam fiduciam, non meritum nostrum, sed illius misericordia.

S. THOMAS. 2. 2. *Quæst.* 17. *art.* 6. *ad tert.* Spes facit tendere in Deum sicut in quoddam bonum finale adipiscendum, et sicut in quoddam adjutorium efficax ad subveniendum.

(C) ECCLE. IX. 1. Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei : et tamen nescit homo, utrùm amore an odio dignus sit.

1. COR. IX. 24. Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium. Sic currite, ut comprehendatis.

PHILIPP. II. 12. Cum metu et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate.

S. AUG. *Annotat. in Job. cap.* XXXIX. *v.* 23. Minatur impiis futurum interitum, et interfecit præsentem iniquitatem ? Nisi enim gaudium spei nostræ cum tremore damnationis esset, in nobis negligens esset ipsa securitas et superba præsumptio, neque in Psalmo (II. 11.) nobis diceretur : Exsultate ei cum tremore.

Serm. 87. *aliàs* 19. *de verbis Evang. Matth.* 20. *cap.* 8. *n.* 10. Nemo perversè sit securus. Ista enim duo occidunt animas, aut desperatio, aut perversa spes. De his duobus malis pauca audite. Nam sicut liberat bona spes et recta spes, ita decipit perversa spes. Prius attendite quemadmodùm decipiat desperatio. Sunt homines, qui cùm cogitare cœperint mala quæ fecerunt, non sibi putant ignosci posse : et dùm non putant posse sibi ignosci, dant animam jam perire, desperatione pereunt, dicentes in cogitationibus suis : Jam nulla nobis spes est ; neque enim tanta illa, quæ commisimus, donari nobis aut ignosci possunt : quare ergo non satisfacimus cupiditatibus nostris ? Impleamus saltem præsentis temporis voluptatem, quia nullam habemus in futuro mercedem. Faciamus quidquid libet, etsi non licet : ut habeamus suavitatem vel temporalem, quia percipere non meremur æternam. Talia dicentes, desperando pereunt.

S. BERNARD. *Serm.* 51. *in Cant. n.* 9. Donec quis premitur à spiritu servitutis, parumque habet de spe, de timore plurimum, non ei pax neque requies, fluctuante nimirùm conscientiâ inter spem et timorem, maximèque quod ab superexcellente timore abundantiùs crucietur : nam timor pœnam habet... Cæterùm si paulatim per incrementum gratiæ cœperit deficere timor, et proficere spes, cùm demùm ad hoc ventum fuerit, ut totis viribus exsurgens charitas in adjutorium spei, foràs mittat timorem ; nonne ejusmodi anima singulariter in spe constituta videbitur, ac proindè etiam in pace in idipsum dormire jam et requiescere ?

N. 10. *Si dormiatis*, inquit (*Ps.* LXVII. 14.), *inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ.* Quod propterea dictum puto, quoniam est locus inter timorem et securitatem, tanquam inter lævam et dexteram, media videlicet spes, in qua mens et conscientia, molli nimirùm supposito charitatis stratu, suavissimè requiescit.

Serm. 15. *in Psal.* 90. Qui habitat, *n.* 3. Non enim dedignatur esse spes miserorum miserator et misericors Dominus : non seipsum liberatorem simul et protectorem in se sperantibus exhibere recusat.

N. 4. *in fine.* Cum hoc timore spes habet meritum, cum hoc metu fructuosè speratur.

N. 5. Est autem ipse timor firmissima quædam et efficax materia spei, si quis prudenter advertat. Si quidem maximum quoddam Dei donum timor iste, et ex perceptione præsentium firma est exspectatio futurorum.

Quidquid nobis à Deo promissum est : quo generali nomine intelligitur et vita æterna, et media ad vitam consequendam necessaria (D) ; nimirum gratiæ et auxilia divina, quæ per Christum dantur, et necessaria sunt tum ad justificationem, tum ad bonorum operum perfectionem. (E)

Quin et ipsa bona temporalia hoc generali nomine intelliguntur : hæc enim et promittuntur et dantur à Deo, et conducunt ad vitam æternam, si quis illis legitimè utatur. Undè ea et desiderare vel petere licet ; sed quatenùs conducunt ad salutem, nec aliter. (F)

I. Estne in Deo sperandum ?

R. Est omninò. Qui sperat in eo, non confundetur unquam. Maledictus autem qui sperat et confidit in aliquo alio: verbi gratiâ in semetipso, in quovis homine, in divitiis, in suâ vel suorum auctoritate. (G)

(D) ROM. VIII. 19. Nam exspectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei exspectat.... 22. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc. 23. Sed et nos ipsi primitias Spiritûs habentes ; et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum exspectantes, redemptionem corporis nostri. 24. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes : nam quod videt quis, quid sperat ? 25. Si autem quod non videmus, speramus ? per patientiam exspectamus.

(E) EPHES. I. 12. Ut simus in laudem gloriæ ejus nos, qui antè speravimus in Christo.... 17. Ut Deus, Domini nostri Jesu Christi Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ, et revelationis, in agnitione ejus : 18. illuminatos oculos cordis vestri, ut scialis quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis.

(F) S. AUG. *Enarr. in Psal.* 80. *n.* 21. Si veniat tentatio ducendi Martyrii, illi qui habent in fundamento Christum, et ædificant aurum, argentum, lapides pretiosos, quid dicunt ex hac opportunitate ? Bonum est mihi dissolvi et esse cum Christo. Alacres currunt, aut nihil, aut modicè de terrena fragilitate contristantur. Illi autem amantes res proprias, domos proprias, graviter conturbantur, fenum et stipula et ligna ardent. Habent ergo ligna, fenum, stipulam super fundamentum ; sed rerum concessarum, non illicitarum. Dico enim, fratres, possides fundamentum, hære cœlo, calca terram : si talis es, non ædificas nisi aurum, argentum, et lapides pretiosos.

Enarr. in Psal. 143. *n.* 8. Ergo non est ista felicitas ? aut debent eam justi defugere ? aut non invenis et domum justi abundantem rebus his omnibus, plenam ista felicitate ? Non erat domus Abrahæ abundans auro, argento, filiis, familiâ, pecoribus ? Nonne Jacob sanctus Patriarcha fugiens à facie Esaü fratris sui in Mesopotamiam, serviens dilatur, regressus est et egit gratias Domino Deo suo, quia in virga sua transiit fluvium, et regressus est cum tanta abundantia pecorum atque filiorum ? Quid dicimus ? non est ista felicitas ? sit licet, sed sinistra. Quid est, sinistra ? temporalis, mortalis, corporalis. Nolo illam jam diffugias, sed neque dexteram putes. Non enim isti ideò maligni, ideò vani, quia his abundabant : sed quia id quod sinistrum esse debuit, in dextera ponebant.... Quid enim in dextera ponere debuerunt ? Deum, æternitatem, annos Dei non deficientes, de quibus dicitur (*Ps.* CI. 28.), Et anni tui non deficient. Ibi dextera, ibi esse debet desiderium nostrum. Sinistra etiamsi ad tempus, dexteram desideremus in æternum.... Quid dicit sponsa de sponso (*Cant.* VIII. 3.) ? Sinistra ejus sub capite meo, et dextera ejus complectetur me.... Sinistra, inquit, ejus sub capite meo. Non enim me deseret in temporalibus necessariis : sed tamen ipsa sinistra sub capite erit, non capiti præponetur, sed erit sub capite ; ut dextera ejus complectatur me, pollicens vitam æternam.

Vide quæ dicemus infrà in Tractatu de Oratione, Part. 3. *Sect.* 2. *Cap.* 1. §. 6.

(G) 2. PARALIP. XVI. 7.... Quia habuisti fiduciam in rege Syriæ, et non

in Domino Deo tuo, idcircò evasit Syriæ regis exercitus de manu tua. 8. Nonne Æthiopes et Libyes multò plures erant quadrigis et equitibus, et multitudine nimiâ : quos, cùm Domino credidisses, tradidit in manu tua ? 9. Oculi enim Domini contemplantur universam terram, et præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum.

PSAL. XIX. 8. Hi in curribus et hi in equis : nos autem in nomine Domini Dei invocabimus.

XXIV. 2. Deus Deus in te confido, non erubescam. 3... Etenim universi, qui sustinent te, non confundentur.

CXVII. 8. Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. 9. Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus.

CXLV. 2.... Nolite confidere in principibus; 3. In filiis hominum, in quibus non est salus.... 5. Beatus, cujus.... Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo ipsius.

ECCLI. II. 11. Respicite filii nationes hominum : et scitote quia nullus speravit in Domino, et confusus est. 12. Quis enim permansit in mandatis ejus, et derelictus est ? et quis invocavit eum, et despexit illum ?

ISAI. XXX. 1. Væ filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, et non ex me, et ordiremini telam, et non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum. 2. Qui ambulatis, ut descendatis in Ægyptum, et os meum non interrogastis, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, et habentes fiduciam in umbrâ Ægypti.

XXXI. 1. Væ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes, et habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt ; et super equitibus, quia prævalidi nimis : et non sunt confisi super sanctum Israel, et Dominum non requisierunt... 3. Ægyptus, homo, et non Deus : et equi eorum, caro, et non spiritus : et Dominus inclinabit manum suam, et corruet auxiliator, et cadet cui præstatur auxilium, simulque omnes consumentur.

XL. 31. Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.

JEREM. XVII. 5.... Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et à Domino recedit cor ejus. 6. Erit enim quasi myricæ in deserto, et non videbit cùm venerit bonum : sed habitabit in siccitate in deserto, in terrâ salsuginis, et inhabitabili. 7. Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus. 8. Et erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas : et non timebit cùm venerit æstus. Et erit folium ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum.

OSEE. I. 2.... Fornicans fornicabitur terra à Domino.... 7. Et domui Juda miserebor, et salvabo eos in Domino Deo suo : et non salvabo eos in arcu, et gladio, et in bello, et in equis, et in equitibus.

VII. 11. Et factus est Ephraïm quasi columba seducta, non habens cor : Ægyptum invocabunt, ad Assyrios abierunt.... 8. Væ eis, quoniam recesserunt à me.

S. AUG. *Enarrat. in Psal.* 39. *n.* 7. Sit Dominus Deus tuus spes tua : non aliud aliquid à Domino Deo tuo speres, sed ipse Dominus tuus sit spes tua. Namque multi de Deo sperant pecuniam, multi de Deo sperant honores caducos et perituros, aliud quodlibet à Deo præter ipsum Deum : sed tu ipsum Deum tuum pete : immò verò contemptis aliis, perge ad illum : obliviscens alia, memento illius ; relinquens retrò alia, extendere in illum.

Serm. 9. *aliàs* 96. *cap.* 4. *n.* 4. *Spem Christianis omninò necessarium esse contendit, ut Christiani sint.* Quidquid facitis, pro spe futura facitis. Novi enim omnium Christianorum mentes de seculo futuro cogitare. Qui enim non de futuro seculo cogitat, nec propterèa Christianus est, ut id quod in fine Deus promittit, accipiat, nondùm Christianus est.

Serm. 157. *aliàs* 23. *de verbis Apost. cap.* 1. *n.* 1. Non respiciatis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna. Quia ergo quod non videmus, speramus, et per patientiam exspectamus : meritò nobis in Psalmo (XXVI. 14.)

I. Cur in solo Deo sperandum ?

R. Quia 1. solus Deus Optimus, Maximus, Potentissimus est. Solus potest nos verè beatos efficere. Extra Deum nihil nisi fragile, caducum, mendax.

2. Iis solùm adest Deus qui sperant in eo (H)

dicitur: Sustine Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum. Mundi enim promissa semper fallunt, Dei autem promissa nunquam fallunt. Sed quia mundus quod pollicetur, hic videtur daturus, id est, in hac terra morientium, in qua nunc sumus, Deus autem quod pollicetur, in terra viventium nobis daturus est : multi fatigantur exspectare veracem, et non erubescunt amare fallacem. De talibus dicit Scriptura : (*Eccli.* II. 16.) Væ his, qui perdiderunt sustinentiam, et diverterunt in vias pravas. Cùm etiam viriliter agentibus et corde confortato Deum sustinentibus, filii sempiternæ mortis insultare non cessant, jactantes suas delicias temporales, quæ ad tempus obdulcant fauces eorum, posteà verò amariores felle invenient eas. Dicunt enim nobis : Ubi est quod vobis promittitur post hanc vitam ? Quis huc indè reversus est, et indicavit vera esse quæ creditis ? Ecce nos in nostrarum voluptatum satietate lætamur, quia quod videmus, speramus : vos autem in laboribus continentiæ cruciamini, credendo quod non videtis. Deindè subjungunt quod commemoravit Apostolus (1. *Cor.* XV. 32.) : *Manducemus et bibamus, cras enim moriemur.* Sed videte quid ipse cavendum moverit : Corrumpunt, inquit (*Ibid.* 33. *et* 34.), mores bonos colloquia mala. Sobrii estote justè, et nolite peccare.

Cap. 2. *n.* 2. Cavete ergo, fratres, ne talibus colloquiis mores vestri corrumpantur, evertatur spes, enervetur patientia, et divertatis in vias pravas.

Cap. 3. *n.* 3. Docuit nos exemplo passionis, cum quanta patientia in illo ambulemus : et firmavit nos exemplo suæ resurrectionis, quid ab illo patienter sperare debeamus. *Si enim quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus.* (*Rom.* VIII. 25.) Quod non videmus quidem, speramus : sed corpus sumus illius capitis, in quo jam perfectum est quod speramus. *Per patientiam exspectamus* securi : quoniam qui resurrexit caput nostrum est, servat spem nostram. Et quia priùs quàm resurgeret, flagellatum est caput nostrum, firmavit patientiam nostram. Scriptum est enim (*Hebr.* XII. 6.), *Quem enim diligit Dominus, corripit ; flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Non itaque in flagello deficiamus, ut in resurrectione gaudeamus. Ita enim verum est, quòd *flagellat omnem filium, quem recipit*, ut (*Rom.* VIII. 32.) nec unico suo pepercerit, sed pro nobis tradiderit eum. Intuentes ergo eum, qui sine peccati merito flagellatus est, *Qui mortuus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram* (*Rom.* IV. 25.), non timeamus, ne abjiciamur flagellati ; sed potiùs confidamus, quia recipiemur justificati.

(H) PSAL. XC. 14. Quoniam in me speravit, liberabo eum : protegam eum quoniam cognovit nomen meum.

S. AUG. *Enarrat.* 2. *in Psal.* 26. *n.* 5. Quanta autem fiducia debeat esse in eo qui ista dicit, audite : Si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum. Castra munita sunt, sed quid munitius Deo ? Si exsurgat in me bellum. Quid mihi facit bellum ? Potest mihi auferre spem meam ? potest mihi auferre quod dat Omnipotens ? Sicut non vincitur qui dat, sic non aufertur quod dat. Si auferri potest datum, vincitur dator. Ergo nec ipsa, quæ temporaliter accipimus, auferre nobis quisquam potest, fratres mei, nisi solus ille qui dedit. Spiritalia quæ donat, non auferet, nisi tu dimiseris : carnalia verò et temporalia ipse aufert ; quia et quisquis alius aufert, ipso donante potestatem, aufert....

Serm. 157. *aliàs* 23. *de verb. Apostol. cap.* 4. *n.* 4. Quamvis nondùm venerit nostri gaudii plenitudo : nec modò tamen sine gaudio relicti sumus ; quia spe salvi facti sumus. Ideò et ipse Apostolus, qui ait (*Rom.* VIII. 25.), *Si quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus* : dicit alio loco (*Rom.* XII. 12.), *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Habentes ergo talem spem, multâ fiduciâ utamur : et sermo noster in

I. **Estne spes eadem in omnibus Christianis ?**

R. **Quod de fide diximus, illud et de spe dici debet : est in quibusdam spes viva, ut eam vocat Petrus Apostolus** (1. *Petr.* I. 3.) **, nimirùm si charitate perficiatur : (l) tunc-que dicitur à Paulo Apostolo firma anchora, quæ nunquam confundit. (K) Est et spes imperfecta, mortua, non suffi-ciens ad salutem : nimirùm si charitate destituatur. (L)**

gratia conditus sit sale, ut sciamus quemadmodum oporteat unicuique respondere. Dicendum est enim eis, qui cùm perdidissent, vel nun-quam suscepissent sustinentiam nobis sustinentibus Dominum, (quia quod non videmus sperantes, per patientiam exspectamus) etiam insul-tare audent, cùm imitari deberent : Ubi sunt deliciæ vestræ, propter quas ambulatis per vias pravas ? Non dicimus, Ubi erunt, cùm hæc vita transierit ; sed, Modò ubi sunt ? Cùm hesternum diem hodiernus abstu-lerit, et hodiernum crastinus ablaturus sit, quid eorum quæ diligitis, non transcurrit et transvolat ? Quid non fugit penè antequam capitur, cùm ex ipso hodierno die nulla possit vel hora retineri ? Ita enim secunda excluditur à tertia, sicut prima exclusa est à secunda. Ipsius horæ unius, quæ præsens videtur, nihil est præsens : omnes enim partes ejus et omnia momenta fugitiva sunt.

(l) 1. Petr. I. 3. Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundùm misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis.

S. Aug. *Serm.* 24. *aliàs* 6. *ex Sirmond. n.* 5. Cogitate ergo, fratres, fra-gilitatem vestram, humilitatem vestram, conditionem carnis, hujus seculi volaticos transitus, et videte quia tunc vobis benè erit, si tota spes vestra in illo sit, in quo solo potest firmiter collocari. Quomodo autem ibi erit spes nostra, nisi obediamus præceptis ejus ?

Enarrat. in Psal. cxxxvi. *n.* 22. Suspirate æternam Jerusalem : quò præcedit spes vestra, sequatur vita vestra.

(K) Rom. v. 5. Spes autem non confundit.

Hebr. iv. 18. 19. *Vide suprà litt.* (A) *hocce* §.

S. Bernard. *Serm.* 15. *in Psal.* xc. Qui habitat. *n.* 15. Dulcissima libe-ralitas, in se sperantibus non deesse. Hoc enim totum hominis meritum, si totam spem suam ponat in eo, qui totum hominem salvum facit. *In te speraverunt patres nostri ; speraverunt, et liberasti eos : ad te clamaverunt, et salvi facti sunt : in te speraverunt, et non sunt confusi.* (*Ps.* xxi. 5. *et* 6.) Quis enim speravit in eo, et confusus est ? Sperate in eo omnis congrega-tio populi. Quemcunque enim locum calcaverit pes vester, vester erit. Pes vester utique spes vestra est : quantumcunque illa processerit, obti-nebit, si tamen in Deum tota figatur, ut firma sit et non titubet.

(L) S. Aug. *Enrichid. ad Laurent. c.* 8. *n.* 2. Quid autem sperari potest, quod non creditur ?.... Spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, et ad eum pertinentium, qui earum spem gerere perhibe-tur.... De spe quoque ait Apostolus (*Rom.* viii. 24.), *Spes quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat ? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus.* Cùm ergo bona nobis futura esse creduntur, nihil aliud quàm sperantur.... Spes verò esse sine amore non potest.... Proindè nec amor sine spe est, nec sine amore spes, nec utrum-que sine fide.

S. Bernard. *Serm.* 3. *in Annuntiat. B. M. n.* 3. (*Ps.* cxlii. 8.) auditam fac mihi manè misericordiam tuam : quia in te speravi, Domine. Sola nimirùm spes apud te miserationis obtinet locum ; nec oleum misericor-diæ, nisi in vase fiduciæ ponis. Sed est infidelis fiducia, solius utique maledictionis capax, cùm videlicet in spe peccamus. Quanquam nec fiducia illa dicenda sit, sed insensibilitas quædam, et dissimulatio per-niciosa. Quæ enim fiducia ei, qui periculum non attendit ? Aut quod ibi timoris remedium, ubi nec timor sentitur, nec materia ipsa timoris ? **Fiducia solatium est : nec eget ille solatio, qui lætatur cùm malefece-rit, et in pessimis rebus magis exsultat ?.... Non nisi in sola Dei miseri-cordia respiremus. Hæc vera hominis fiducia, à se deficientis, et immi-**

§. 2. De Peccatis Spei oppositis.

I. Quot modis contra spem peccari potest?

R. Duobus modis; uno per defectum, altero per excessum: desperatione nimirùm, et præsumptione.

I. Quandonam peccatur præsumptione?

R. Peccat per præsumptionem, 1. qui propriis viribus, sine ullo Dei auxilio confidit se posse pervenire ad salutem, vel aliquid boni agere. (A)

2. Qui Deum tentat.

tentis Domino suo. Hæc, inquam, vera fiducia, cui misericordia non denegatur, Prophetà attestante (*Ps.* CXLVI. 11.), *Quoniam beneplacitum est Domino super timentes eum, et in eis qui sperant super misericordia ejus.* Nec parva utique suppetit nobis: in nobis quidem timoris, in ipso autem causa fiduciæ.

S. THOMAS 2. 2. *q.* 17. *artic.* 8. *in corp....* Spes introduxit ad charitatem, in quantum aliquis sperans remunerari à Deo, accenditur ad amandum Deum, et servandum præcepta ejus.... Adveniente charitate spes perfectior redditur. Quia de amicis maximè speramus, et hoc modo dicit Ambrosius, quod spes est ex charitate.

Ad secund. Spes et omnis motus appetitivus ex amore provenit aliquo, quo scilicet aliquis amat bonum exspectatum; sed non omnis spes provenit à charitate, sed solùm motus spei formatæ, quà scilicet aliquis sperat bonum à Deo ut ab amico.

(A) S. AUG. *ad Anast. Epist.* 145. *aliàs* 144. *n.* 8. Quidam nimiùm arrogant humanæ voluntati, quam lege datâ pulant, ad eam implendam sibi posse sufficere, nullâ super doctrinam legis gratiâ sanctæ inspirationis adjutam: per quorum disputationem infirmitati hominum miseræ atque indigæ suadetur, ut nec orare debeamus ne intremus in tentationem. Non quia hoc audent apertè dicere; sed eorum sententiam, velint nolint, hoc utique sequetur. Nam ut quid nobis dicitur (*Matth.* XXVI. 41.), *Vigilate, et orate ne intretis in tentationem.* Ut quid etiam secundùm hanc exhortationem, cùm doceret orare (*Matth.* VI. 13.), præcepit ut dicamus, *Ne nos inferas in tentationem:* si hoc non impletur ex adjutorio gratiæ divinæ, sed id totum est in arbitrio voluntatis humanæ?... Orate ergo pro nobis, ut justi simus; quod quidem homo non potest nisi norit et velit, et erit continuò qui plenè voluerit; sed hoc ipsum in eo non erit, nisi gratiâ Spiritûs sanctus, et adjuvetur, ut possit.

S. BERNARD. *Serm.* 85. *in Cant. n.* 5. Ad virtutis perfectionem quisque contendere adorietur, sciet profectò quàm sit ascensus arduus, et cassus conatus absque Verbi adjutorio.... Alioquin frustra nititur, si non innititur. Sanè etiam contra se innitens invalescet, et facta seipsâ validior coget pro ratione universa; iram, metum, cupiditatem et gaudium veluti quemdam animi currum bonus auriga reget; et in captivitatem rediget omnem carnalem affectum, et carnis sensum ad nutum rationis, in obsequium virtutis. Quidni omnia possibilia sint innitenti super eum qui omnia potest. Quantæ fiduciæ vox: *Omnia possum in eo qui me confortat.* (*Philip.* IV. 13.) Nil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quàm quod omnipotentes facit omnes, qui in se sperant. Denique (*Marc.* IX. 22.) omnia possibilia sunt credenti. An non omnipotens cui omnia possibilia sunt? Ita animus si non præsumat de se, sed si confortetur à Verbo, poterit utique dominari sui, ut non dominetur ei omnis injustitia. Ita, inquam, Verbo innixum, et indutum virtute ex alto, nulla vis, nulla fraus, nulla jam illecebra poterit, vel stantem dejicere, vel subjicere dominantem. Vis non timere impulsorem? Non veniat tibi pes superbiæ, et manus impellentis non movebit te. *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem.* (*Ps.* XXXV. 13.) Ibi diabolus et angeli ejus corruerunt, qui licèt non impulsi extrinsecùs, expulsi sunt tamen, nec potuerunt stare. Denique in veritate non stetit, qui non innixus est Verbo, qui in sua virtute confisus est. Et ideò fortassis sedere voluit; quia stare non valuit. Dicebat enim (*Isaï.* XIV. 13.) *Sedebo in monte testamenti.* Gæterùm Deo

I. Quid hoc rei est Deum tentare ?

R. Deum tentat, qui sine necessitate, sine legitimo fundamento exspectat, vel postulat à Deo quod Deus non promisit. Id patebit exemplis.

Si quis, verbi gratiâ, quæ ex Dei ordinatione, secundùm solitas divinæ Providentiæ leges, facienda sunt, consultò prætermittat, is Deum tentat. Qui petit à Deo sine fundamento, sine necessitate, miraculum, is Deum tentat. Qui sperat liberandum esse se à præsenti periculo, cui se contra Dei leges temerè objicit, Deum tentat. Si quis pauper torpet otio, et ignaviâ, nec laborat ad vitæ sustentationem cùm possit, Deum tentat, dùm exspectat à Deo vitæ necessaria. Qui ad orationem non præparat animam suam, qui orat sine ullâ mentis attentione, Deum tentat, si confidit esse se impetraturum quod tam negligenter petit. (B) Deum

aliter judicante, nec stetit, nec sedit, sed cecidit : dicente Domino (*Luc.* x. 8.) : *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Ergo qui stat, si non vult cadere, non fidat sibi, sed nitatur Verbo. Verbum loquitur (*Joan.* xv. 5.) : *Sine me nihil potestis facere.* Ita est, nec surgere ad bonum, nec stare in bono possumus sine Verbo. Tu ergo qui stas, da gloriam Deo, et dic (*Ps.* xxxix. 3.) : Statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos. Cujus manu erigeris, ipsius necesse est virtute tenearis.

(B) S. Aug. *Lib.* 22. *contra Faustum*, *c.* 36.... Pertinet autem ad sanam doctrinam, quando habet quod faciat homo, non tentare Dominum Deum suum.... Qui ergo (*Christus scilicet*) palàm docendo et arguendo, et tamen inimicorum rabiem valere in se aliquid non sinendo, Dei demonstrabat potestatem, idem tamen fugiendo et latendo hominis instruebat infirmitatem, ne Deum tentare audeat, quando habet quod faciat, ut quod cavere oportet evadat. Neque enim et Apostolus desperaverat adjutorium protectionemque divinam, fidemque perdiderat quando per murum in sportâ submissus est, ut inimicorum manus effugeret. Non ergo in Deum non credendo sic fugit : sed Deum tentando sic fugere noluisset, cùm sic fugere potuisset. Proindè cùm inter ignotos propter excellentissimam pulchritudinem Saræ, et ejus pudicitia et mariti vita esset in dubio, nec utrumque tueri posset Abraham, verumtamen unum horum posset, id est, vitam ; ne Deum suum tentaret, fecit quod potuit, quod autem non potuit illi commisit. Qui ergo se hominem occultare non valuit, maritum se occultavit, ne occideretur ; uxorem Deo credidit, ne pollueretur.

De opere Monachor. c. 27. *n.* 35. Neque enim quia dixit Deus : (*Ps.* xlii. 15.) *Invoca me in die tribulationis*, *et eximam te*, *et glorificabis me* ; propterea non debuit fugere Apostolus, et per murum in sportâ submitti, ut manus persequentis evaderet, sed exspectaret potiùs ut comprehenderetur, et eum sicut tres pueros de mediis ignibus liberaret. Aut propter hoc nec Dominus dicere debuit : (*Matth.* x. 23.) : *Si vos persecuti fuerint in unâ civitate*, *fugite in aliam* : quia ipse dixit (*Joan.* xiv. 23.) *Si quid petieritis Patrem in nomine meo*, *dabit vobis.* Sicut ergo quisquis persecutionem fugientibus discipulis Christi objiceret hujusmodi quæstionem, cur non stetissent potiùs, et invocato Deo, per ejus mirabilia sic eruerentur, ut Daniel à leonibus, ut Petrus ex vinculis : responderent non se oportuisse tentare Deum, sed tunc eum talia, si vellet, esse facturum, cùm ipsi quid facerent non haberent ; cùm verò eis fugam in potestatem dedisset, etiamsi per illam liberarentur, non nisi ab ipso liberari. Sic etiam Dei servis vocantibus et valentibus exemplo et præcepto Apostolico manibus suis victum transigere, si quis ex Evangelio moverit quæstionem de volatilibus cœli, quæ non seminant, neque metunt, neque congregant in apotheeas, et de liliis agri, quia non laborant neque nent : facile res-

pondebunt, Si et nos per aliquam vel infirmitatem, vel occupationem non possimus operari, sic ille nos pascet et vestiet, quemadmodum aves et lilia quæ nihil operantur hujusmodi : cùm autem possumus, non debemus tentare Deum nostrum; quia et hoc quod possumus, ejus munere possumus, et cùm hinc vivimus, illo largiente vivimus, qui largitus est ut possimus. Et ideò de istis necessariis solliciti non sumus; quia cùm hæc possumus agere, ille nos pascit et vestit, à quo pascuntur homines et vestiuntur : cùm verò hæc non possumus agere, idem ipse nos pascit et vestit, à quo aves pascuntur et lilia vestiuntur; quoniam nos pluris sumus illis. Quapropter in istâ militiâ nostrâ, nec in crastinum cogitamus; quia non propter temporalia, quò pertinet crastinus, sed propter illa sempiterna, ubi semper hodiernus est, nos illi probavimus, ut ei nullis negotiis secularibus impliciti placeamus.

Lib. 10. *Confess. c.* 35. *n.* 55. Ex hoc autem evidentiùs discernitur quid voluptatis, quid curiositatis agatur per sensus; quod voluptas pulchra, canora, suavia, sapida, lenia sectatur : curiositas autem etiam his contraria tentandi causâ, non ad subeundam molestiam, sed experiendi, noscendique libidine. Quid enim voluptatis habet videre in laniato cadavere quod exhorreas; et tamen sicubi jaceat, concurrunt ut contristentur, ut palleant. Timent etiam ne in somnis hoc videant; quasi quisquam eos vigilantes videre coëgerit, aut pulchritudinis ulla fama persuaserit. Ita et in cæteris sensibus, quæ persequi longum est. Ex hoc morbo cupiditatis in spectaculis exhibentur quæque miracula. Hinc ad perscrutanda naturæ, quæ præter nos est operta, procedîtur, quæ scire nihil prodest, et nihil aliud quàm scire homines cupiunt. Hinc etiam, si quid eodem perversæ scientiæ fine per artes magicas quæritur. Hinc etiam in ipsâ religione Deus tentatur, cùm signa et prodigia flagitantur, non ad aliquam salutem, sed ad solam experientiam desiderata.

N. 56.... Nec anima mea unquam responsa quæsivit umbrarum, omnia sacrilega sacramenta detestor. Ad te, Domine Deus meus, cui humilem famulatum ac simplicem debeo, quantis mecum suggestionum machinationibus agit inimicus, ut signum aliquod petam? Sed obsecro te per Regem nostrum, et patriam Jerusalem, simplicem, castam, ut quemadmodùm à me longè est ista consensio, ita s.t semper longè atque longiùs. Pro salute autem cujusquam cùm te rogo, alius multùm differens finis est intentionis meæ, et te facientem quod vis, das mihi, et dabis libenter sequi.

Epist. 130. *aliàs* 120. *ad Probam, c. 4. n.* 9. Audisti qualis ores, nunc audi et quid ores, undè me maximè consulendum putasti, quoniam te permovet quod ait Apostolus (*Rom.* VIII. 26.) *Quid enim oremus, sicut oportet, nescimus :* et timuisti ne magis tibi obsit, non sicut oportet orare, quàm non orare. Quod itaque dici breviter potest. Ora beatam vitam, hanc enim habere omnes homines volunt.

Et post multa cap. 9. *n.* 18. In ipsa ergo fide et spe et charitate, continuato desiderio semper oramus. Sed ideò per certa intervalla horarum et temporum etiam verbis rogamus Deum, ut illis rerum signis nos ipsos admoneamus, quantumque in hoc desiderio profecerimus nobis ipsis innotescamus, et ad hoc augendum nos ipsos acriùs excitemus. Dignior enim sequetur effectus, quem ferventior præcedit affectus. Ac per hoc et quod ait Apostolus (1. *Thess.* V. 16.) *Sine intermissione orate;* quid est aliud quàm beatam vitam, quæ nulla nisi æterna est, ab eo qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderate? Semper ergo hanc à Domino Deo desideremus, et oramus semper. Sed ideò ab aliis curis atque negotiis, quibus ipsum desiderium quodammodo tepescit, certis horis ad negotium orandi mentem revocamus, verbis orationis nos ipsos admonentes in id, quod desideramus, intendere, ne quod tepescere cœperat, omninò frigescat et penitùs exstinguatur, nisi crebriùs inflammetur. Undè et illud idem Apostolus ait (*Philipp.* IV. 6.) *Postulationes vestræ innotescant apud Deum*, non sic accipiendum est, tanquam Deo innotescant, qui eas et antequam essent utique noverat, sed nobis innotescant apud Deum per tolerantiam, non apud homines per jactantiam.

tentat qui confidit concedendam sibi peccatorum remissionem sine ullâ pœnitentiâ. Denique Deum tentat qui spe veniæ peccat liberiùs. (C)

(C) Eccli. v. 5. De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum. 6. Et ne dicas : Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur. 7. Misericordia enim et ira ab illo citò proximant, et in peccatores respicit ira illius.

Rom. II. 4. An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis ? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ?

S. Aug. *Serm.* 2. *in Psal.* 31. *n.* 1. Anceps animus humanus, et fluctuans in er confessionem infirmitatis et audaciam præsumptionis, plerumque hinc atque indè contunditur, et ita impellitur, ut ei in quamlibet partem cadere præcipitium sit. Si enim se infirmitati propriæ omni ex parte donaverit, et in hanc cogitationem se inclinaverit, ut dicat, quia misericordia Dei omnibus peccatoribus, in quibuslibet peccatis perseverantibus, tantùm credentibus, quia Deus liberat, Deus ignoscit, ita in fine parata est, ut nemo pereat fidelium iniquorum, id est, nemo pereat eorum qui sibi dicunt, Quidvis faciam, quibuslibet facinoribus et flagitiis inquiner, quantumlibet peccem, liberat me Deus misericordiâ suâ, quia credidi in eum. Qui ergo dicit neminem perire talium, cogitatione malâ inclinatur in impunitatem peccatorum ; et Deus ille justus.... invenit hominem malè de se præsumentem, ad interitum suum misericordiâ Dei abutentem, et necesse est ut damnet. Talis itaque cogitatio præcipitat hominem : quâ quisque territus, si se in audaciam quamdam præsumptionis erexerit, et de suis viribus justitiaque præsumpserit, et proposuerit animo implere justitiam, et omnia quæ præcipiuntur in lege ita facere, ut in nullo offendat, atque in potestate suâ se habere vitam suam, ut omninò nusquàm labatur, nusquàm deficiat, nusquàm titubet, nusquàm caliget, sibique hoc tribuat, et potentatui voluntatis suæ : etiam si fortè implever.t omnia, quæ justa videntur coram oculis hominum, ita ut nihil inveniatur in vitâ ejus, quod possit reprehendi ab hominibus, ipsam præsumptionem jactationemque superbiæ damnat Deus. Quid igitur fit, si se homo justificaverit, et de justitia sua præsumpserit ? Cadit. Si considerans et cogitans infirmitatem suam, et præsumens de misericordiâ Dei, neglexerit vitam suam mundare à peccatis suis, et se omni gurgite flagitiorum demerserit ; et ipse cadit.... Ne præsumas ad regnum de justitia tua, ne præsumas ad peccandum de misericordiâ Dei. Ab utroque te revocat præceptum divinum, et ab illa altitudine, et ab ista profunditate. Illuc si ascenderis, præcipitaberis ; hâc si lapsus fueris, demergeris.

In Psal. 144. *n.* 11.... Dedit ergo (Deus) et spem veniæ, ne desperando ampliùs pecces : et spes et desperatio timenda est in peccatis. Videte vocem desperantis ad augenda peccata, et quomodò utrique voci occurrit providentia et misericordia Dei. Audi vocem desperantis : Jam inquit, damnandus sum, quare non facio quidquid volo ? Audi et vocem sperantis : Misericordia Domini magna est, quando me convertero, dimittet mihi omnia ; quare non facio quidquid volo ? Desperat, ut peccet ; sperat, ut peccet. Utrumque metuendum est, utrumque periculosum : væ à desperatione, væ à perversa spe. Utrique huic periculo et utrique malo quando occurrit misericordia Dei ? Quid dicis tu, qui desperando volebas peccare ? Jam damnandus sum, quare non facio quidquid volo : audi Scripturam (*Ezech.* XXXIII. 11.) : Nolo mortem impii, quantùm ut revertatur et vivat. Hac voce Dei reducitur in spem : sed timendus est alius laqueus, ne ipsa spe ampliùs peccet. Quid ergo et tu dicebas, qui spe magis peccas ? Quando me convertero, omnia mihi Deus dimittet, faciam quidquid volo. Audi et tu Scripturam (*Eccli.* v. 8. *et* 9.) : Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem : subitò enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te.

Tract. 33. *in c.* 8. *Joan. n.* 7.... Mansuetus Dominus, longanimis Dominus, misericors Dominus : sed et justus Dominus, et verax Dominus. Largitur tibi spatium correctionis : sed tu plus amas dilationem quàm emendationem. Malus fuisti heri ? hodiè bonus esto. Et hodiernum diem

I. Quandonam peccatur per desperationem ?

R. Id fit ratione multiplici. Peccat per desperationem,

1. Qui desperat veniam peccatorum præ eorum numero et gravitate. (D)

in malitia peregisti ? vel cras mutare. Semper exspectas, et de misericordiâ Dei tibi plurimum polliceris : quasi ille, qui tibi per pœnitentiam promisit indulgentiam, promiserit tibi etiam prolixiorem vitam.

N. 8. Ex utroque igitur homines periclitantur, et sperando et desperando, contrariis rebus, contrariis affectionibus. Sperando decipitur, qui decipitur, qui dicit, Bonus est Deus, misericors est Deus, faciam quod mihi placet, quodlibet, laxem habenas cupiditatibus meis, impleam desideria animæ meæ. Quare hoc ? Quia misericors est Deus, bonus est Deus, mansuetus est Deus. Spe isti periclitantur. Desperatione autem, qui cùm inciderint in gravia peccata, putantes sibi non posse jam ignosci pœnitentibus, et statuentes se ad damnationem sine dubio destinatos, dicunt apud seipsos, Jam damnandi sumus, quare non quod volumus, facimus ?.... Ideò molesti sunt desperati : jam enim quod timeant, non habent, et vehementer timendi sunt. Istos desperatio necat, spes illos : inter spem et desperationem fluctuat animus. Metuendum est ne te occidat spes, et cùm multum speras de misericordia, incidas in judicium : metuendum est rursùs, ne te occidat desperatio, et cùm putas jam tibi non ignosci quæ gravia commisisti, non agas pœnitentiam, et incurras in judicem sapientiam quæ dicit (*Prov.* I. 26.) : Et ego vestræ perditioni superridebo. Quid ergo agit Dominus cum periclitantibus utroque morbo ? Illis qui spe periclitantur ? hoc dicit ! *Eccli.* V. 8. *et* 9.) : Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem, subitò enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te. Illis qui desperatione periclitantur, quid dicit ? (*Ezech.* XXXIII. 12.) In quacunque die iniquus conversus fuerit, omnes iniquitates ejus obliviscar. Propter illos ergo qui desperatione periclitantur, proposuit indulgentiæ portum : propter illos qui spe periclitantur et dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum.

(D) S. AUG. *Serm.* 352. *de utilitate agendæ pœnitentiæ* 2. *aliàs* 27. *inter homilias* 50. *c.* 3. *n.* 8.... Nemo desperet. Judam proditorem non tam scelus quod commisit, quàm indulgentiæ desperatio fecit penitùs interire.... Quod fecit in corpore suo, hoc factum est in anima ipsius.... sic illi qui desperant de indulgentia Dei, ipsâ desperatione intùs se suffocant, ut eos Spiritus sanctus visitare non possit.

In Psal. CXLVI. *n.* 20... Sic time Dominum, ut speres in misericordia ejus... Si... times Deum quia peccator es, à quo accepturus es auxilium adversùs Deum, quo iturus es ? quid facturus ? Vis ab illo fugere ? Ad ipsum fuge. Vis fugere ab irato ? Fuge ad placatum. Placabis autem eum si speres in misericordia ipsius : atque ita de cætero peccare caveas, ut de præteritis depreceris, ut tibi dimittantur à Domino.

S. BASIL. *in Reg. brev. Resp. ad Interrog.* 13. Si fieri potest, ut multitudo miserationum Dei numeretur, et magnitudo misericordiæ mensurâ ullâ comprehendatur, collata cum magnitudine peccatorum, adhibeatur sanè, si libet, desperatio. Si autem hæc magnitudine possunt et numero definiri (Misericorda autem Dei et miserationes neque magnitudine ullâ possunt neque numero circumscribi) sine dubio non est cur desperatio adhibenda sit : sed agnoscenda misericordia Dei, et commissa peccata detestanda, quorum condonatio proposita est in sanguine Christi, sicut scriptum est. Quod autem nequaquam desperandum sit, hoc variè multis in locis docemur : maximè autem ex ea parabola Domini nostri Jesu Christi de filio, qui acceptam à patre substantiam flagitiosè totam prodegerat. Cujus pœnitentia qualis, quantæque lætitiæ causa fuerit, testimonia sunt ipsa verba Domini. Quin et per Isaiam (I. 18.) dicit Deus : Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nivem dealbabo : et si fuerint rubra sicut vermiculus, quasi lanam dealbabo. Quod quidem verum tantummodò debemus intelligere, si modus pœnitentiæ ex animi affectione peccatum detestante, memorabilis consequatur, sicut scriptum est in veteri ac novo Testamento : et fructus condignus.

2. Qui desperat morum suorum correctionem propter vim malæ consuetudinis, pondus cupiditatis, et propriæ infirmitatis et levitatis experientiam et conscientiam. Hinc oritur acedia et obduratio in malo, ut innuit his verbis Apostolus. (*Ephes.* IV. 19.) *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis.* (E)

3. Qui non sperat in Deo, nec permittit se divinæ Providentiæ, sed nimis anxiè sollicitus est, ne sibi sint necessaria. (F)

4. Qui non in Deo sed vel in semetipso, vel in qualibet alia re vel persona confidit. (G)

S. BERNARD. *In festo omnium Sanctor. Serm.* 1. *n.* 13. *circa finem.* Omnis enim in cujus conscientia clausum adhuc peccatum vivit, aut peccat in spe, et ita sentit de Deo, tanquam si minùs ei peccata displiceant: aut peccat in desperatione, immisericordem sentiens Deum. Quorum utrique meritò dicitur: (*Ps.* XLIX. 21.): *Existimasti iniquè quòd ero tui similis:* quoniam neuter Deum videt, sed mentitur iniquitas sibi, formans sibi idolum pro eò, quod non est ipse.

(E) JEREM. XVIII. 12. Qui dixerunt, Desperavimus: post cogitationes enim nostras ibimus, et unusquisque pravitatem cordis sui mala faciemus.

(F) PSAL. XXXIII. 9. Gustate, et videte quoniam suavis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo... 11. Divites eguerunt et esuricrunt, inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono... 23. Redimet Dominus animas servorum suorum: et non delinquent omnes qui sperant in eo.

XXXVI. 3. Spera in Domino, et fac bonitatem: et inhabita terram, et pasceris in divitiis ejus. 4. Delectare in Domino: et dabit tibi petitiones cordis tui. 5. Revela Domino viam tuam, et spera in eo: et ipse faciet. 6. Et educet quasi lumen justitiam tuam, et judicium tuum tanquam meridiem.. 9. Quoniam qui malignantur, exterminabuntur. Sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram.. 16. Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas..... 18. Novit Dominus dies immaculatorum, et hæreditas eorum in æternum erit. 19. Non confundentur in tempore malo, et in diebus famis saturabuntur... 25. Junior fui, etenim senui: et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.. 34. Exspecta Dominum, et custodi viam ejus: et exaltabit te, ut hæreditate capias terram... 39. Salus autem justorum à Domino: et protector eorum in tempore tribulationis. 40. Et adjuvabit eos Dominus, et liberabit eos: et eruet eos à peccatoribus, et salvabit eos: quia spectaverunt in eo.

ECCLI. II. 11. et 12. *Vide suprà* §. 1. *hujusce Cap. litt.* (G)

MATTH. VI. 25. Ideò dico vobis ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quàm esca: et corpus plus quàm vestimentum? 26. Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et pater vester cœlestis pascit ea. Nonne vos magis pluris estis illis? 27. Quis autem vestrûm cogitans, potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? 28. Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri, quomodò crescunt: non laborant, neque nent. 29. Dico autem vobis quoniam nec Salomon, in omni glorià suà coopertus est, sicut unum ex istis. 30. Si autem fenum agri, quod hodiè est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quantò magis vos modicæ fidei? 31. Nolite ergo solliciti esse dicentes: Quid manducabimus aut quid bibemus, aut quo operiemur: 32. Hæc enim omnia gentes inquirunt, scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. 33. Quærite ergo primùm regnum Dei, et justitiam ejus: et hæc omnia adjicientur vobis. 34. Nolite solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi; sufficit diei malitia sua.

(G) 1. TIMOTH. VI. 6. Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia. 7. Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid possumus. 8. 9. *et* 10. *Vide suprà* §. 2. *Cap.* 2. *Sect.* 1. *hujusce Partis, litt.* (E) 17. 18. *et* 19. *Vide suprà* §. 2. *Cap.* 2. *Sect.* 1. *hujusce Partis, litt.* (F)

S. AUG. *In Psal.* XXXIX. *n.* 7... Sit Dominus Deus tuus spestua: non aliud

CAPUT QUARTUM.

De Charitate.

§. 1. De Amore Dei.

I. Quid est Charitas?

R. Charitas est donum Dei, quo fit ut diligamus Deum propter ipsum super omnia, et proximum propter Deum sicut nos ipsos. (A)

aliquid à Domino Deo tuo speres, sedipse Dominus tuus sit spes tua. Namque multi de Deo sperant pecuniam, multi de Deo sperant honores caducos et perituros, aliud quodlibet à Deo præter ipsum Deum: sed tu ipsum Deum tuum pete: Immò verò contemptis aliis, perge ad illum; obliviscens alia, memento illius; relinquens retrò alia, extendere in illum.... Relinque omnes amores: pulchrior est ille, qui fecit cœlum et terram.

N. 8... Sit spes nostra Deus noster. Qui fecit omnia, melior est omnibus: qui pulchra fecit, pulchrior est omnibus; qui fortia, fortior est; qui magna, major est: Quidquid amaveris, ille tibi erit. Disce amare in creatura creatorem, et in factura factorem: ne teneat te quod ab illo factum est: et amittas eum à quo et ipse factus es. Ergo, *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et insanias mendaces.* (*Ps.* XXXIX. 5.)

N. 9. Intendat mirabilia Dei... regat luxuriam, regat ignaviam, regat injustitiam, regat imprudentiam. Motus istos, qui nimiùm lapsi hæc vitia faciunt, regat et subdat sibi, et teneat habenas et non rapiatur, ducat quò vult, non trahatur quò non vult... Hæc munera, hæc spectacula edit Deus... Clamat de cœlo, Specto vos: luctamini, adjuvabo; vincite, coronabo... Ne deficias, vide præcedentem et dicentem (I. *Cor.* IV. 9.), Spectaculum facti sumus huic mundo, et Angelis, et hominibus. Calca mare (mundi,) ne mergaris in mari. Non ibis, non calcabis, nisi ille jusserit, qui prior in mari ambulavit. Sic enim ait Petrus. (*Matth.* XIV. 28.), Si tu es, jube me venire ad te super aquas: et quia ipse erat, audivit petentem, tribuit desideranti, vocavit ambulantem, erexit mergentem. Hæc mirabilia fecit Dominus, ipsa intuere: oculus spectantis fides sit. Et fac tu talia, quia et si venti turbaverint, et si fluctus infremuerint, et te humana fragilitas ad aliquam dubitationem tuæ salutis adduxerit, habes clamare, dicis, Domine pereo. Non sinit ille perire, qui jussit te ambulare. Quia enim jam in petra ambulas, nec in mari times: Si sine petra fueris, in mare mergeris; quia in tali petra ambulandum est, quæ in mari non mersa est.

Vide insuper loca varia Scripturæ superiori paragrapho adducta.

(A) S. AUG. *Lib.* 3. *de Doctrinâ Christianâ, cap.* 10. *n.* 16. Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, et se atque proximo propter Deum. Cupiditatem autem motum animi ad fruendum se et proximo et quolibet corpore non propter Deum.... Quantò autem magis regnum cupiditatis destruitur, tantò charitatis augetur.

BERNARDUS *quidam Tract. de statu virtutum, tom.* 2. *Oper.* D. BERNARDI *part.* 3. *n.* 34. *Hanc D. Aug. definitionem explicat his verbis.* Notandum quando dicitur charitas *esse motus animi*; motus corporis removetur, qui quamvis aliquando sit opus charitatis, tamen non est charitas. Et quia movetur animus ad judicandum, et ad consimilia, additur *ad diligendum*: sed quia movetur ad diligendum seculum, additur, *Deum.* Et ne aliquis exspectet aliud præmium à Domino quàm ipsum Deum, rectè subjungitur, *propter Deum*; et item quia nullus debet seipsum diligere propter seipsum, nec proximum propter proximum, sed propter Deum, convenienter subditur, *et se et proximum, propter Deum.* Et attende quàm rectè determinatum sit *propter Deum.* Homo nec per se est, nec per se bonus est, sed à Deo est, à Deo bonus est. Similiter dico de Angelo et de quacunque creatura; Deus enim per se est, et per se bonus

Donum Dei : hanc enim largitur solus Deus, hanc habere nemo potest à semetipso. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum*, inquit Apostolus. (*Rom.* v. 5.) *Necesse est autem*, inquit August. (*lib. de gratia N. T. seu Epist.* 140. *aliàs* 120. *ad Honorat. c.* 37. *n.* 85.) *ut parum diligat Deum, qui non ab illo, sed à seipso bonum, se arbitratur effectum.* (B)

est. In eo autem qui per se est, et per se bonus est, finis nostræ beatitudinis constituitur : Ergo in solo Deo. Quod si homo diligeret seipsum, propter seipsum, vel proximum propter proximum, jam non in Deo sed in creatura finem suæ beatitudinis constitueret, quod nefas esset. Undè proculdubio in miseriam laberetur homo, cùm sibi ipsi non posset esse beatitudo, nec aliquid præter Deum. Debet ergo unusquisque seipsum diligere, nec propter se, sed propter Deum..., Jure ergo charitas dicitur signum quo discernuntur electi à reprobis. Non enim discerni possunt fide aut eleemosynarum largitione, vel scientiâ, vel jejuniorum, vel vigiliarum affectionibus, vel martyrio : hæc enim sunt communia electis et reprobis. Sola ergo charitas filios Dei à filiis gehennæ distinguit, dicente Domino (*Joan.* XIII. 35.) : In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem.

ORIGENES *in Epist. ad Rom. cap.* 4. *l.* 4. Puto quod prima salutis initia, et ipsa fundamenta fides est : profectus verò et augmenta ædificii spes est : perfectio autem et culmen totius operis charitas : et ideò major omnium dicitur charitas.

Cap. 6. *lib.* 6. Idcircò enim et fide, et spe major charitas dicitur, quia sola erit per quam delinqui ultrà non poterit. Si enim in id anima perfectionis ascenderit, ut ex toto corde suo, et ex tota anima sua, et ex totis viribus suis diligat Deum, et proximum suum tanquam seipsam, ubi erit peccati locus ? Idcircò denique et in lege hoc dicitur primum mandatum esse, et in Evangeliis supra cætera omnia de charitate mandatur, et Petro cùm summa rerum de pascendis ovibus traderetur, et super ipsum velut super terram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo nisi charitas exigitur ; et Joannes cùm multa de charitate, tum etiam hoc dicit (1. *Epist.* IV. 16.) : quia, qui manet in charite, in Deo manet.... Quamvis enim sit etiam virtus, et maneat in natura, tamen tanta charitatis vis est, ut ad se omnia trahat, omnesque sibi societ vendicetque virtutes.

(B) ORIGENES *In Epist. ad Rom. cap.* 12. *lib.* 9. Charitas sine simulatione. Ergo puto quod omnis charitas quæ non est secundùm Deum, simulata sit, et veritas non sit. Etenim creator animæ Deus idcircò et cum cæteris virtutibus etiam affectum charitatis inseruit, ut diligat Deum, et ea quæ vult Deus. Cùm ergo hoc opus anima dedit charitati, quicunque aliquid aliud dilexerit quàm Deum, et quæ Deo placent, charitas in eo ficta et simulata dicenda est.

S. AUG. *Serm.* 105. *de verbis Evang. Luc.* XX. *aliàs* 29. *de verbis Domini, cap.* 4. *n.* 5. Opus est ut habeas charitatem, habeas fidem, habeas spem : ut possit tibi dulce esse quod datur. Et hæc ipsa tria sunt, fides, spes, charitas. Et hæc ipsa dona Dei sunt.... Et charitatem ab ipso accepimus, de quo dicitur (*Rom.* v. 5.) : Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Enarr. in Psal. LXVII. *n.* 18. Quid enim sunt vel ipsæ alæ, nisi duo præcepta charitatis, in quibus (*Matth.* XXII. 40.) tota lex pendet et Prophetæ ? Quid ipsa sarcina levis, nisi ipsa charitas, quæ in his duobus præceptis impletur ? Quidquid enim difficile est in præcepto, leve est amanti. Nec ob aliud rectè intelligitur dictum (*alth.* XI. 30.) Onus meum leve est, nisi quia dat Spiritum sanctum, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, ut amando liberaliter faciamus, quod timendo qui facit serviliter facit ; nec est amicus recti, quando mallet, si fieri posset, in quod rectum est non juberi.

GUILLELM. à S. THEODOR. *In tomo* 2. *Operum* S. BERN. *Tract. de natura*

Quo fit, ut diligamus Deum propter ipsum. Hoc est, ut amemus Deum, nec amoris præmium aliud expetamus ullum, nec causam aliam amoris habeamus ullum, quàm Deum ipsum. (C)

et dignitate amoris, n. 12. Amor illuminatus charitas est: amor à Deo in Deo, ad Deum charitas est... Hoc est jugum Domini suave, et onus leve, onus quod portantem portat, et levigat. Onus leve Evangelii, suave eis, quibus dicit ipse Dominus (*Joan.* XV. 15.): *Jam non dicam vos servos, sed amicos meos.* Qui enim priùs portare non poterat præcepta legis, postea illi levia sunt præcepta Evangelii, per cooperantem gratiam. Qui primùm non poterat implere: *Non occides* (*Exod.* XX. 13.): posteà leve habet *pro fratribus animam ponere.* (1. *Joan.* III. 16.)

(C) S. AUG. *In Psal.* LXXII. *n.* 34. *Vide Cap. præliminar. hujusce Partis, litt.* (K)

In Psal. CXXXIV. *n.* 11. Undè justis et sanctis Dei placuit Deus, etiam flagellans eos. Quando iniquis omnibus displicet, placuit illis; et sub flagello ejus, in ærumna, in laboribus, in vulneribus, in egestate constituti laudaverunt Deum: non eis displicuit, nec torquens. Hoc est gratis amare, non quasi propositâ acceptione mercedis; quia ipsa merces tua summa Deus ipse erit, quem gratis diligis: et sic amare debes, ut ipsum pro mercede desiderare non desinas, qui solus te satiet.

Lib. de Div. Quæst. 83. *quæst.* 36. *n.* 1. Charitatem voco, quâ amantur ea, quæ non sunt præ ipso amante contemnenda: id est, quod æternum est, et quod amare ipsum æternum potest. Deus igitur et animus quo amatur, charitas propriè dicitur purgatissima, et consummata, si nihil aliud amatur: hanc et dilectionem dici placet. Sed cùm Deus magis diligitur quàm animus, ut malit homo ejus esse quàm suus, tunc verè animo summèquè consulitur, consequenter et corpori, nobis id non curantibus aliquo appetitu salagente, sed tantùm prompta et oblata sumentibus. Charitatis autem venenum est, spes adipiscendorum aut retinendorum temporalium. Nutrimentum ejus est, imminutio cupiditatis: perfectio, nulla cupiditas. Signum profectûs ejus immunitio timoris; signum perfectionis ejus, nullus timor, quia et *radix est omnium malorum cupiditas, et consummata dilectio foràs mittit timorem.* (1. *Timoth.* VI. 10.) (1. *Joan.* IV. 18.) Quisquis igitur eam nutrire vult, instat minuendis cupiditatibus.

N. 2. Jam verò cùm aliqua non peccandi consuetudo, quod onerosum putabatur, facile esse persuaserit; incipiat gustari dulcedo pietatis, et commendari pulchritudo virtutis, ut charitatis libertas præ servitute timoris emineat.

Enarrat. in Psal. XLVII. *n.* 13. Quæ est virtus civitatis hujus? Qui vult intelligere virtutem hujus civitatis, intelligat viam charitatis. Ipsa est virtus, quam nemo vincit. Hujus ignem nulli fluctus seculi, nulla flumina tentationis exstinguunt. De hac dictum est (*Cant.* VIII. 6.), Valida est sicut mors dilectio. Quomodò enim mors quando venit, resisti ei non potest, quibuslibet medicamentis occurras, violentiam mortis vitare non potest, qui mortalis natus est; sic contra violentiam charitatis mundus nil potest. A contrario enim similitudo data est de morte; quomodò enim mors ad auferendum violentissima est, sic charitas violentissima est ad salvandum. Per charitatem enim multi mortui sunt seculo, ut viverent Deo. Hac charitate accensi Martyres... quid eis fecerunt tentationes sævientium?

Enarrat in Psal. LI. *n.* 12. In terra viventium nos debemus habere radicem. Radix nostra ibi sit. In occulto est radix: fructus videri possunt, radix videri non potest. Radix nostra charitas nostra, et fructus nostri opera nostra: opus est ut opera tua de charitate procedant, tunc est radix tua in terra viventium.

Enarrat. in Psal. CXXII. *n.* 1, Non præter spem esse debemus, immò cum magna fiducia præsumere; quia si per charitatem ipse nobiscum in terra est, per eamdem charitatem et nos cum eo in cœlo sumus. Sed diximus, quemadmodùm nobiscum ipse in terra sit, vocem ejus diximus de cœlo sonantis, (*Act.* XXII. 7.), Saule, Saule, quid me persequeris? Cùm

Super omnia. Hoc est, amori Dei præferamus nihil, non nosmetipsos, non aliud quidquam.

Et proximum propter Deum, sicut nos ipsos. Hæc pars altera præcepti charitatis, quæ debitum nobis ipsis et proximo amorem spectat : de qua agemus posteà.

I. Quandonam diligimus Deum super omnia ?

R. Quando sic Deum diligimus, ut parati simus quidlibet pati potiùs quàm peccare : ut et bonorum, et parentum, et amicorum, et famæ, et vitæ ipsius jacturam peccato cuilibet anteponamus.

I. Tenemurne Deum diligere super omnia ?

R. Tenemur omninò. *Qui amat patrem aut matrem super me*, inquit Christus (*Matth.* X. 37.) *non est me dignus : et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.* Et (*Joan.* XII. 25.) *Qui amat animam suam, perdet eam : et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Vel, ut habet Matth. (X. 36.) *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Et Paulus Apostolus hæc habet : (*Rom.* VIII. 35.) *Quis nos separabit à charitate Christi ? Tribulatio ? An angustia ? An fames ? An nuditas ? An periculum ? An persecutio ? An gladius ?.... In his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.* Alia id genus plurima exstant in novo Testamento.

I. Præceptum charitatis novumne est ?

R. Primum omnium est et antiquitate, et dignitate, et necessitate. Fundamentum habet in ipsâ hominis naturâ. Jure quippe naturæ tenemur supremum Deo, utpote creatori, cultum et honorem exhibere. *Non colitur Deus nisi amando*, inquit S. Augustinus, (*Lib. de gratiâ novi Testa-*

cum Saulus omninò non tangeret, sed nec videret. Quomodò autem ostenditur, quia et nos cum illo in cœlo sumus ? Eodem ipso Paulo Apostolo dicente (*Coloss.* III. 1.) : Si consurrexistis cum Christo, quæ sursùm sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens ; quæ sursùm sunt sapite, non quæ super terram.

Enarrat. in Psal. CXLIX. *n.* 4. Est quædam visio hujus temporis, erit altera visio futuri temporis : visio quæ modò est, per fidem est ; visio quæ futura est, per speciem erit. Si creditmus, videmus : si amamus, videmus ; Quid videmus ? Deum. Ubi est ipse Deus ? interroga Joannem : (1. *Epist.* IV. 16.) Deus charitas est. Benedicamus nomen ejus sanctum ; et gaudeamus in Deo, si gaudemus in charitate. Quisquis habet charitatem, ut quid illum millimus longè, ut videat Deum ? Conscientiam suam attendat, et ibi vidit Deum. Si charitas ibi non habitat, non ibi habitat Deus : si autem charitas ibi habitat, Deus ibi habitat. Vult illum fortè videre sedentem in cœlo ; habeat charitatem, et in eo habitat sicut in cœlo. Commendamus vos Deo. Quomodò vobis Deum commendamus ? Ut diligatis cum bono vestro, non bono ipsius. Quia malo vestro cum non diligitis, non malo ipsius. Non enim minùs habebit Deus divinitatem, si homo in illum non habeat charitatem. Tu crescis ex Deo, non ille ex te : et tamen tantùm nos dilexit prior, antequam cum diligeremus, ut Filium suum unicum mitteret mori pro nobis.

menti, seu Epist. 140. *aliàs* 120. *ad Honorat. c.* 18. *n.* 45.) (D) Intellige, non coli Deum cultu perfecto nisi per charita-

(D) S. Bernard. *Tract. de dilig. Deo, cap.* 2. *n.* 6. Cæterùm penè à proposito longè nimis digressi sumus, dùm demonstrare satagimus, eos quoque, qui Christum nesciunt, satis per legem naturalem ex perceptis bonis corporis animæque moneri, qualenùs Deum propter Deum et ipsi diligere debeant. Nam ut breviter quæ super hoc dicta sunt, iterentur: quis vel infidelis ignoret suo corpori non ab alio in hac mortali vita supradicta illa necessaria ministrari, undè videlicet subsistat, undè videat, undè spiret, quàm ab illo *qui dat escam omni carni.* (*Ps.* cxxxv. 25.) *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.* (*Matth.* v. 46.) Quis item vel impius putet alium ejus quæ in anima splendet, humanæ dignitatis auctorem, præter illum ipsum qui in Genesi (i. 26.) loquitur, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram? Quis alium scientiæ largitorem existimet, nisi æquè ipsum, *qui docet hominem scientiam?* (*Psal.* xciii. 10.) Quis rursùm munus sibi aliunde virtutis aut putet datum, aut speret dandum quàm de manu illidem Domini virtutum? Meretur ergo amari propter seipsum Deus et ab infideli: qui etsi nesciat Christum, scit tamen seipsum. Proindè inexcusabilis est omnis etiam infidelis, si non diligit Dominum Deum suum ex toto corde, totâ animâ, totâ virtute suâ. Clamat nempe intùs ei innata et non ignota rationi justitia, quia ex toto se illum diligere debeat, cui se totum debere non ignorat. Verùm difficile, imò impossibile est, suis scilicet quempiam liberive arbitrii viribus semel accepta à Deo, ad Dei ex toto convertere voluntatem: et non magis ad propriam retorquere, eaque sibi tanquam propria retinere, sicut scriptum est, (*Philip.* ii. 21.) Omnes quæ sua sunt quærunt; et item (*Genes.* viii. 29.) Proni sunt sensus et cogitationes hominis in malum.

Origenes *Homil.* 14. *in Numer. c.* 4. *in fine.* (1. *Cor.* xiii. 8.) Sive prophetiæ abolebuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. Et quid est ergo quod permanet? Fides, inquit, spes, et charitas: major autem horum, charitas. Et sola, inquit, charitas est, quæ nunquam excidit. Ideò super prophetiam, super scientiam, super fidem, super ipsum etiam martyrium, ut Paulus docet, charitas habenda est, et charitas excolenda: quia et Deus charitas est, et Christus filius ejus charitas est.

S. Aug. *Epist.* 167. *aliàs* 29. *ad Hieronym. cap.* 3. *n.* 11.... Quid autem est pietas; nisi Dei cultus? et undè ille colitur, nisi charitate? (1. *Tim.* i. 5.) Charitas igitur de corde puro et conscientiâ bonâ et fide non fictâ, magna et vera virtus est, quia ipsa est et finis præcepti. Meritò dicta est (*Cant.* viii. 6.) *Fortis sicut mors:* sive quia nemo eam vincit, sicut mortem, sive quia in hac vita usque ad mortem, est mensura charitatis: sicut Dominus ait: (*Joan.* xv. 13.) *Majorem hac charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis:* sive potiùs, quia sicut mors animam avellit à sensibus carnis, sic charitas à concupiscentiis carnalibus.

Epist. 155. *aliàs* 52. *ad Macedonium, c.* 4. *n.* 13. Quanquam in hàc vitâ virtus non est, nisi diligere quod diligendum est. Id eligere, prudentia est; nullis indè averti molestiis, fortitudo est: nullis illecebris, temperantia est; nullâ superbiâ, justitia est. Quid autem eligamus quod præcipuè diligamus, nisi quo nihil melius invenimus? Hoc Deus est, cui si diligendo aliquid, vel præponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus. Tantò enim nobis melius est, quantò magis in illum imus, quo nihil melius est. Imus autem non ambulando, sed amando. Quem tantò habebimus præsentiorem, quantò eumdem amorem, quo in eum tendimus, potuerimus habere puriorem: nec enim locis corporalibus, vel extenditur, vel includitur. Ad eum ergo, qui ubique præsens est et ubique totus, non pedibus ire licet, sed moribus. Mores autem nostri, non ex eo quod quisque novit, sed ex eo quod diligit, dijudicari solent. Nec faciunt bonos, vel malos mores, nisi boni, vel mali amores. Pravitate ergo nostrâ à rectitudine Dei longè sumus. Undè rectum amando corrigimur, ut recto recti adhærere possimus.

tem. *Fide* quippè, *spe et charitate colendus Deus*, ait idem S. Doctor (*Enchirid. c. 3. et 6.*) quia nempè, pergit (*Serm. 37. c. 1. edit. nov.*), *Domus Dei, credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* Non alio sensu intelligendus Augustinus, quando non semel cum ipso diximus, Deum, non nisi amando, coli.

I. Fuitne præceptum hoc Judæis cognitum ?

R. Fuit. Primum hoc est et maximum mandatum in lege; cujus hæc verba sunt. (*Deut.* VI. 5.) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ, et ex totâ fortitudine tuâ.* 6. *Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodiè, in corde tuo :* 7. *Et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in eis sedens in domo tuâ, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens.* 8. *Et ligabis ea quasi signum in manu tuâ, etc.*

Hoc ipsum mandatum dedit Christus Christianis, aitque (*Matth.* XIX. 17.) posse neminem ad vitam ingredi, nisi illud servaverit. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Præcepta nosti : *diliges proximum tuum sicut teipsum.* Et interroganti, *quod esset mandatum magnum in lege ?* ait (*Matth.* XXII. 37.) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua : Hoc est maximum, et primum mandatum.*

I. Quis sensus est horum verborum, *Diliges Deum ex toto corde, et ex totâ animâ, et ex totâ fortitudine, etc ?*

R. Sensus est ad Deum referri oportere omnia cordis desideria, omnes liberas mentis cogitationes, omnes omninò vitæ actus. Quemadmodùm voluptarius refert omnia ad voluptatem, et avarus refert omnia ad divitias. Non vult Deus cor nostrum scindi in duas partes, ita ut partem unam Deus, partem alteram creatura possideat. Cor totum pro suo jure postulat (*Matth.* VI. 24.) *Nemo potest duobus dominis servire.* (E)

N. 15. Nemo nisi Deum diligendo, diligit seipsum.

Epist. 140. *alias* 120. *ad Honoratum, seu de gratia novi Testamenti, c.* 18. *n.* 45... Quis autem veraciter laudat, nisi qui sinceriter amat ?... Porrò pietas cultus Dei est, nec colitur ille nisi amando. Summa igitur et vera sapientia est in præcepto illo primo, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ animâ tuâ.*

(E) ORIGENES *in Luc. Lib.* 3. *Homil.* 25. Ne diligas hominem ex tota anima tua, et ex tota virtute tua : ne ames Angelum de toto corde, de tota anima, de tota virtute, sed præceptum juxta eloquium Salvatoris soli serva Deo. Diliges enim, inquit (*Matth.* XXII. 37.) Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua. Respondeat mihi aliquis, et dicat : Salvator præcipit, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua, et proximum tuum tanquam teipsum. Volo diligere Christum.... Diliges Dominum Deum tuum in Christo.

S. AUG. *Lib.* 1. *de doctrinâ Christianâ, c.* 22. *n.* 20. In his igitur omnibus rebus illæ tantùm sunt quibus fruendum est, quas æternas atque incommutabiles commemoravimus : cæteris autem utendum est, ut ad illorum perfruitionem pervenire possimus.

N. 21. Sed nec seipso quisquam frui debet, si liquidò advertas, quia nec seipsum debet propter seipsum diligere, sed propter illum quo fruendum est. Tunc est quippè optimus homo, cùm totâ vitâ suâ pergit in incommutabilem vitam, et toto affectu inhæret illi : si autem se propter

se diligit, non se refert ad Deum, sed ad seipsum conversus, non ad incommutabile aliquid convertitur: et propterea jam cum defectu aliquo se fruitur; quia melior est cùm totus hæret atque constringitur incommutabili bono, quàm cùm indè vel ad seipsum relaxatur. Si ergo teipsum non propter te debes diligere, sed propter illum ubi dilectionis tuæ rectissimus finis est, non succenseat alius homo, si etiam ipsum propter Deum diligis. Hæc enim regula dilectionis divinitùs constituta est: *Diliges*, inquit, *proximum tuum sicut teipsum: Deum verò ex toto corde et ex tota anima et ex tota mente*, ut omnes cogitationes tuas, et omnem vitam et omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipsa quæ confers. Cùm autem ait, *toto corde, totâ animâ, totâ mente*, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, et quasi locum dare, ut aliâ re velit frui; sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illùc rapiatur, quò totus dilectionis impetus currit. Quisquis ergo rectè proximum diligit, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipse toto corde, totâ animâ, totâ mente diligat Deum. Sic enim eum diligens tanquam seipsum, totam dilectionem sui et illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum à se rivulum duci extrà patitur, cujus derivatione minuatur.

Enarrat. in Psal. CXXI. *n.* 10. Fortis res est dilectio. Ipsa est virtus nostra: quia si in illa non fuerimus, nihil prodest quidquid aliud habuerimus.

Enchirid. cap. 107. *n.* 31. Jam porrò charitas, quam duabus istis, id est, fide ac spe majorem dixit Apostolus, quantò in quocunque major est, tantò melior est in quo est. Cùm enim quæritur, utrùm quisque sit homo bonus, non quæritur quid credat, aut speret, sed quid amet. Nam qui rectè amat procul dubio rectè credit et sperat: qui verò non amat, inaniter credit, etiamsi sint vera quæ credit; inaniter sperat, etiamsi ad veram felicitatem doceantur pertinere quæ sperat: nisi et hoc credat ac speret, quod sibi petenti donari possit ut amet. Quamvis enim sperare sine amore non possit, fieri tamen potest ut id non amet, sine quo ad id, quod sperat, non potest pervenire. Tanquam si speret vitam æternam, (quam quis non amat?) et non amet justitiam, sine qua nemo ad illam pervenit. Ipsa est autem fides Christi, quam commendat Apostolus, quæ per dilectionem operatur, et quod in dilectione nondùm habet, petit ut accipiat, quærit ut inveniat, pulsat ut aperiatur ei. Fides namque impetrat quod lex imperat. Nam sine Dei dono, id est, sine Spiritu sancto, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, jubere lex poterit, non juvare; et prævaricatorem insuper facere, qui de ignorantia se excusare non possit. Regnat enim carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas.

Enchirid. cap. 121. *n.* 31. Omnia igitur præcepta divina referuntur ad charitatem, de qua dicit Apostolus (1. *Tim.* I. 5.) *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.* Omnis itaque præcepti finis est charitas, id est, ad charitatem refertur omne præceptum. Quod verò ita fit vel timore pœnæ, vel aliquâ intentione carnali, ut non referatur ad illam charitatem, quam diffundit Spiritus in cordibus nostris, nondùm fit quemadmodùm fieri oportet, quamvis fieri videatur. Charitas quippè ista Dei est et proximi: et utique in his duobus præceptis tota lex pendet et Prophetæ. Adde Evangelium, adde Apostolos: non enim aliundè vox ista est, Finis præcepti est charitas: et Deus charitas. Quæcunque ergo mandat Deus, ex quibus unum est, Non mœchaberis, et quæcunque non jubentur, sed spiritali consilio monentur, ex quibus unum est, Bonum est homini mulierem non tangere: tunc rectè fiunt, cùm referuntur ad diligendum Deum, et proximum propter Deum, et in hoc sæculo, et in futuro; nunc Deum per fidem, tunc per speciem, et ipsum proximum nunc per fidem.

PETRI VENERAB. *ad S. Bernard. Epist. inter* S. BERNARD. *Epist.* 229. *n.* 28. Sicut sine fide, sic et sine charitate impossibile Deo placere.

N. 29. Inflationem ergo omnem, ambitionem omnem, cupiditatem omnem, avaritiam omnem excludit charitas: imò per charitatem, juxta sequentia Apostoli, expellitur tota simul iniquitas.

S. BERNARD. *Serm.* 10. *de diversis. n.* 3. Deum verò si, ut dignum est, totâ virtute, totâ animâ, toto corde diligimus, ipsi magis in eum pergi-

I. Quis sensus est horum verborum quos retulisti ex Moyse : *Erunt verba hæc in corde tuo , et meditaberis in eis sedens in domo tuâ , et ambulans in itinere , dormiens atque consurgens : et ligabis ea quasi signum in manu ?*

R. His Moysi verbis non obscurè innuitur , hoc fuisse Judæis non secùs ac Christianis præceptum , ut in omnibus agerent ex intimo amoris in Deum sensu ; ut ad Deum omnia referrent , etiam quæ ex innata naturæ propensione ad necessariam vitæ sustentationem quotidiè agimus.

Id ipsum à Paulo Apostolo præcipitur Christianis. *Sive manducatis* , inquit (1. *Cor.* X. 31.) , *sive bibitis , sive aliud quid facitis , omnia in gloriam Dei facite.* Quod quidem non eo sensu ab Apostolo dictum existima , ut quidquid fit sine charitate habituali vel etiam actuali propriè ac strictè dicta, eo ipso verum sit peccatum , nullamque in ordine salutis laudem mereatur. Actus quippè fidei , spei , timoris supernaturalis , aliarumque virtutum moralium , quibus homo peccator, cœlesti aspirante et adjuvante gratiâ , sibi ad justitiam viam parat , vera peccata nec sunt nec dici possunt. Quamvis enim , absente charitate , plenam , perfectam , ac saluti assequendæ parem laudem illa non habeant , habent tamen aliquam etiam in ordine salutis , ex divina scilicet gratia , quâ mediante eliciuntur : quam quidem gratiam S. Augustinus interdùm bonam voluntatem appellat , et amorem recti. Præceptum scilicet dilectionis cùm affirmativum sit , non obligat semper , ac pro semper , ut loquuntur scholæ Magistri. Mens igitur Apostoli hæc videtur esse , ut nihil unquam homo faciat , quod sit contra charitatem , et totâ festinatione in eum qui ineffabiliter supra nos est , properamus.

N. 4. Illud quoque vestræ nihilominùs diligentiæ considerandum relinquo , quòd quemadmodùm artus corporis cadere necesse est , quàm citò desertt eos anima vegetare ; sic et eas , quas diximus , affectiones , quæ sunt velut quædam animæ membra , sine anima ipsius animæ (quæ Deus est) cadere omninò necesse est : quatenùs videlicet aut ex toto non diligatur quod diligendum est , aut non diligatur ad quod debet , aut quomodo debet. Sunt enim qui parentes carnaliter tantùm diligunt... sed hujusmodi dilectio aut omninò vocanda dilectio non est , aut caduca est , et decidens in terram.

GUILLELM. Abbas S. Theoder. *Tract. de Vita solitaria ad Fratres de Monte Dei , cap.* 15. *n.* 53. Custos animæ suæ valdè sollicitus esse debet circa custodiam voluntatis suæ , ut prudenter intelligat , et discernat quod in totum velit , vel volendum sibi sit , sicut et amor Dei : quid propter illud , sicut est amor proximi. Ut enim in illo tuta sit omnis indiscretio , in hoc semper secundùm obedientiæ regulas cauta et prudens debet esse dilectio. In dilectione quippè Dei non alia ratio , non alia discretio est , nisi ut sicut ille cùm dilexisset nos , in finem dilexit nos : sic , si fieri potest , in infinitum diligamus eum nos, sicut Beatus vir (*Ps.* XXI. 1.) qui in mandatis ejus cupit nimis.

B. OGERIUS Abbas *Serm.* 1. *in ult. cœna , tom.* 2. *oper.* S. BERN. *n.* 2. In ejus dilectione modus amoris nullus esse debet. Sine modo te dilexit : sine modo eum diligere debes. Modum dilectionis excessit te diligendo , pro te moriendo : quantùm eum diligere debes , non potes. Dilige eum ex toto corde , ex tota mente et omni anima , et omnibus viribus tuis. Hoc tantum quærit : hoc fac et vives.

tem et legem Dei ; ut Deo nihil præferat ; ut cor ejus, sicut mox dictum fuit, non scindatur in duas partes, ita ut partem unam Deus, partem alteram creatura possideat ; ut omnia referat ad Deum saltem indirectè et interpretativè. Quidquid porrò in homine boni est, totum illud in Deum, boni totius fontem et auctorem, quasi proprio pondere relabitur. Atque hoc sensu præceptum amoris Dei negativum aliquid includere, nec semper et pro omni tempore obligare iidem Theologi affirmant post S. Thomam. Aliquis, inquit (*S. Thom.* 2. 2. *q.* 24. *art.* 8.), *totum cor suum ponit in Deo, ita scilicet quòd nihil cogitet vel velit quod divinæ dilectioni sit contrarium.* (Ee)

I. Ut hocce præceptum divinæ charitatis impleamus, necessenè est ut mens indesinenter de Deo cogitet ?

R. Non is est hujus vitæ status ut mens possit indesinenter Deum cogitare. Hæc est suprema Sanctorum felicitas, in quam suspiramus. Interea ut Deum diligamus quantùm à nobis in via positis postulat, sufficit si quidquid cogitamus, loquimur, agimus, totum id referatur ad Deum directè vel indirectè. (F)

(Ee) S. THOM. 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 10. *ad* 2. Sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde ; ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum ; et ideò præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum. Si ergo qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod est honorare parentes ; sed ex vi hujus præcepti (*Deut.* VI. 5.), *Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo :* et cùm ista sint duo præcepta affirmativa (nempe diligere Deum, et honorare parentes) non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare ; et ita potest contingere quòd aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur præceptum de omissione modi charitatis.

Quæst. 88. *art. ad* 2. Dicendum quòd illud præceptum Apostoli est affirmativum : undè non obligat ad semper ; et sic non facit contra hoc præceptum, quicunque actu non refert in gloriam Dei omne quod facit : sufficit ergo quòd aliquis habitualiter referat se et omnia sua in Deum, ad hoc quòd non semper mortaliter peccet, cùm aliquem actum non refert in gloriam Dei actualiter.

(F) BERNARDI *cujusdam tract. de Stat. virtut. tom.* 2. *operum* D. BERNARD. *part.* 3. *n.* 3. Nulla virtus sine charitate roboratur, immò in peccatum vertitur. Peritus enim sine charitate stultus est, et idiota quilibet, si charitatem habet, valdè doctus est, divinâ Scripturâ testante : ille tenet et quod patet, et quod latet in divinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus..... Charitas ergo mira, pulchra, optima docet et operatur. Docet enim ut semper diligatur quod diligendum est, ut nunquam diligatur quod diligendum non est, nec ampliùs diligatur aliquid respectu hujus rei, quod æqualiter vel minùs diligendum est, nec æqualiter quòd minùs vel ampliùs, nec minùs quod æqualiter vel ampliùs.

S. THOMAS 2. 2. *q.* 24. *a.* 8. *in corpore.* Ex parte diligentis tunc est charitas perfecta, quando diligit tantùm quantùm potest. Quod quidem contingit tripliciter : uno modo sic, quòd totum cor hominis actualiter semper feratur in Deum, et hæc est perfectio charitatis patriæ, quæ non est possibilis in hac vita, in qua impossibile est propter humanæ vitæ infirmitatem semper actu cogitare de Deo et moveri dilectione ad ipsum. Alio modo, ut homo studium suum deputet ad vacandum Deo, et rebus divinis, prætermissis aliis ; nisi quantùm necessitas præsentis vitæ requirit. Et ista est perfectio charitatis, quæ est possibilis in via ; non tamen est

I. Peccatne qui diligit aliud simul cum Deo ?

R. Peccat si non referatur dilectio ad Deum, alioqui talis dilectio bona est, imò et à Deo præcepta : tenemur enim et proximum diligere, ut infrà dicemus. (G)

communis omnibus habentibus charitatem. Tertio modo, ita quòd habitualiter aliquis totum cor suum ponat in Deo : ita scilicet, quòd nihil cogitet, vel velit quod divinæ dilectioni sit contrarium, et hæc perfectio est communis omnibus charitatem habentibus.

Quæst. 44. art. 4. in corp. Deus est diligendus sicut finis ultimus, ad quem omnia sunt referenda. Et ideò totalitas quædam fuit designanda circa præceptum de dilectione Dei.

Ad secundum. Dupliciter contingit, ex toto corde Deum diligere. Uno quidem modo in actu : id est, ut totum cor hominis semper actualiter in Deum feratur : et ita est perfectio patriæ. Alio modo ut habitualiter totum cor hominis in Deum feratur : ita scilicet, quòd nihil contra Dei dilectionem cor hominis recipiat : et hæc est perfectio viæ ; cui non contrariatur peccatum veniale, quia non tollit habitum charitatis, cùm non tendat in oppositum objectum, sed solùm impedit charitatis usum.

Ad 3. Homo quantùm possibile est, se abstrahat à rebus temporalibus, etiam licitis, quæ occupando animum, impediunt actualem motum cordis in Deum.

Quæst. 44. art. 5. In conclus. Convenienter nobis præcipitur, ut Deum diligamus ex toto corde, id est, ut tota nostra in Deum referatur intentio : et ex tota mente, id est, ut noster intellectus Deo subdatur : et ex tota anima, videlicet, ut omnis noster appetitus dirigatur secundùm Deum : ex tota fortitudine, id est, ut omnis noster exterior actus Deo subdatur.

In corpore... Præcipitur ergo nobis, ut tota nostra intentio feratur in Deum, quod est, ex toto corde ; et quòd intellectus noster subdatur Deo, quod est, ex tota mente : et quòd appetitus noster reguletur secundùm Deum, quod est, ex tota anima : et quòd exterior actus noster obediat Deo, quod est ex tota fortitudine, vel virtute, vel viribus Deum diligere.

(G) ORIGENES *Prolog. in Cant. Cantic.* Sciendum ergo est quòd hæc charitas quæ Deus est, cùm in aliquo fuerit, nihil terrenum, nihil materiale, nihil corruptibile diligit. Contra naturam namque est ejus corruptibile aliquid diligere, cùm ipsa sit incorruptionis fons. Ipsa est enim sola quæ habet immortalitatem. Siquidem Deus charitas est, qui *solus habet immortalitatem*, *lucem habitans inaccessibilem* Quid autem aliud immortalitas nisi vita æterna est, quam daturum se promittit Deus credentibus in ipsum solum verum Deum, et quem misit Jesum Christum Filium ejus ? Propterea ergo in primis et ante omnia hoc amabile et placitum dicitur esse Deo, ut quis diligat Dominum Deum suum ex toto corde suo, et ex tota anima sua, et ex totis viribus suis. Et quia Deus charitas est, et Filius qui ex Deo est, charitas est, sui simile aliquid requirit in nobis : ut hanc charitatem quæ est in Christo Jesu, qui est charitas, velut cognatà quàdam per charitatis nomen affinitate sortiamur : sicut et ille qui jam conjunctus ei dicebat : Quis nos separabit à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro ? Hæc autem charitas omnem hominem proximum diligit.... Etenim naturâ omnes nobis invicem proximi sumus. Operibus verò charitatis fit proximus ille qui potest benefacere, et qui non potest, undè et Salvator noster factus est proximus nobis, nec pertransivit nos cùm semineces ex latronum vulneribus jaceremus. Igitur sciendum est Dei charitatem semper ad Deum tendere, à quo originem duxit, et ad proximum respicere, cum quo participium gerit, ut pote similiter creatum in corruptione... Ostenditur res quidem Dei, et munus ejus esse charitas, non tamen semper ab hominibus, ad ea quæ Dei sunt et quæ Deus vult, opus ejus assumi. Sed et hoc scire oportet, quòd impossibile est, ut non semper humana natura aliquid amet. Omnis namque qui ad id ætatis venerit, quam pubertatem vocant, amat aliquid seu minùs rectè, cùm amat quæ non oportet ; seu rectè et utiliter, cùm amat quæ oportet... Si enim quod

bonum est, hoc et probabile est : bonum autem propriè non erga usus corporeos, sed in Deo primùm et animi virtutibus intelligitur : consequenter ille amor probabilis est, qui Deo et animi virtutibus coaptatur. Et hoc ita se habere definitione ipsius Salvatoris ostenditur, ubi interrogatus à quodam, quod esset mandatum omnium maximum et primum in lege, respondit : (*Matth.* XXII. 37.) Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex totis viribus tuis. Secundum verò simile est illi : Diliges proximum tuum sicut teipsum. Et adjecit (*Ibid.* 40.) In his duobus mandatis omnis lex pendet et Prophetæ : ostendens per hæc duo justum amorem legitimumque constare, atque in his universam legem Prophetasque pendere. Sed et quod ait : Non adulterabis : Non occides : Non furtum facies : Non falsum testimonium dices, et si quod aliud mandatum, in hoc verbo restauratur, in quo ait : Diliges proximum tuum sicut teipsum, quod hoc modo faciliùs explanabitur. Ponamus verbi causà, mulierem amore alicujus viri ardentem, cupientemque in consortium ejus adscisci, nonne omnia ita aget, et omnes motus suos ita temperabit, ut scit illi placere quem diligit, ne forlè si in aliquo contra voluntatem illius egerit, consortia vir ille optimus refutet atque spernat ? Poteritne hæc mulier, quæ erga amorem viri illius toto corde, totâ animâ, totisque viribus fervet, aut adulterium committere, quæ eum noverit amare pudicitiam ? Aut homicidium, quæ cognoverit mitem ? Aut furtum, quæ ei sciat liberalitatem placere ? Aut concupiscet aliena, quæ omnes suas concupiscentias erga amorem viri illius habeat occupatas ? Sic ergo in charitatis perfectione, et omne mandatum restaurari dicitur, et legis virtus Prophetarumque pendere. Propter istud charitatis vel amoris bonum, sancti nec in tribulatione angustiantur, nec aporiati exaporiantur, nec dejecti pereunt, sed quod in præsenti est momentaneum, et leve tribulationis eorum supra modum æternum gloriæ pondus operatur illis. Non enim omnibus, sed Paulo et his qui ei similes sunt, præsens hæc et momentanea ac levis dicitur tribulatio : quia perfectam charitatem Dei in Christo Jesu per Spiritum sanctum habent in corde suo diffusam. Sic denique et Jacob Patriarcham amor Rachel per septem annos continuos in laboribus positum diurni æstus, et nocturni frigoris ustionem sentire non sivit. Sic ipsum Paulum in amore hujus incensum audite dicentem : Charitas omnia patitur, omnia credit, omnia sperat, omnia tolerat, charitas nunquam cadit. Nihil ergo est quod non toleret, qui perfectè diliget. Plura autem quando non tolleramus, certum quòd ob hoc quia charitatem quæ omnia tolerat, non habemus. Et si non ferimus aliqua patienter ; idcircò est, quia charitas nobis deest, quæ omnia patitur. In luctamine quoque eo quod est nobis adversùs diabolum, quòd frequenter cadimus, non dubium est quin ob hoc fiat, quòd non est in nobis charitas illa quæ nunquam cadit.

Homil. 2. *in Cant. cantic. paulò post medium. Ordinate in me charitatem.* Eleganter loquutus est, Ordinate. Plurimorum quippe inordinata est charitas, quando quod in primo loco debent diligere, diligunt in secundo : quod in secundo, diligunt in primo : et quod oportet amare quarto, amant in tertio, et rursùs tertium in quarto, et est in plerisque charitatis ordo perversus. Sanctorum verò charitas ordinata est. Volo ad intelligendum hoc quod dictum est, Ordinate in me charitatem, aliqua exempla replicare. Te vult divinus sermo diligere patrem, filium, filiam, ait te sermo divinus diligere Christum, nec dicit tibi, Ne diligas liberos, ne parentibus charitate jungaris. Sed quid dicit tibi ? Ordinatam habeas charitatem, ne primùm patrem, aut matrem, deindè me diligas, ne filii et filiæ plus quàm mei charitate tenearis. (*Matth.* X. 37.) Qui amat patrem aut matrem super me, non est dignus. Qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Recole conscientiam tuam de patris, matrisve affectu, et considera qualem circa sermonem Dei et Jesu habeas charitatem, statim deprehendes magis te filium aut filiam diligere, quàm Verbum. Magis te parentes amare quàm Christum. Quis putas ita proficit ex nobis, ut præcipuam, et primam inter omnia sermonis Dei habeat charitatem ? Qui in secundo loco liberos ponat : juxta hunc modum, Anna uxorem tuam. Nullus quippe aliquando suam car-

I. Qui transgreditur præceptum divinæ charitatis peccatne mortaliter ?

R. Aliquando mortaliter peccat, aliquando venialiter, pro modo transgressionis. Mortaliter quidem si per transgressionem exstinguatur omninò in corde charitas. Venialiter nem odio habuit, sed amat ut carnem : *Et erunt*, inquit (1. *Cor.* VI. 16.), *duo in carne una*, et non in uno spiritu. Ama et Deum, sed ama illum non ut carnem et sanguinem, sed ut spiritum. Qui enim adhæret Deo, unus spiritus est. Igitur ordinata est charitas in perfectis. Ut autem post Deum etiam inter nos ordo ponatur, primum mandatum est, ut diligamus parentes, secundum ut filios, tertium ut domesticos nostros. Si autem filius malus est, et domesticus bonus, domesticus in charitate filii collocetur. Et ita fiet ut Sanctorum ordinata sit charitas. Magister quoque et Dominus noster in Evangelio præcepta de charitate constituens, ad uniuscujusque dilectionem proprium aliquid apposuit, et dedit intelligentiam ordinis his, qui possunt audire Scripturam dicentem : Ordinate in me charitatem. (*Matth.* XXII. 37.) Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totâ mente tua, et ex totâ animâ tuâ, et ex totâ virtute tua. Et diliges proximum tuum sicut teipsum, non proximum ex toto corde, ex totâ animâ, et ex totâ virtute, et ex totâ mente. Rursùs, inquit (*Matth.* V. 44.) : Diligite inimicos vestros, et non apposuit ex toto corde. Non est inordinatus sermo divinus, nec impossibilia præcepit, nec dicit, Diligite inimicos vestros ut vosmetipsos ; Sed tantùm, Diligite inimicos vestros, sufficit quod eos diligimus, et odio non habemus. Proximum verò ut teipsum. Porrò Deum ex toto corde, et ex totâ animâ, et ex totâ mente, et ex totâ virtute. Si hæc intellexeris, et intellecta compleveris, fecisti quod sponsi sermone præcipitur : (*Cant.* II. 4.) Introducite me in domum vini, ordinate in me charitatem.

S. AUG. *Lib.* 10. *Confess. c.* 29. *n.* 40. Minùs te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.

Lib. 2. *de Divers. quæst. ad Simplician. quæst.* 1. *n.* 10. Non autem benè utitur (*donis Dei et rebus creatis*), nisi charitas.

In Psal. XC. *Serm.* 1. *n.* 8. Quæ est radix (omnis boni), charitas. Hoc enim dicit Apostolus (*Eph.* III. 17.) Ut in charitate radicati et fundati. Quomodo enim (1. *Tim.* VI. 10.) radix omnium malorum cupiditas, sic radix omnium bonorum charitas est.

Enarrat. in Psal. CXLVI. *n.* 10. Si distribuero, inquit (1. *Cor.* XIII. 3.), omnia mea pauperibus, et tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Qui ergo non habet charitatem, etsi ad tempus habet hæc dona, auferentur ei. Auferetur ei quod habet, quia quiddam hoc non habet, undè cætera teneantur, et ipse non pereat. Quid est illud quod modò ait Dominus (*Matth.* XIII. 12.) : Qui habet, addelur ei : qui autem non habet, et quod habet auferetur ab eo ? Qui ergo non habet et quod habet auferetur ab eo. Habet gratiam possidendi, sed non habet charitatem utendi : quia ergo illud non habet, et quod habet auferetur ab eo.

S. LEO MAGN. *Serm.* 18. *de Jejun.* X. *mensis et eleemosyn. c.* 3. Meminerit primam dilectionem Deo, secundam deberi proximo, omnesque affectus suos hâc regulâ dirigendos : ut nec à cultu recedat Domini, nec ab utilitate conservi. Quomodo autem Deus colitur, nisi ut quod ipsi placet, placeat et nobis ; nec ab ejus imperio noster unquam resultet affectus ? Quoniam si hoc, quod ille vult, volumus, ab illo sumet infirmitas nostra virtutem, à quo ipsam accepimus voluntatem. *Deus est enim*, sicut ait Apostolus (*Philipp.* II. 13.) *qui operatur in nobis, et velle et perficere pro bonâ voluntate.* Nec superbiâ denique homo inflabitur, nec desperatione frangetur : si bonis divinitùs datis, in gloriam dantis utatur ; et ab iis desideria sua revocet, quæ sibi nocitura cognoscit.

Serm. 37. *in Epiphan. solem.* VIII. *cap.* 4. Scientes, dilectissimi, quoniam *charitas Deus est, qui operatur omnia in omnibus*, sectamini charitatem, ita ut in unum castæ dilectionis affectum, universorum fidelium corda concurrant. Transeant à nobis humana, ne nos occupent. Constanti desiderio ad ea, quæ sunt semper mansura, tendamus.

verò, si levis transgressio sit, nec per eam exstinguatur charitas diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum. (H)

I. Deumne diligit, quisquis dicit Deo, Diligo te ?....

R. Non diligitur Deus nisi corde et opere diligatur. *Non diliganus verbo, neque linguâ,* inquit Apostolus (1. *Joan.* III. 18.), *sed opere et veritate :* probanda factis dilectio. Omnia ad Deum referenda, ut suprà diximus, alioqui non diligitur Deus. (I)

I. Nunquid saltem utile est nostrum erga Deum amorem verbis prodere, et actus amoris, ut vocant, elicere ?

R. Actus amoris non modò utiles sunt sed et necessarii. Iis enim indiget humana infirmitas, ut ad diligendum Deum excitetur. Ergo actus illi identidem eliciendi. Sed omninò necesse est, ut diligamus Deum omni tempore. Quod si Deum verbo, non facto diligimus, mentimur. (K)

I. Qui Deum ideò diligit quia exspectat ab eo bona temporalia, diligitne Deum castè? impletne præceptum dilectionis ?

R. Si quis non alium habeat finem dilectionis quàm spem temporalium bonorum : is Deum propriè non diligit, sed bona illa. Nec Deum spectat nisi ut instrumentum, quo indiget ad obtinenda hæc bona. (L)

(H) S. THOMAS. 2. 2. *Quæst.* 44. *artic.* 4. *in corpore ad* 2. *et* 3. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (F)

(I) S. AUG. *Lib.* 1. *de Doctrinâ Christianâ, c.* 22. *n.* 20. *et* 21. *Vide suprà litt.* (E) *hocce* §.

S. BERNARD. *Serm.* 20. *in Cant. n.* 1. (1. *Cor.* XVI. 22.) *Qui non amat Dominum Jesum, anathema sit.* Valdè omninò mihi amandus est, per quem sum, vivo et sapio.... Dignus planè est morte, qui tibi, Domine Jesu, recusat vivere, et mortuus est; et qui tibi non sapit, desipit; et qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, et nihil est.... Propter temetipsum Deus fecisti omnia : et qui esse vult sibi et non tibi, nihil esse incipit inter omnia.

N. 2.... Super omnia reddit amabilem te mihi, Jesu bone, calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis. Hoc omninò amorem nostrum facilè vindicat totum sibi.

N. 4. Disce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter.... Zelum tuum inflammet charitas, informet scientia, firmet constantia. Sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus. Nec teporem habeat, nec careat discretione, nec timidus sit. (*Deut.* VI. 5.) *Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo, ex totâ animâ tuâ, et ex totâ virtute tuâ....* Dilige ergo Dominum Deum tuum toto et pleno cordis affectu : dilige totâ rationis vigilantiâ et circumspectione : dilige et totâ virtute, ut nec mori pro ejus amore pertimescas... sit suavis et dulcis affectui tuo Dominus Jesus.... Sit etiam fortis, et constans amor tuus, nec cedens terroribus, nec succumbens laboribus.

N. 5. Ergo non abduci blanditiis, nec seduci fallaciis, nec injuriis frangi, toto corde, totâ animâ, totâ virtute diligere est.

(K) PSAL. LXXVII. 36. Dilexerunt eum in ore suo, et linguâ suâ mentiti sunt ei.

(L) S. AUG. *in Psal.* 43. *n.* 15. *in fine....* Exigitur ergo à te, ut et tu gratis eum colas : non quia dat temporalia, sed qui præstet æterna.

In Psal. 52. *n.* 8. Deus gratis se vult coli, gratis se vult diligi, hoc est, castè amari; non propterea se amari, quia dat aliquid præter se, sed quia dat se. Qui ergo invocat Deum ut dives fiat, Deum non invocat : hoc enim invocat, quod ad se vult venire.... Nam cùm dicis, da mihi divitias, non dicis ut ipse Deus ad te veniat, sed vis ut divitiæ veniant ad te....Quid tibi prosunt exteriores divitiæ, si te interior premit egestas ?

I. Qui Deum ideò diligit, quia exspectat ab eo bona æterna, estne pura et casta hujus dilectio?

R. Bona æterna nihil aliud sunt quàm Deus ipse: ideoque qui Deum propter bona æterna diligit, Deum diligit propter ipsum, adeoque purè et castè. (M)

Ergo isti qui propter secularia commoda, qui propter terrena bona, qui propter vitam præsentem et terrenam felicitatem invocant Deum, non invocant Deum.

In Psal. 55. *n.* 7. Nos ergo Deum amemus, fratres, purè et castè. Non est castum cor, si Deum ad mercedem colit. Quid ergo? Mercedem de Dei cultu non habebimus? Habebimus planè, sed ipsum Deum quem colimus. Ipse nobis merces erit, quia videbimus eum sicuti est.... Noli extra eum aliquid ab eo quærere. Ipse tibi sufficit. Quantumlibet sis avarus, sufficit tibi Deus.... Deus quomodò castè diligendus est, verus et verax animæ maritus ad prolem sempiternæ vitæ verè fecundans, et steriles nos non esse permittens? Illum ergo sic diligamus, ut aliud præter ipsum non diligatur.

In Psal. 72. *n.* 31. *et* 34. *Vide suprà Cap. præliminar. hujusce Partis, litt.* (K)

In Psal. 79. *n.* 14.... Quid amas, ut Deum non ames? dic mihi. Ama, si potes, aliquid quod ille non fecit; circumspice universam creaturam. vide utrum alicubi cupiditatis visco tenearis, et à diligendo Creatore impediaris, nisi cà re, quam creavit ipse quem negligis. Quare autem amas ista, nisi quia pulchra sunt? Possunt esse tam pulchra, quàm ille a quo facta sunt? Miraris hæc, quia illum non vides: sed per ea quæ miraris, ama quem non vides. Interrogas creaturam, si ab ipsâ est, remane in illâ: si autem ab illo est, non ob aliud perniciosa est amatori, nisi quia præponitur Creatori. Quare hoc dixi?.... Fratres, mortui erant, qui propterea Deum colebant, ut eis secundùm carnem benè esset: sapere enim secundùm carnem mors est: et mortui sunt, qui non Deum gratis colunt, id est, quia ipse bonus est, non quia dat talia bona, quæ dat et non bonis.

(M) S. Aug. *in Psal.* 55. *n.* 17. *Vide suprà litt.* (L) *hocce §.*

In Psal. 72. *n.* 31. *et* 34. *Vide suprà in Cap. prælim. hujusce Partis, litt.* (K)

In Psal. 134. *n.* 11. *Vide suprà litt.* (C) *hujusce §.*

Epist. 189. *aliàs* 205. *ad Bonifac. n.* 2.... Dilige Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota animâ tuâ, et in totâ virtute tuâ; et dilige proximum tuum tanquam teipsum.... *In his duobus præceptis tota lex pendet et Prophetæ.* (*Matth.* xxii. 37. *et* 40.) In hâc ergo dilectione quotidiè profice, et orando, et benè agendo, ut ipso adjuvante qui tibi eam præcipit, atque donavit, nutriatur et crescat, donec hæc te perfecta perficiat. Ipsa est enim charitas, quæ sicut Apostolus (*Rom.* v. 5.) dicit, *Diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ipsa est de qua item dicit, *Plenitudo legis charitas.* Ipsa est, per quam fides operatur.

N. 3. In hâc ergo omnes sancti Patres nostri et Patriarchæ et Prophetæ et Apostoli placuerunt Deo. In hâc omnes veri Martyres usque ad sanguinem contra diabolum certaverunt, et quia in eis non refriguit nec defecit, ideò vicerunt. In hâc omnes fideles boni quotidiè proficiunt, pervenire cupientes.... ad regnum cœlorum.... ad sempiternam hæreditatem.... ad divitias incorruptibiles Angelorum.... ad videndum Deum, cujus suavitas et delectatio excedit non solùm omnem terrestrium, verùm etiam cœlestium corporum pulchritudinem. Excedit omnem decorem animarum quantumlibet sanctarum atque justarum. Excedit omnem speciem supernorum Angelorum atque Virtutum. Excedit quidquid de illo non solùm dicitur, verùm etiam cogitatur.

Serm. 178. *cap.* 10. *n.* 11. Amor castus in te esse debet, quo amore desideres videre, non cœlum et terram, non campos liquidos maris, non spectacula nugatoria, non fulgores niloresque gemmarum: sed desidera videre Deum tuum, amare Deum tuum: quia dictum est (1. *Joan.* iii. 2.): Dilectissimi, filii Dei sumus, et nondùm apparuit quod erimus: scimus autem quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum

I. Quinam illi sunt qui peccant contra præceptum divinæ charitatis?

R. Qui aliquid aliud amant, quod propter Deum non diligitur. Qui diligunt mundum serviuntque ejus cupiditatibus. Uno verbo nullum est peccatum, quod non sit dilectionis Dei transgressio vel lethalis vel venialis. Peccati enim ratio in eo posita est, quòd diligatur creatura præ Deo. Si sic diligitur creatura ut exstinguatur omninò charitas, lethalis transgressio est. Si secùs, venialis. (N)

sicuti est. Ecce propter quam visionem fac bonum, ecce propter quam noli facere malum. Si enim amas videre Deum tuum, si in hâc peregrinatione illo amore suspiras; Ecce probat te Dominus Deus tuus, quasi dicat tibi, Ecce fac quod vis, imple cupiditates tuas, extende nequitiam, dilata luxuriam, quidquid libuerit licitum puta; non hinc te punio, non te in gehennas mitto, faciem meam tantùm tibi negabo. Si expavisti, amasti; si ad hoc quod dictum est, Faciem suam tibi negabit Deus tuus, contremuit cor tuum, in non videndo Deum tuum magnam pœnam putasti; gratis amasti.

(N) ORIGENES *Homil.* 1. *in Cant. cantic. circa finem.* Ergo summa perfectionis in charitate consistit, charitas autem nihil iniquitatis admittit, ubi autem nihil iniquitatis est, ibi sine dubio est æquitas. Meritò ergo æquitas esse dicitur, quæ diligit sponsum. Et vide si non ob hoc etiam videtur illud in Evangelio à Salvatore dictum (*Joan.* XIV. 15.): *Si diligitis me, mandata mea servate.* Si ergo qui diligit Christum, mandata ejus custodit, nulla est in eo iniquitas, sed æquitas in eo permanet. Æquitas ergo est quæ mandata ejus custodit, et diligit Christum. Et rursùm: Si is qui mandata custodit ipse diligit Christum, mandata autem in æquitate servantur, et æquitas est quæ diligit Christum: qui iniquum aliquid gerit, neque mandata custodit, neque diligit Christum. Erit ergo ut quantùm iniquitatis in nobis est, tantùm longè simus à dilectione Christi, et tantùm mandatorum ejus prævaricatio habeatur in nobis. Et ideò regulam quamdam directam ponamus esse æquitatem, ut si quid in nobis iniquitatis est, hanc adhibentes et superducentes directoriam mandatorum Dei, si quid in nobis curvum, si quid tortuosum est, ab hujus regulæ linea resecetur.

Tract. 23. *in Matth.* Qui omnia implevit quæ scripta sunt de Dei dilectione et proximi, dignus est maximas gratias à Deo percipere, quibus præpositus est sapientiæ sermo per Spiritum sanctum, per quem sermo scientiæ qui secundùm Spiritum est. Dignus autem constitutus his omnibus donis exsultat in sapientia Dei, plenum habens cor de Dei dilectione, et totam animam lumine scientiæ illustratam, et totam mentem verbo Dei. Consecutus autem hujusmodi dona ex Deo, profectò intelligit omnem Legem et Prophetas, partem aliquam esse ex omni sapientia, et scientia Dei, et intelligit omnem Legem, et Prophetas pendere, et adhærere à principio dilectionis Domini Dei, et proximi: et quoniam perfectio pietatis in dilectione consistit, sufficientia quidem sunt et ista quæ diximus: tamen ad demonstrationem magnitudinis ejus nihilominùs convenit et ista subjungere. (1. *Cor.* XIII. 4. 5. 6. 7.) *Charitas patiens est, benigna est.* Charitas *non inflatur, non agit perperam, non est ambitiosa, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitatem, congaudet autem veritati, omnia sustinet, omnia credit, omnia sperat. Charitas nunquam excidit.* Nemo enim pusillanimis constitutus charitatem habet, nec contrarium aliquid faciens benignitati, neque zelans zelum quem habuerunt Patriarchæ adversùs Joseph, vel Aaron et Maria contra Moysen. Et nemo inflatus habet dilectionem, neque perperam aliquid agens, nec qui in iracundiam excitatur. Item nemo cogitans malum charitatem habet, in corde coinquinatus; qui charitatem habet, nunquam de aliqua re injusta gaudet, sed semper veritati congaudet. Qui charitatem habet, omnia accidentia sustinet mala, et non pro parte credit, sed omnia credit, et non ex parte sperat, nec est quod non sustinet dilectio, sed omnia sustinet.

§. 2. De Amore sui ipsius.

I. Tenemurne per præceptum charitatis nosmetipsos diligere ?

R. Tenemur. Id patet ex his verbis præcepti (*Matth.* XIX. 19.) : *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Quæ quidem impleri nullatenùs possunt, nisi nosmetipsos, ut par est, diligamus. (A)

B. OGERIUS Abbas *Serm.* 14. *in ult. Cœna*, *tom.* 2. *oper.* S. BERN. *n.* 107. Et quid est Deum diligere ? Illi soli occupari, animo concipere fruendæ visionis ejus affectum, habere peccati odium, mundi fastidium : diligere proximum quem in se censuit diligendum, in ipso amore servare legitimum modum, nec pervertere dilectionis ordinem constitutum. Ordinem dilectionis illi pervertunt, nec modum diligendi custodiunt, qui aut mundum qui contemnendus est diligunt, aut et corpora sua minùs diligenda plus diligunt ; aut proximos suos non sicut seipsos, aut Deum plusquam seipsos fortè non diligunt.

(A) S. BERNARD. *Epist.* 8. *ad Brunon. n.* 1. Rectus ordo requirit ut priùs propriam, deindè alienas curare studeas conscientias. Primus quippe pietatis gradus est, de quo scriptum est (*Eccli.* XXX. 24.) : *Miscrere animæ tuæ placens Deo.* Ex hoc autem ad miscrandum proximum, recto jam tramite charitas ordinata procedit : quippè quem ad sui quisque mensuram amare præcipitur. Quod si in hunc modum, quo te hactenùs ipse amasti, et tibi committendos amaturus es, malo ego quidem tibi non committi, quàm sic diligi.

Lib. 1. *de Consider. cap.* 5. *n.* 6. Si item totus vis esse omnium, instar illius qui omnibus omnia factus est ; laudo humanitatem, sed si plena sit. Quomodo autem plena, te excluso. Et tu homo es. Ergo ut integra sit et plena humanitas, colligat et te intra se sinus qui omnes recipit. Alioquin *quid tibi prodest*, juxta verbum Domini (*Matth.* XVI. 26.), *si universos lucreris, te unum perdens ?* Quamobrem cùm omnes te habeant, esto etiam tu ex habentibus unus. Quid solus fraudaris munere tui ? Usquequò (*Ps.* LXXVII. 39.) *spiritus vadens et non rediens* ? Usquequò non recipis te et ipse inter alios vice tuâ ? Sapientibus debitor es ; et soli negas te tibi ? Omnes de fonte publico bibunt pectore tuo, et tu seorsùm sitiens stabis ? Si maledictus qui partem suam facit deteriorem, quid ille qui se penitùs reddit expertem ? Sanè deriventur aquæ tuæ in plateas.... Sed inter cæteros bibe et tu de fonte putei tui. * *Alienus*, inquit (*Prov.* V. 17.), *non bibat ex eo.* Nunquid tu alienus ? Cui non alienus, si tibi es ? Denique (*Eccli.* XIV. 5.) *qui sibi* nequam, *cui bonus* ? Memento proindè, non dico semper, non dico sæpè, sed vel interdùm reddere teipsum tibi. Utere tu quoque te inter multos, aut certè post multos.

Lib. 2. *cap.* 3. *n.* 6. A te tua consideratio inchoët, ne frustrà extendaris in alia, te neglecto. (*Matth.* XVI. 26.) *Quid tibi prodest si universum mundum lucreris, te unum perdens ?* Et si sapiens sis, deest tibi ad sapientiam, si tibi non fueris. Quantum verò ? Ut quidem senserim ego, totum. Noveris licèt omnia mysteria, noveris lata terræ, alta cœli, profunda maris, si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento, ruinam, non structuram faciens. Quidquid exstruxeris extra te, erit instar congesti pulveris ventis obnoxium. Non ergo sapiens, qui sibi non est. Sapiens, sibi sapiens erit : et bibet de fonte putei sui primus ipse. A te proindè incipiat tua consideratio ; non solùm autem, sed et in te finiatur.... In acquisitione salutis nemo tibi germanior unico matris tuæ. Contra salutem propriam cogites nihil. Minùs dixi, contra : præter, dixisse debueram. Quidquid se considerationi offerat, quod non quoquo modo ad tuam ipsius salutem pertineat, respuendum.

Serm. 101. *de diversis.* Nos quoque carnem nostram carnaliter diligimus, cùm ejus desideria diligimus et perficimus. Spiritum carnaliter, quando eum flendo, suspirando, gemendo in oratione conterimus. Carnem spiritualiter, cùm eam spiritui subjectam in bonis spiritualibus exercentes, cum discretione servamus. Spiritum spiritualiter, cum

I. Quomodo debemus nosmetipsos diligere?

R. Propter Deum. Hoc est ad Deum referenda ea dilectio est, quâ nosmetipsos diligimus. (B)

etiam ipsa spiritualia studia nostra fraternæ utilitati ex charitate postponimus....

(B) S. Aug. *Lib. de vera Relig. cap.* 12. *n.* 24. Fit homo spiritalis.... diligens Dominum Deum suum in toto corde suo, in tota anima, in tota mente, et diligens proximum suum non carnaliter, sed tanquam seipsum. Se autem spiritaliter diligit, qui ex toto, quod in eo vivit, Deum diligit, *In his enim duobus præceptis, tota Lex pendet et Prophetæ.* (*Matth.* xxii. 40.).

Epist. 155. *aliàs* 52. *ad Macedon. cap.* 4. *n.* 15. Cùm ergo illâ dilectione, quam divina lex imperat, debeat homo diligere Deum, et seipsum et proximum; non tamen ex hoc tria præcepta data sunt, nec dictum est in his tribus, sed *in his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ*, id est, in dilectione Dei ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente, et proximi tanquam sui ipsius: videlicet ut intelligeretur nullam esse aliam dilectionem, quâ quisque diligit seipsum, nisi quòd diligit Deum. Qui enim aliter se diligit, potiùs se odisse dicendus est. Fit quippè iniquus, privaturque luce justitiæ, cùm à potiore ac præstantiore bono aversus, atque indè vel ad seipsum conversus, ad inferiora et egena utique convertitur; fitque in ipso quod veracissimè scriptum est (*Psal.* x. 6.), Qui autem amat iniquitatem, odit animam suam. Quia igitur nemo nisi Deum diligendo, diligit seipsum, non opus erat ut dato de Dei dilectione præcepto, etiam seipsum homo diligere juberetur, cùm in eo diligat seipsum, quòd diligit Deum. Debet ergo et proximum diligere tanquam seipsum, ut quem potuerit hominem vel beneficentiæ consolatione, vel informatione doctrinæ, vel disciplinæ coërcitione adducat ad colendum Deum; sciens in his duobus præceptis totam Legem Prophetasque pendere.

N. 16. Hoc qui sobriâ discretione eligit, prudens est: qui nullâ hinc afflictione avertitur, fortis est: qui nullâ aliâ delectatione, temperans est: qui nullâ elatione, justus est. His virtutibus divinitùs impertitis, per gratiam Mediatoris Dei cum Patre, et nobiscum hominis Jesu Christi, per quem post inimicitias iniquitatis reconciliamur Deo in Spiritu charitatis: his, inquam, virtutibus divinitùs impertitis, et bona vita nunc agitur, et posteà præmium ejus, quæ nisi æterna esse non potest, beata vita persolvitur. Hîc enim sunt eædem virtutes in actu, ibi in effectu: hîc in opere, ibi in mercede: hîc in officio, ibi in fine.

Epist. 177. *aliàs* 95. *ad Innocent. n.* 10. *Diliges proximum tuum tanquam teipsum.* In quo sermone Apostolus omnem Legem dicit impleri. Et quoniam nisi diligat Deum, nemo diligit seipsum, ideò Dominus in iis duobus præceptis totam Legem Prophetasque dicit pendere. Quæ duo præcepta jam erant hominibus divinitùs data.

Serm. 34. *aliàs de div. cap.* 4. *n.* 7. Da mihi, inquit, cor tuum: sit mihi, et non perit tibi. Vide enim, si aliquid voluit dimittere in te, undè ames vel te, qui tibi dicit (*Matth.* xxii. 37.): Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua. Quid remanet de corde tuo, undè diligas teipsum? quid de anima tua? quid de mente tua? Ex toto, inquit, totum exigit te, qui fecit te.

Cap. 5. *n.* 8. Respondebis, et dices, Si nihil mihi remansit, undè diligam me; quia ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente jubeor diligere eum qui fecit me; quomodò secundo præcepto jubeor diligere proximum tanquam me? Hoc est magis undè debes ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota mente proximo. Quomodò? Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Deum ex toto me: proximum sicut me. Undè me, undè te? Vis audire undè diliges te? Ex hoc diligis te, quia Deum diligis ex toto te. Putas enim Deo proficere, quòd diligis Deum? et quia diligis Deum, Deo aliquid accedit? et si tu non diligas, minùs habebit? Cùm diligis, tu proficis: tu ibi eris, ubi non peris. Sed respondebis, et dices, Quando enim non dilexi me? Prorsùs non diligebas te, quando Deum non diligebas, qui fecit te. Sed cùm odisses te, putabas quod amares te. Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam. (*Psal.* x. 6.)

I. Quâ ratione referri ad Deum potest hæc dilectio ?

R. Ad Deum refertur, si felicitatem omnem nostram in Deo collocemus : si ad Deum unicè tendamus. (C)

I. Cur ad Deum referenda nostri dilectio est ? cur ad eum unicè tendere oportet ?

R. Quia Deus solus summum bonum est, à quo omnia, in quo omnia, propter quem omnia, ad quem omnia. Solus ipse suprema hominum felicitas. At diligere se nihil aliud est quàm velle beatum esse, ad veram felicitatem tendere, adeoque ad Deum. (D)

Serm. 330. *in Natali Martyrum*, *aliàs* 29. *ex Sirmond. n.* 2. Quomodo negat se qui amat se ? ita verò rationis est, sed humanæ : homo mihi dicit : quomodo negat se qui amat se ? Sed dicit Deus homini, Neget se, si amat se. Amando enim se, perdit se : negando se, invenit se.... Ergo *qui amat animam suam*, *perdet eam.* (*Joan.* XII. 25.) Qui fructum in ea quærit, seminet eam. Hoc est ergo neget se, ne perversè eam amando perdat se.

N. 3. Nemo enim est qui non se amet : sed rectus amor est quærendus, perversus cavendus. Quisquis enim dimisso Deo amaverit se, Deumque dimiserit amando se, non remanet nec in se, sed exit et à se. Exit exul pectoris sui, contemnendo interiora, amando exteriora. Quid dixi ? Omnes qui mala faciunt, nonne conscientiam suam contemnunt ? Ponit autem modum iniquitati suæ, quisquis erubuerit conscientiæ suæ. Ergo quia contempsit Deum ut amaret se, amando foris quod non est ipse, contempsit et se... Sed facis hoc, quia dimittendo Deum, et amando te, existi et à te ; et alia jam, quæ sunt forinsecùs, pluris æstimas quàm te. Redi ad te : sed iterùm sursùm versus cùm redieris ad te, noli remanere in te. Priùs ab his quæ foris sunt redi ad te, et deindè redde te ei qui fecit te, et perditum quæsivit te, et fugitivum invenit te, et aversum convertit te ad se. Redi ergo ad te, et vade ad illum qui fecit te.

(C) S. Aug. *Epist.* 155. *aliàs* 52. *ad Macedonium*, *c.* 4. *n.* 13. *et* 15. *Vide suprà litt.* (D) §. *præcedent. et litt.* (B) *hocce* §.

Lib. 1. *de Moribus Eccles. Cathol. cap.* 26. *n.* 48. Non fieri potest, ut seipsum, qui Deum diligit, non diligat : immò verò solus se novit diligere, qui Deum diligit. Si quidem ille se satis diligit, qui sedulò agit, ut summo et vero perfruatur bono : quòd si nihil aliud quàm Deus.... quis cunctari potest, quin sese amet, qui amator est Dei ?

N. 49. Te autem ipsum salubriter diligis, si plus quàm te diligis Deum.

S. Bernard. *Epist.* 11. *ad Guigonem*, *n.* 8. Verumtamen quia carnales sumus, et de carnis concupiscentia nascimur, necesse est cupiditas vel amor noster à carne incipiat, quæ si recto ordine dirigitur, quibusdam suis gradibus, duce gratiâ, proficiens, spiritu tandem consummabitur : quia non priùs quod spirituale, sed quod animale, deindè quod spirituale ; et priùs necesse est portemus imaginem terrestris, deindè cœlestis. Imprimis ergo diligit seipsum homo propter se (caro quippè est, et nil sapere valet præter se) cùmque se videt per se non posse subsistere, Deum sibi quasi necessarium incipit per fidem inquirere et diligere. Diligit itaque in secundo gradu Deum, sed propter se, non propter ipsum. At verò cùm ipsum cœperit occasione propriæ necessitatis colere et frequentare cogitando, legendo, orando, obediendo, quadam hujuscemodi familiaritate paulatim sensimque Deus innotescit, consequenter et dulcescit ; et sic gustato quàm suavis est Dominus, transit ad tertium gradum ut diligat Deum non jam propter se, sed propter ipsum. Sanè in hoc gradu statur, et nescio si à quoquam hominum quartus in hac vita perfectè apprehenditur, ut se scilicet homo diligat tantùm propter Deum. Asserant hoc si qui experti sunt ; mihi, fateor, impossibile videtur. Erit autem procul dubio cùm introductus fuerit servus bonus et fidelis in gaudium Domini sui, et inebriatus ab uberiate domûs Dei. Quasi enim ebrius miro quodam modo oblitus sui et à se penitùs velut deficiens, totus perget in Deum, et deinceps adhærens ei unus spiritus erit.

(D) S. Aug. *Lib.* 10. *de Civit. Dei*, *c.* 3. *aliàs* 4. *n.* 2. (Deo) sacrificamus

I. Ergo non diligimus nosmetipsos, ut par est, nisi Deum super omnia diligamus ?

R. Ita se res habet. Si secùs fecerimus, ruimus ipsi ultrò in miseriam. Et inordinata, adeoque mala et vetita ea dilectio, quâ nosmetipsos perperàm diligimus. (E)

I. Quandonam nosmetipsos perperàm diligimus ?

R. Quando eò solùm tendit ea dilectio, ut affluamus voluptatibus corporeis, divitiis, honoribus : quando sequimur solam concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitæ. Et quia eò solùm tendit corrupta peccato originis natura, ideò tenemur vim continuam nobismetipsis inferre, ut triplicem hanc concupiscentiam superemus.

Cùm ergo Christus præcipit ut abnegemus nosmetipsos, ut nobis ipsis moriamur, nihil aliud præcipit, quàm ut ab illa inordinata nostri dilectione caveamus. Quoniam autem prava illa dilectio, et novas in dies radices agit, et sequitur naturæ corruptæ propensionem, et apprimè accommodatur ad præjudicia hausta ex prava institutione et ex cæterorum hominum exemplo et moribus, idcircò Christus docet vim nobis esse jugiter inferendam, portandam crucem quotidiè, cavendum ne nos consuetudinis æstus abripiat, intrandum per angustam portam, gradiendum arctâ viâ, quam pauci admodùm sequuntur : alioqui nunquam futurum ut nobis ipsis moriamur, et sic perveniamus ad vitam. (F) Hæc omnia ardua, et difficilia videntur, fateor. Sed

hostias humilitatis et laudis in arâ cordis igne fervidæ charitatis. Ad hunc videndum, sicut videri potest, eique cohærendum ab omni peccatorum et cupiditatum malarum labe mundamur : et ejus nomine consecramur. Ipse enim fons nostræ beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis.... Ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo quiescamus ; ideò beati, quia illo fine perfecti. Bonum enim nostrum.... nullum est aliud, quàm illi cohærere :.... hoc bonum diligere in toto corde, in totâ animâ, et in totâ virtute præcipimur. Ad hoc bonum debemus, et à quibus diligimur duci, et quos diligimus ducere. Sic complentur duo illa præcepta, in quibus tota Lex pendet et Prophetæ (*Matth.* XXII. 37. 39.) : *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua ; et diliges proximum tuum tanquam teipsum.* Ut enim homo sese diligere nosset, constitutus est ei finis, quò referret omnia quæ ageret, ut beatus esset. Non enim qui se diligit, aliud esse vult quàm beatus. Hic autem finis est adhærere Deo. Jam igitur scienti diligere seipsum, cùm mandatur de proximo diligendo sicut seipsum, quid aliud mandatur, nisi ut ei, quantùm potest, commendet diligendum Deum ? Hic est Dei cultus, hæc vera religio, hæc recta pietas, hæc tantùm Deo debita servitus.

(E) *Vide* AUGUSTINUM *suprà litt.* (B) *et infrà hocce* §. *litt.* (F)

(F) MATTH. VII. 13. Intrate per angustam portam : quia lata porta, et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. 14. Quàm angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam : et pauci sunt qui inveniunt eam.

XI. 12. Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.

XVI. 24. Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me. 25. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam.

LUC. XIII. 24. Contendite intrare per angustam portam : quia multi, dico vobis, quærent intrare et non poterunt.

Vide S. AUG. *infrà hocce* §. *litt.* (I)

merces infinita, æterna est. Quin et Christus promisit levandum à se magna ex parte laborem. *Venite ad me*, inquit, (*Matth.* XI. 28. *et* 29.) *omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et invenietis requiem animabus vestris; jugum enim meum suave est, et onus meum leve.* Promissi divini fidem et veritatem sentiunt quotidiè quicunque sincerè Deum colunt, et præcepta evangelica sequuntur. Diffusâ in cordibus eorum per Spiritum sanctum charitate, fit ut plus suavitatis et consolationis experiantur in cruce ferenda, quàm peccatores in cupiditatibus explendis. Id sanctus Augustinus pluribus in locis explicat, et quidem, suo more, luculenter et egregiè. (G)

S. AUG. *Serm.* 96. *aliàs* 47. *de diversis*, *c.* 2. *n.* 2. Prima hominis perditio, fuit amor sui. Si enim se non amaret, et Deum sibi præponeret, Deo esse semper subditus vellet; non autem converteretur ad negligendam voluntatem illius, et faciendam voluntatem suam. Hoc est enim amare se, velle facere voluntatem suam. Præpone his voluntatem Dei: Disce amare te, non amando te. Nam ut sciatis vitium esse se amare sic, Apostolus dicit: Erunt enim homines seipsos amantes. Et nunquid qui amat se, fidit in se? Incipit enim, deserto Deo, amare se, et ad ea diligenda quæ sunt extra se, pellitur à se.... Amare te cœpisti, sta in te, si potes.... Cœpisti diligere quod est extra te, perdidisti te.

(G) S. AUG. *Serm.* 96. *alias* 47. *de diversis*, *c.* 1. *n.* 1. Durum videtur et grave quod Dominus imperavit, ut si quis eum vult sequi, abneget seipsum. Sed non est durum et grave quod ille imperat, qui adjuvat ut fiat quod imperat. Quidquid enim durum est in præceptis, ut sit lene, charitas facit. Novimus quanta ipse amor faciat. Plerumque etiam ipse amor reprobus atque lascivus est: quanta homines dura perpessi sunt, quanta indigna et intolerabilia pertulerunt, ut pervenirent ad id quod amaverunt?.... Cùm ergo tales sint homines plures, quales sunt amores, nihilque aliud curæ esse debeat quomodo vivatur, nisi ut quod amandum est eligatur: quid miraris, si ille qui diligit Christum, et qui vult sequi Christum, amando negat seipsum? Si enim perit homo amando se, profectò invenitur negando se.

Confess. lib. 13. *cap.* 9. *n.* 10. Pondus meum amor meus, eo feror quocunque feror. Dono tuo accendimur, et sursùm ferimur. Inardescimus et imus.

Lib. 1. *de Moribus Eccles. Cathol. cap.* 22. *n.* 41. Nihil est tamen tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur. Quo cùm se anima rapiet in Deum, super omnem carnificinam libera; et admiranda volitabit pennis pulcherrimis et integerrimis, quibus ad Dei amplexum amor castus innititur.

Epist. 157. *alias* 89. *ad Hilar. cap.* 2. *n.* 9. Animus quippè velut pondere, amore fertur quocunque fertur. Jubemur itaque detrahere de pondere cupiditatis, quod accedat ad pondus charitatis, donec illud consumatur, hoc perficiatur. Plenitudo enim legis est charitas. (*Rom.* XIII. 10.)

Serm. 70. *de verbis Evang. Matth. aliàs* 9. *de verbis Domini*, *cap.* 3. *n.* 3. Omnia sæva et immania, prorsùs facilia et propè nulla efficit amor. Quanto ergo certiùs ac faciliùs ad veram beatitudinem charitas facit, quod ad miseriam, quantùm potuit, cupiditas fecit? Quàm facilè toleratur quælibet adversitas temporalis, ut æterna pœna vitetur et æterna requies comparetur? Non immeritò ille vas electionis cum ingenti lætitia dixit (*Rom.* VIII. 18.), Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Ecce undè illud jugum suave est, et sarcina levis. et si angusta est pancis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus. Dicit Psalmista (*Ps.* XVI. 4.): Propter verba labiorum tuorum, ego custodivi vias duras. Sed quæ dura sunt laborantibus, eisdem ipsis mitescunt amantibus.... Nihil enim tam facile est bonæ voluntati, quàm ipsa sibi.

I. Estne nomen aliquod pravæ huic dilectioni inditum ?

R. Appellatur usitato nomine cupiditas.

I. Cur dilectionem hanc, quæ cupiditas appellatur, pravam esse dicis ?

R. Quia et Deo injuria et nobis noxia est. Deo quidem injuria, quia per eam homo creaturam, spreto Deo, diligit. Nobis autem noxia, nos enim à summo bono, à suprema felicitate avocat, et ad summam miseriam deprimit. (H)

I. Estne nomen aliquod inditum huic dilectioni, quâ nos, ut par est, diligimus ?

R. Hæc charitas dicitur : Est enim pars charitatis. Charitas vel Deum, vel nos, vel proximum respicit.

I. Estne cupiditas aliquando venialis ?

R. Est. Omnia quippè peccata à cupiditate oriuntur ; at non omnia peccata lethalia sunt.

Est ergo cupiditas lethalis, cùm charitatem omninò à cordibus nostris expellit ; venialis est si non expellat, sed minuat solùm charitatem.

I. Bonorum temporalium desiderium estne à cupiditate, an à charitate ?

R. A charitate proficiscitur, si quis hæc ideò desideret,

(H) S. Aug. *Lib.* 1. *Confess. c.* 1. *n.* 1. *Vide suprà Cap. præliminar. hujusce Partis, litt.* (K)

Lib. 4. *c.* 9. *n.* 14. Beatus qui amat te ; et amicum in te ; et inimicum propter te. Solus enim nullum carum amittit, cui omnes in illo cari sunt qui non amittitur... Te nemo amittit, nisi qui dimittit : et qui dimittit, quò it aut quò fugit, nisi à te placido ad te iratum ?

Cap. 10. *n.* 15... Quoquoversùm se verterit anima hominis, ad dolores figitur alibi præterquam in te : tametsi figitur in pulcris extra te et extra se.

Cap. 11. *n.* 16. Noli esse vana anima mea, et obsurdescere in aure cordis, tumultu vanitatis tuæ. Audi et tu. Verbum ipsum clamat ut redeas ; et ibi est locus quietis imperturbabilis, ubi non deseritur amor, si ipse non deserat.... Ibi fige mansionem tuam : ibi commenda quidquid indè habes anima mea, saltem fatigata fallaciis. Veritati commenda quidquid tibi est à veritate.

N. 17. Ut quid perversa sequeris carnem tuam ?

Lib. 13. *c.* 8. *n.* 9. Satis ostendis quàm magnam creaturam rationalem feceris, cui nullo modo sufficit ad beatam requiem, quidquid te minùs est, ac per hoc nec ipsa sibi... Da mihi te Deus meus, redde te mihi, te enim amo, et si parùm est, amem validiùs. Non possum metiri ut sciam quantum desit mihi amoris ad id quod sat est, ut currat vita mea in amplexus tuos : nec avertatur donec abscondatur in abscondito vultûs tui. Hoc tantum scio, quia malè mihi est præter te, non solùm extra me, sed et in meipso, et omnis mihi copia quæ Deus meus non est, egestas est.

S. Leo Magn. *Serm.* 68. *de Passione Dom.* xix. *c.* 5. Sapientes itaque animæ, quæ unum timere, unum diligere, et in unum Dominum sperare didicerunt, mortificatis cupiditatibus, et crucifixis corporis sensibus, ad nullum hostium metum, ad nullum inclinantur obsequium. Voluntatem enim Dei etiam sibi præferunt ; et tantò ampliùs se amant, quantò ampliùs pro Dei amore se non amant. Cumque audiunt sibi divinitùs dici (*Eccli.* xviii. 30.) : *Post concupiscentias tuas non eas, et à voluntate tuâ avertere*, dividunt affectus suos, et legem mentis à corporis lege discernunt : ut ex quàdam se parte sibi denegent, perdentes se in iis, quæ carnaliter cupiunt, et invenientes se in iis, quæ spiritaliter concupiscunt.

ut iis utatur sobriè, sine avaritia, ad necessarios vitæ usus, et desiderium hoc ad Deum referatur. (l)

(l) S. Aug. *Confess. lib. 4. cap.* 11. *n.* 18. Si placent corpora, Deum ex illis lauda, et in artificem eorum retorque amorem: ne in his quæ tibi placent, tu displiceas.

Cap. 12. Si placent animæ, in Deo amentur: quia et ipsa mutabiles sunt, et in illo fixæ stabiliuntur; alioquin irent et perirent. In illo ergo amentur: et rape ad eum tecum quas potes, et dic eis; Hunc amemus, hunc amemus: ipse fecit hæc, et non est longè. Non enim fecit atque abiit, sed ex illo in illo sunt. Ecce ubi est, ubi sapit veritas. Intimus cordi est „... state cum eo, et stabitis. Requiescite in eo, et quieti eritis. Quo itis in aspera? Quo itis? Bonum quod amatis ab illo est: sed quantùm est ad illum bonum est et suave; sed amarum erit justè, quia injustè amatur, deserto illo, quidquid ab illo est.

Epist. 130. *aliàs* 121. *ad Probam, cap.* 7. *n.* 14. Animus nullo modo sanus existimandus est, qui non temporalibus æterna præponit. Neque in tempore utiliter vivitur, nisi ad comparandum meritum quo in æternitate vivatur. Ad illam ergo unam vitam, quâ cum Deo et de Deo vivitur, cætera quæ utiliter et decenter optantur, sine dubio referenda sunt. In eo quippe nosmetipsos diligimus, si Deum diligimus: et ex alio præcepto proximos nostros sicut nosmetipsos ita verè diligimus, si eos ad Dei similem dilectionem, quantùm in nobis est perducamus. Deum igitur diligimus propter seipsum, et nos ac proximos propter ipsum.

Lib. de vera Relig. cap. 47. *n.* 92. Homo qui prosperis rebus proficit, asperis quid profecerit, discit. Cùm enim mutabilium bonorum adest copia, non eis confidit: sed cùm subtrahuntur, agnoscit utrum eum non ceperint. Quia plerumque cùm adsunt nobis, putamus quòd non ea diligamus: sed cùm abesse cœperint, invenimus qui simus. Hoc enim sine amore nostro aderat, quod sine dolore discedit.

Cap. 48. *n.* 93. Quem ergo delectat libertas ab amore mutabilium rerum liber esse appetat, et quem regnare delectat, uni omnium regnatori Deo subditus hæreat, plus eum diligendo quàm seipsum. Et hæc est perfecta justitia, quâ potiùs potiora, et minùs minora diligimus.

Lib. de Moribus Eccles. Cathol. cap. 20. *n.* 37. Amandus igitur solus Deus est: omnis verò iste mundus, id est, omnia sensibilia contemnenda: utendum autem his ad hujus vitæ necessitatem.

De agone Christ. cap. 33. *n.* 35. Perfecta charitas nec cupiditatem habet seculi, nec timorem seculi, id est, nec cupiditatem ut acquirat res temporales, nec timorem ne amittat res temporales. Per quas duas januas intrat et regnat inimicus, qui primò Dei timore, deindè charitate pellendus est.

Serm. 368. *de verbis Evang. Joan.* 12. *aliàs* 57. *ex homil.* 50. *cap.* 3. *n.* 3. Amor ergo perversus animæ abundat, amor autem rectus valdè paucorum est. Nam sicut nemo est qui non diligat animam suam, sic nemo est qui non amet carnem suam. Undè fieri potest, ut et verum sit quod ait Apostolus (*Ephes.* v. 29.), *Nemo unquam carnem suam odio habuit*, et anima non ametur: discamus ergo, fratres, amare animas nostras. Omnis voluptas seculi transitoria est. Est amor utilis, est amor noxius: amor amore impeditur; amor noxius recedat, et amor utilis succedat.

Cap. 4. *n.* 4. Amores omnes et dilectiones priùs sunt in hominibus de se, et sic de alia re quam diligunt. Si diligis aurum, priùs te diligis, et sic aurum: quia si tu mortuus fueris, non erit qui aurum possideat. Ergo dilectio unicuique à se incipit; et non potest nisi à se incipere. Et nemo monetur ut se diligat... Incipe et aliud amare. Sed quid est ipsum aliud? Quidquid amaveris, aut hoc est quod tu, aut inferius te est, aut superius te est. Si inferius te est quod amas, ad consolandum ama, ad tractandum ama, ad utendum ama, non ad illigandum. Verbi gratiâ, aurum amas, noli te illigare auro, quantò melior es quàm aurum! aurum enim terra est fulgens, tu autem ut illuminareris à Domino ad imaginem Dei factus es. Cùm sit aurum creatura Dei, non tamen fecit Deus aurum ad imaginem suam, sed te. Ergo posuit sub te aurum. Amor ergo iste contemnendus est. Ad usum assumenda sunt ista, non eis vinculo amoris quasi glutino

A cupiditate proficiscitur, si quis ea desideret ad explendam concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitæ.

§. 3. De Amore proximi.

I. Jam dixisti charitatis lege præcipi, ut et proximum sicut nosmetipsos diligamus; ad hujus præcepti explicationem, dic primùm, amabo, quis nomine proximi intelligatur?

R. Intelliguntur omnes omninò homines : Christiani, Hæretici, Judæi, Ethnici : quin et ipsi inimici quicunque sint. (A)

hærendum est. Non facias tibi membra, quæ cùm cœperint præcidi, doleas atque crucieris. Quid ergo? Assurge ab isto amore, quo amas inferiora quàm tu es, incipe amare paria, id est, quod tu es.

Consule quæ superiùs dicta sunt de Avaritiâ *hujusce Partis Sect.* 1. *Cap.* 2. §. 2. *et* de Spe *hujusce Sectionis Cap.* 3. *et quæ dicemus infrà cùm* de Oratione *agemus Parte* 3. *Sect.* 2. *Cap.* 1. §. 6.

(A) Matth. v. 43. Audistis quia dictum est : Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. 44. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos : et orate pro persequentibus et calumniantibus vos : 45. Ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.

Luc. x. 36. Quis.... videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? 37. At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus : Vade, et tu fac similiter.

S. Aug. *in Psal.* 14. *n.* 3. Proximum omnem hominem accipi oportere notum est.

In Psal. 25. *Enarr.* 11. *n.* 2. Proximus tuus ille est, qui tecum natus est ex Adam et Eva. Omnes proximi sumus conditione terrenæ nativitatis : sed aliter, fratres, illâ spe cœlestis hæreditatis. Proximum tuum debes putare omnem hominem, et antequam sit Christianus. Non enim nosti quid sit apud Deum, quomodo illum præsciverit Deus, ignoras. Aliquando quem irrides adorantem lapides, convertitur, et adorat Deum, fortasse religiosiùs quàm tu, qui eum paulò antè irridebas. Sunt ergo proximi nostri latentes in his hominibus, qui nondùm sunt in Ecclesia; et sunt longè à nobis latentes in Ecclesia. Ideoque qui non scimus futura, unumquemque proximum habeamus, non solùm conditione mortalitatis humanæ, quâ in hanc terram eadem sorte devenimus : sed etiam spe illius hæreditatis, quia non scimus quid futurus sit, qui modò nihil est.

In Psal. 54. *n.* 4. Plerumque cùm tibi videris odisse inimicum, fratrem odisti, et nescis.

Serm. 8. *in Psal.* 118. *n.* 2. Proximi facilior esse videtur cognitio. Omnis quippè homo est omni homini proximus; nec ulla cogitanda est longinquitas generis, ubi est natura communis. Quanquam nec proximum noverat qui Domino ait, Et quis est mihi proximus? Quando illi est propositus homo quidam, qui descendens ab Jerusalem in Jericho incidit in latrones : cui proximum non fuisse, nisi qui cum illo fecit misericordiam, ipse qui interrogaverat, judicavit; patuitque in faciendâ misericordia neminem alienum esse deputandum ab eo, qui diligit proximum.

Lib. de Discipl. Christ. cap. 3. *n.* 3. Quod est ergo verbum consummans et brevians? (*Matth.* xxii. 37.) *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua; et diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus præceptis tota Lex pendet et Prophetæ.* Ecce quod dicitur in domo disciplinæ : Diligere Deum, diligere proximum : Deum tanquam Deum, proximum tanquam te. Non enim invenis parem Deo, ut possit tibi dici, Dilige Deum sicut diligis illum. De proximo inventa est tibi regula, quia inventus es proximo tuo par tu ipse. Quæris quomodo diligas proximum? Attende teipsum; et quomodo te diligis, sic dilige proximum.... Tu unus homo es, proximi tui multi sunt. Non enim primò sic debes intelligere proximum vel fratrem, vel cognatum, vel affinem. Proximus enim est omni homini omnis homo. Proximi sibi

I. Quis est verborum istorum (*Matth.* XXII.) sensus, *Diliges proximum sicut teipsum ?*

R. Sensus est lege charitatis teneri unumquemque, proximi saluti, non secùs ac suæ, et votis et quantum fieri potest, re consulere et providere. (B)

dicuntur pater et filius, socer et gener. Nihil tam proximum, quàm homo et homo. Sed si putamus non esse proximos, nisi qui ex iisdem parentibus nascuntur : Adam et Evam attendamus ; et omnes fratres sumus. Et quidem fratres secundùm quod homines sumus, quantò magis secundùm quod Christiani sumus ? Ad id quod Christianus es, unus pater est Deus, una mater Ecclesia.

Cap. 4. *n.* 4. Videte ergo quantos proximos habeat unus homo. Omnes homines in quos incurrerit, quibus jungi potuerit, proximi ejus sunt.

S. LEO *Serm.* 11. *de Jejun.* 10. *mensis et collect.* 1. *c.* 2. Charitatis pictas perfecta esse non poterit, nisi diligatur et proximus. Quo nomine non ii tantùm intelligendi sunt, qui nobis amicitiâ aut propinquitate junguntur, sed omnes prorsùs homines, cum quibus nobis natura communis est, sive illi hostes sint, sive socii ; sive liberi, sive servi. Unus enim nos conditor fiuxit, unus nos creator animavit : eodem cuneti cœlo et aëre, iisdem utimur diebus et noctibus. Dedit autem nobis majores diligendi proximi causas Christianæ gratiæ latitudo, quæ se per omnes partes totius orbis extendens neminem despectat, dùm docet neminem negligendum, et meritò etiam inimicos diligi, et persecutoribus sibi præcipit supplicari.

(B) ROM. XIII. 8. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis : qui enim diligit proximum, legem implevit. 9. Nam : Non adulterabis : non occides : non furaberis : non falsum testimonium dices : non concupisces : et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur ; Diliges proximum tuum sicut teipsum. 10. Dilectio proximi malum non operatur : plenitudo ergo legis est dilectio.

ORIGENES *Lib.* 9. *in Epist. ad Rom. cap.* 13. Vult ergo Paulus... permanere... et nunquam cessare à nobis debitum charitatis, hoc enim et quotidiè solvere, et semper debere expedit nobis. Denique quantæ virtutis sit charitas, in consequentibus ponit. (*Rom.* XIII. 8. *et seq.*) *Qui enim diligit proximum, legem implevit. Nam non adulterabis, non occides, non furtum facies, non falsum testimonium dices, non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo restauratur : Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Et ad ultimum rationem tanti præcepti breviter colligens ait : Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. Suprà dixerat, quia qui diligit proximum, legem implevit : et quia difficilè videbatur quomodo possit quis omnem legem uno sermone complere, plenissimam reddit rationem dicens, Dilectio proximi malum non operatur, et ideò plenitudo legis est dilectio. Pone enim per singula mandata Legis dilectionem, et vide quàm facilè cuncta complentur. Nunquid qui diligit proximum, occidere eum potest ? Certum est quod nemo quem diligit, interficiat. Est ergo dilectio per quam impleatur mandatum quod præcipitur, Non occides. Iterùm qui proximum suum diligit, in uxorem ejus adulterium committit ? Nunquam profectò. Si ergo diligas proximum, nec adulterium committes. Similiter et qui diligit proximum quæ ejus sunt non furatur : et qui diligit proximum, falsum adversùs eum testimonium non dicit. Similiter et cætera mandata legis, si sit erga proximum dilectio, absque aliquo labore servantur. Puto etiam quod et in hoc voluit nos aliquid compendiosius docere. Nam si diligentiùs requiras quis sit proximus noster, disces in Evangelio illum esse proximum nostrum qui venit, et jacentes nos vulneratos à latronibus et nudatos à dæmonibus jumento corporis sui superposuit, et ad stabulum Ecclesiæ detulit, et stabulario pro cura nostra et diligentia vel ipsi Paulo vel omni qui Ecclesiæ præest duos denarios novi ac veteris Testamenti ad nostræ curæ concessit expensas. Hunc ergo proximum si diligamus, omnem legem et universa mandata ipsius complemus : finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti : nec fieri ullo pacto potest, ut qui ex toto corde, ex totis viribus suis

diligit Christum, faciat aliquid quod non placeat Christo. Illum enim qui diligit, non solùm non occidit, quod prohibet Lex, sed nec irascitur fratri suo, quia ita delectatur ille quem diligit : et non solùm non facit adulterium, sed nec mulierem respicit ad concupiscendum, sed dicit ad ipsum magis : (*Ps.* XLII. 3.) Concupiscit et deficit anima mea in Deum vivum. Qui diligit Christum, quomodo de furto cogitat, qui etiam sua omnia quæcunque habet reliquit ut sequatur Christum? Qui Christum diligit, quando falsum testimonium dicit, cùm sciat ipsum, quem diligit, falso testimonio perditum? Necessariò autem qui diligit Christum, diligit et proximum suum. Hoc enim solo indicio Christi esse discipulus designatur, si charitatem cum proximis habet. Certum est enim quod qui non diligit proximum, nesciat Christum.

S. AUG. *Lib. de Disciplina Christi, cap.* 4. *n.* 4. Quomodo te diligis? Quisquis me audis, immò quisquis Deum per me audis, in hac domo Disciplinæ, attende te, quomodo te diligis. Profectò enim si te interrogem utrùm diligas te, respondes quia diligis. Quis enim se odit? Hoc dicturus es : Quis enim se odit? Ergo non diligis iniquitatem, si te diligis. Nam si diligis iniquitatem, non ego dico, Psalmum (X. 6.) audi, *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Ergo si diligis iniquitatem, audi veritatem, veritatem non te palpantem, sed apertè tibi dicentem, Odis te. Quantò magis dicis, quia amas te, odis te. *Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam.* Quid dicam de carne, quæ pars vilior est hominis? Si animam odit, carnem quomodo diligit? Denique qui amant iniquitatem, et oderunt animam suam, omnem turpitudinem exercent de carne sua. Jam ergo qui diligis iniquitatem, quomodo tibi volebas committi proximum, ut diligeres eum tanquam te? Homo, quid perdis te? Si enim tu ipse sic te diligis, ut perdas te : sic profectò perditurus es et eum quem diligis sicut te. Nolo ergo quemquam diligas : vel solus peri, aut corrige dilectionem, aut respue societatem.

Cap. 6. *n.* 5. Prorsùs proximum dilige, et sufficit. Sed dilige quomodo te ipsum diligis, non quomodo teipsum odisti. Dilige proximum tuum tanquam teipsum : sed priùs est ut diligas teipsum.

De Civit. Dei, lib. 19. *cap.* 14. Jam verò quia duo præcipua præcepta, hoc est, dilectionem Dei et dilectionem proximi docet magister Deus; in quibus tria invenit homo quæ diligat, Deum, seipsum, et proximum; atque ille in se diligendo non errat qui diligit Deum : consequens est, ut etiam proximo ad diligendum Deum consulat, quem jubetur sicut seipsum diligere. Sic uxori, sic filiis, sic domesticis, sic cæteris quibus potuerit hominibus; et ad hoc sibi à proximo, si fortè indiget, consuli velit : ac per hoc erit pacatus, quantum in ipso est, omni homini, pace hominum, id est, ordinatà concordiâ : cujus hic ordo est, primùm ut nulli noceat, deindè ut etiam prosit cui poterit. Primitùs ergo inest ei suorum cura : ad eos quippè habet opportuniorem facilioremque aditum consulendi, vel naturæ ordine, vel ipsius societatis humanæ. Undè Apostolus (1. *Tim.* V. 8.) dicit, * *Quisquis autem suis, et maximè domesticis non providet, fidem denegat, et est infideli deterior.*

Lib. 6. de *Musica, cap.* 14. *n.* 46. (Anima) tenet ordinem, seipsà totà diligens quod supra se est, id est, Deum, socias autem animas tanquam seipsam. Hac quippe dilectionis virtute inferiora ordinat, nec ab inferioribus sordidatur.... A dilectione autem proximi tanta quanta præcipitur, certissimus gradus fit nobis, ut inhæreamus Deo.

Soliloq. lib. 1. *cap.* 3. *n.* 8. Illam legem amicitiæ justissimam esse arbitror; quà præscribitur, ut sicut non minùs, ita nec plus quisquis amicum quàm seipsum diligat.

De Moribus Eccles. Cathol. lib. 1. *cap.* 26. *n.* 48. Quid inter ipsos homines nullumne esse amoris vinculum debet? Immò verò ita debet ut nullus certior gradus ad amorem Dei fieri posse credatur, quàm hominis erga hominem charitas.

N. 49. Promat nobis ergo alterum præceptum ipse Dominus, de vitæ præceptis interrogatus... Dicit ergo (*Matth.* XXII. 39.) secundum præceptum esse, *Diliges proximum tuum tanquam teipsum.* Te autem ipsum salubriter diligis, si plus quàm te diligis Deum. Quod ergo agis tecum, id agendum cum proximo est, hoc est, ut ipse etiam perfecto amore

diligat Deum. Non enim eum diligis tanquam teipsum, si non ad id bonum ad quid ipse tendis, adducere satagis. Illud est enim unum bonum, quod omnibus tecum tendentibus non fit angustum. Ex hoc præcepto nascuntur officia societatis humanæ, in quibus non errare difficile est. Agendum autem in primis est, ut benevoli simus, id est, ut nullà malitià, dolo malo adversùs hominem utamur. Quid enim homini homine propinquius?

N. 50. Accipe etiam quid Paulus dicat: *Dilectio*, inquit (*Rom.* XIII. 10.), *proximi, malum non operatur....* Sed cùm duobus modis peccetur in homine, uno si lædatur, alio si cùm potest non adjuvetur; eaque ipsa sint quibus mali homines esse dicantur, quorum neutrum, qui diligit, facit: satis, opinor, quod volumus, demonstrat ista sententia, *Dilectio proximi, malum non operatur...* Ista sunt quasi cunabula charitatis Dei, quibus diligimus proximum, ut quoniam *dilectio proximi malum non operatur*, hinc ad illud ascendamus quod dictum est (*Rom.* VIII. 28.), *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia procedunt in bonum.*

N. 51. Sed nescio quomodo aut pariter ista in plenitudinem perfectionemque consurgunt, aut inchoatur priùs Dei amor, et priùs perficitur proximi. Ad incipiendum enim citiùs nos fortasse in se divina charitas rapit, sed faciliùs minora perficimus. Quoquo modo autem res se habeat, illud maximè tenendum est, ne se quisquam credat, contempto proximo, ad beatitudinem et ad Deum quem diligit, esse venturum. Atque utinam ut facile est benè instituto et benigno diligere proximum, ita facile esset vel consulere, vel nihil nocere. Non enim ad hæc satis est voluntas bona, sed opus est magnà quadam ratione atque prudentià, quà nemo uti potest, nisi Deus ille fons omnium bonorum id tribuerit.

N. 52. Homo igitur ut homini apparet, anima rationalis est mortali atque terreno utens corpore. Partim ergo corpori, partim verò animæ hominis benefacit qui proximum diligit. Ad corpus quod pertinet, medicina nominata est: ad animam autem disciplina. Sed medicinam nunc voco, quidquid omninò corporis vel tuetur vel instaurat salutem. Ad hanc itaque pertinent non ea tantùm quæ ars eorum exhibet, qui propriè Medici nominantur; sed etiam cibus et potus, tegmen, et tectum, defensio denique omnis atque munitio, quâ nostrum corpus adversùs etiam externos ictus casusque servatur.

N. 53. Quare illa omnia, quibus hujuscemodi malis incommodisve resistitur, qui officiosè atque humaniter præbent, misericordes vocantur... Cùm subvenit inopi, cùm esurienti cibum præstat potumque silienti, cùm vestit nudum, cùm peregrinum tecto recipit: cùm oppressum liberat, cùm denique humanitatem suam usque ad sepulturam porrigit mortuorum....

N. 55. Quod autem attinet ad disciplinam per quam ipsi animo sanitas instauratur, quæ si absit, nihil ad depellendas miserias salus illa corporis valet, difficillima omninò res est.

N. 56. Hæc tamen disciplina de qua nunc agimus, quæ animi medicina est, quantùm Scripturis ipsis divinis colligi licet, in duo distribuitur, coërcitionem et instructionem. Coërcitio timore, instructio verò amore perficitur, ejus dico cui per disciplinam subvenitur: nam qui subvenit, nihil horum duorum habet, nisi amare. In his duobus Deus ipse, cujus bonitate atque clementià fit omninò ut aliquid simus, duobus Testamentis vetere et novo disciplinæ nobis regulam dedit. Quanquam enim utrumque in utroque sit, prævalet tamen in vetere timor, amor in novo: quæ ibi servitus, hic libertas ab Apostolis prædicatur.... Qui ergo diligit proximum, agit quantùm potest ut salvus corpore salvusque animo sit: sed cura corporis ad sanitatem animi referenda est. Agit ergo his gradibus, quod ad animum pertinet, ut primò timeat, deindè diligat Deum. Hi mores sunt optimi per quos nobis etiam ipsa provenit, ad quam omni studio rapimur, agnitio veritatis.

S. LEO MAGN. *Serm.* 19. *de* X. *mens. Jejun.* 9. *cap.* 3. Ubi autem est illuminatio rationis, ibi est disciplina pietatis, quæ dilectionem et Deo debet et proximo. Non enim aliter probatur homo amator esse sui, nisi appareat eum et supra se naturæ suæ auctorem, et secundùm se naturæ suæ amare consortem.. Diligatur Deus, diligatur et proximus, ita ut formam

I. Nunquid et bonis temporalibus proximi votis et re consulere et providere tenemur vi præcepti charitatis ?

R. Tenemur quidem, sed habitâ semper ratione Dei et salutis, alioqui non Charitas est, sed cupiditas quod seu proximo seu nobis vel optamus vel quærimus. (C)

diligendi proximi ab ea, quâ nos Deus diligit, dilectione sumamus, qui etiam malis bonus est, et benignitatis suæ donis non solùm cultores suos confovet, sed etiam negatores. Amentur propinqui, amentur extranei ; et quod debetur amicis, supererogetur inimicis. Quamvis enim quorumdam malignitas nullâ humanitate mitescat, non sunt tamen infructuosa opera pietatis, nec unquam perdit benevolentia quod præstat ingrato.

(C) S. Aug. *Epist.* 138. *aliàs* 3. *ad Volusian. cap.* 4. *n.* 17. Quæ disputationes, quæ litteræ quorumlibet Philosophorum, quæ leges quarumlibet civitatum, duobus præceptis, ex quibus Christus dicit totam legem Prophetasque pendere, ullo modo sint comparandæ. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua : et diliges proximum tuum, tanquam teipsum ? Hîc Physica, quoniam omnes omnium naturarum causæ in Deo Creatore sunt. Hîc Ethica, quoniam vita bona et honesta non aliundè formatur, quàm cùm ea quæ diligenda sunt, quemadmodùm diligenda sunt, diliguntur, hoc est, Deus et proximus. Hîc Logica, quoniam veritas lumenque animæ rationalis, nonnisi Deus est. Hîc etiam laudabilis Reipublicæ salus : neque enim conditur et custoditur optimè civitas, nisi fundamento et vinculo fidei, firmæque concordiæ, cùm bonum commune diligitur, quod summum ac verissimum Deus est, atque in illo invicem sincerissimè se diligunt homines, cùm propter illum se diligunt, cui, quo animo diligant, occultare non possunt.

De verâ Religione, c. 46. *n.* 86. Qui amat id solum, quod amanti eripi non potest, ille indubitanter invictus est, nec ullâ cruciatur invidiâ. Id enim diligit, ad quod diligendum et percipiendum quantò plures venerint, tantò eis uberiùs gratulatur. Diligit enim Deum ex totâ animâ, et ex totâ mente ; et diligit proximum tanquam seipsum. Non ergo illi invidet, ut sit quod ipse est : immò adjuvat etiam quantùm potest. Nec potest amittere proximum, quem diligit tanquam seipsum ; quia neque in seipso ea diligit, quæ oculis subjacent, aut ullis aliis corporis sensibus. Ergo apud seipsum habet quem diligit tanquam seipsum.

N. 87. Ea autem est regula dilectionis, ut quæ sibi vult bona provenire, et illi velit ; et quæ accidere sibi mala non vult, et illi nolit : hanc voluntatem erga omnes homines servat. Nam erga neminem operandum est malum. *Dilectio proximi malum non operatur.* (*Rom.* XIII. 10.) Diligamus ergo, ut præceptum est, etiam inimicos nostros, si verè invicti esse volumus. Non enim per seipsum quisquam hominum invictus est, sed per illam incommutabilem legem, cui quicunque serviunt, soli sunt liberi. Sic enim eis quod diligunt, auferri non potest : quæ res una invictos facit et perfectos viros. Nam si vel ipsum hominem homo dilexerit, non tanquam seipsum, sed tanquam jumentum, aut balneas, aut aviculam pictam, vel garrulam, id est, ut ex eo aliquid temporalis voluptatis aut commodi capiat, serviat necesse est non homini, sed, quod est turpius, tam fœdo et detestabili vitio, quo non amat hominem sicut homo amandus est. Quo vitio dominante, usque ad extremam vitam, vel potiùs mortem perducitur.

N. 88. Sed nec sic quidem ab homine homo diligendus est, ut diliguntur carnales fratres, vel filii, vel conjuges, vel quique cognati, vel affines aut cives. Nam et dilectio ista temporalis est... Itaque ad pristinam perfectamque naturam nos ipsa veritas vocans, præcepit ut carnali consuetudini resistamus, docens neminem aptum esse regno Dei, qui non istas carnales necessitudines oderit. Neque hoc cuiquam inhumanum videri debet. Magis enim est inhumanum, non amare in homine quod homo est, sed amare quod filius est : hoc est enim non in eo amare illud quod ad Deum pertinet, sed amare illud quod ad se pertinet.

N. 89. Oderimus ergo temporales necessitudines, si æternitatis amore flagramus. Diligat homo proximum tanquam seipsum... Quisquis in pro-

I. Quodnam est fundamentum hujus dilectionis, quam proximo debemus ?

R. Charitas Dei : siquidem in eo charitas Dei posita est, ut Deum summè diligamus. At non possumus Deum summè diligere, quin optemus Deum ab omnibus omninò cognosci, diligi, adorari : id si verè optamus, agimus ergo, quantum in nobis est, ut id fiat : Si quis autem agit, quantum in se est, ut ab omnibus hominibus cognoscatur, diligatur, colatur, adoretur Deus, is certè proximorum saluti consulit ; adeòque proximum amat. Ergo præceptum dilectionis proximi ex præcepto dilectionis Dei necessariò pendet et sequitur. (D)

ximo aliud diligit, quam sibi ipse est, non eum diligit tanquam seipsum. Ipsa igitur natura humana sine carnali conditione diligenda est, sive sit perficienda, sive perfecta. Omnes sub uno Deo Patre cognati sunt, qui eum diligunt et faciunt voluntatem ipsius : et invicem sibi sunt et patres, cùm sibi consulunt, et filii cùm sibi obtemperant, et fratres maximè, quia eos unus Pater testamento suo ad unam hæreditatem vocat.

(D) S. Aug. *Epist.* 155. *aliàs* 52. *ad Macedonium, c.* 4. *n.* 13. *et* 15. *Vide suprà* §. 2. *hujusce Cap. litt.* (C)

Lib. 4. *Confess. cap.* 4. *n.* 7. Amicitia non est vera, nisi cùm eam tu agglutinas (O Deus) inter inhærentes tibi charitate diffusà in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

Cap. 9. *n.* 14. Beatus qui amat te, et amicum in te, et inimicum propter te. Solus enim nullum carum amittit, cui omnes in illo cari sunt, qui non amittitur. Et quis est iste ; nisi Deus noster ?

Epist. 258. *aliàs* 155. *ad Martianum, n.* 2. Necesse est ut aliter quàm oportet humana æstimet, qui divina contemnit, nec hominem rectè diligere noverit, quisquis eum diligit, qui hominem fecit.

Tract. 83. *in Joann. n.* 3. Plenitudo legis charitas.... Ubi ergo charitas est, quid est quod possit deesse ? Ubi autem non est, quid est quod possit prodesse ?.... Nemo diligit qui non credit.... Nemo potest desperare qui diligit. Itaque ubi dilectio est, ibi necessariò fides et spes : et ubi dilectio proximi, ibi necessariò etiam dilectio Dei. Qui enim non diligit Deum, quomodò diligit proximum tanquam seipsum ; quandoquidem non diligit et seipsum.... Hoc ergo præceptum Domini teneamus, ut nos invicem diligamus ; et quidquid aliud præcepit, faciemus.

Tract, 87. *n.* 1.... Charitas est fructus noster, quam definit Apostolus de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta. Hâc diligimus invicem, hâc diligimus Deum. Neque enim verâ dilectione diligeremus invicem, nisi diligentes Deum. Diligit enim unusquisque proximum suum tanquam seipsum, si diligit Deum. Nam si non diligit Deum, non diligit seipsum.

Lib. 1. *de Doctrinâ Christianâ, c.* 29. *n.* 30. Velle debemus, ut omnes nobiscum diligant Deum, et totum quod vel eos adjuvamus vel adjuvemur ab eis, ad unum illum finem referendum est. Si enim in theatris nequitiæ qui aliquem diligit histrionem, et tanquam magno vel etiam summo bono ejus arte perfruitur, omnes diligit, qui eum diligunt secum.... et quantò est in ejus amore ferventior, tantò agit quibus potest modis, ut à pluribus diligatur.... Quid nos in societate dilectionis Dei agere convenit, quo perfrui, beatè vivere est ; et à quo habent omnes, qui eum diligunt, et quòd sunt, et quòd eum diligunt ; de quo nihil metuimus, ne cuiquam possit cognitus displicere ; et qui se vult diligi, non ut sibi aliquid, sed ut eis qui diligunt, æternum præmium conferatur, hoc est ipse quem diligunt ? Hinc efficitur, ut inimicos etiam nostros diligamus : non enim eos timemus, quia nobis quod diligimus auferre non possunt, sed misereamur potius, quia tantò magis nos oderunt, quantò ab illo, quem diligimus, separati sunt.

Serm. 336. *in Dedicatione Eccles.* 1. *aliàs de tempore* 256. *c.* 2. *n.* 2. Amemus, gratis amemus : Deum enim amamus, quo nihil melius inveniemus. Ipsum amemus propter ipsum, et nos in ipso, tamen propter ipsum,

I. Ex præcepto dilectionis proximi sequiturne quidquid nobis ipsis optare licet, id pariter et indiscriminatim proximo optari oportere ?

R. Salutem et quidquid ad salutem vel directè vel indirectè confert, proximo non secùs ac nobis optare tenemur lege charitatis. Non tenemur autem eadem media ad salutem optare proximo sicut et nobis, nisi omnia sint undequaque paria. Cùm enim aliud ab alio postulet Deus, et alia aliorum officia sint, habitâ ratione statûs et conditionis; certè non tenemur lege charitatis idem prorsùs, quod spectat ad media quæ conferunt ad salutem, unicuique optare. Id unum omnibus et singulis optare convenit et oportet et satis est, ut quemadmodùm nobis sic et cæteris omnibus, nemine excepto, largiatur Deus quidquid novit unicuique necesse esse ad salutem, cætera amoveat prorsùs.

I. Tenemurne vi præcepti charitatis, omnibus omninò hominibus, indiscriminatim, servatâ tamen uniuscujusque conditione, quærere et impendere quidquid nobis ipsis, eâdem lege servatâ, quærere tenemur ? Verbi gratiâ, omnibus necessitatem patientibus vel spiritualem, vel temporalem, eodem planè modo succurrere ?

R. Non ea est hominum conditio, ut omnibus omninò hominibus possint eâdem ratione succurrere. Dei solius providentia ad omnes et singulos se extendit. Pro virium et facultatum nostrarum mediocritate satis est, si constitutum et necessarium in his rebus charitatis ordinem servemus.

In eo autem positus est ordo charitatis, ut priùs succurramus iis, qui nobis sunt proximiores, ac deindè cæteris, quantùm vires humanæ suppetunt, servato semper, ut par est, ordine majoris minorisve proximitatis. Itaque priùs succurrendum parentibus, filiis, fratribus, aliisque cognatione vel affinitate conjunctis, quàm cæteris hominibus : priùs Christianis, quàm infidelibus : priùs Pastoribus et cæteris, qui parentum loco habentur, quàm Christianorum vulgo : priùs subditis, quàm extraneis, etc. (E)

Ille enim veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia est in illo, aut ut sit in illo. Hæc est vera dilectio : propter aliud si nos diligimus, odimus potiùs quàm diligimus.

(E) ORIGENES *Homil.* 3. *in Cant. cant.* Quod ergo ait (*Cant.* II, 4.) : *Ordinate in me charitatem*, hunc habet sensum. Omnes homines amant sine dubio aliquid ; et nullus est qui ad id ætatis venerit, ut amare jam possit, et non aliquid amet :.... Sed hic amor, vel hæc charitas in nonnullis quidem suo ordine et convenienter aptata procedit, in plurimis verò contra ordinem. Dicitur autem contra ordinem esse in aliquo charitas, cùm aut id diligit quod non debet, aut quod debet diligit, sed plus justo diligit aut minùs justo. In isto ergo inordinata esse charitas dicitur : in illis verò, quos valdè paucos arbitror esse, qui scilicet per viam vitæ incedunt, et non declinant neque ad dexteram, neque ad sinistram, in ipsis solis ordinata est charitas, et ordinem suum tenet. Est autem ordo ejus et mensura hujusmodi, verbi gratiâ, Deum diligere nullus modus, nulla mensura est, nisi hæc sola, ut ei totum exhibeas quantum habes. In Christo enim Jesu diligendus est Deus ex toto corde, et ex tota anima et ex totis viribus. In hoc ergo nulla mensura est. Diligere verò proxi-

mum est mensura aliqua. Proximum, inquit, tuum dilige sicut teipsum. Si ergo aut in Dei dilectione minùs aliquid feceris quàm potes, et quàm in viribus tuis est : aut inter te et proximum tuum non servaveris æquitatem, sed aliquid differentiæ habueris : non est in te charitas ordinata, nec ordinem suum tenens. Verùm quoniam nobis sermo de ordine charitatis est, diligentiùs per singula requiramus, vel quos diligi, vel quantùm diligi oporteat. Nam si, ut dicit Apostolus (*Rom.* XII. 5.), membra alterutrùm sumus, puto quod hunc affectum erga proximos habere debeamus, ut eos non quasi aliena corpora, sed veluti membra nostra diligamus. Secundùm hoc ergo quod membra nostra invicem sumus, æqualem erga omnes habere dilectionem simulemque conveniet. Secundùm hoc verò quod sunt in corpore aliqua membra honorabiliora et honestiora, alia verò inhonestiora, et inferiora, puto quod rursùm, pro membrorum meritis et honore, etiam dilectionis libràri debeat modus. Si quis ergo rationabiliter cuncta agere secundùm verbum Dei, ac suos etiam affectus temperare proponit, puto quod erga hæc singula ordinem charitatis et scire debeat et tenere.... Secundùm hæc etiam de patre, vel fratre, atque aliis propinquis observabimus. Erga Sanctos verò qui nos in Christo genuerunt, sed et Pastores, atque Episcopos, vel qui verbo Dei præsunt Presbyteros, aut qui benè ministrant in Ecclesia, vel qui in fide præcellunt cæteros, quomodo non pro uniuscujusque meritis affectio pensabitur charitatis longè eminentior quàm erga eos haberi potest, qui aut nihil horum, aut non integrè egerunt : sed et inter parentes fideles et infideles, et fratres fideles ac infideles, sororesque, potestne fieri ut non erga hos singulos diversus ordo habeatur charitatis ? Quas diversitates intuens sponsa, et videns de his omnibus animæ ad perfectionem tendenti necessariam videri scientiam earum rerum, ut uniuscujusque loci et ordinis mensuras possit tenere charitatis, dicit ad amicos sponsi, eos videlicet qui verbum Dei ministrant : *Ordinate in me charitatem*, hoc est, docete me, et tradite mihi quomodo per hæc singula ordinem servare debeam charitatis. Omnes enim homines (sicut jam diximus) secundùm hoc quòd similes nobis sunt, similiter diligendi sunt ; imò omnis rationabilis creatura à nobis utpote rationabilibus æqualiter diligenda est. Adjiciendum tamen in charitate est unicuique ad hoc quomodo est, et ad hoc quod rationabilis est : si verbi gratiâ, aut in moribus, aut in opere, aut in proposito, aut in scientia, aut in studiis cæteros præcellit : et pro his singulis, secundùm suum cuique meritum, ad generalem dilectionem addendum est etiam specialis aliquid charitatis.

S. Aug. *Serm.* 385. *de Amore hominis in hominem*, *aliàs* 38. *inter Homil.* 50. *cap.* 1. *n.* 1. Ipse perversè amat alterum, qui et se perversè amat ; qui autem rectè se amat, et alterum rectè amat....

N. 2. Incipit licitus amor à conjugio, sed adhuc carnalis est.... Secundus amor filiorum est, sed adhuc ipse carnalis est. Non enim et laudandus qui amat filios, sed detestandus qui non amat :.... Alius amor qui est propinquorum, jam iste videtur proprius hominum, si non sit consuetudinis. Nam major est amor qui extenditur ultra propinquos, quàm qui tenetur inter propinquos. Qui amat propinquos suos, adhuc sanguinem suum amat. Amet alios qui non sunt propinqui, suscipiat peregrinum : jam multùm dilatatus est amor iste. Tantum autem crescit ut à conjuge ad filios, à filiis ad propinquos, à propinquis ad extraneos, ab extrancis ad inimicos perveniat. Sed ut perveniat illuc, multos habet gradus.

Cap. 2. *n.* 3. De amicitia ergo videte quid dicam. Sunt amici, exceptâ amicitiâ, quæ nec amicitia dicenda est, quam facit mala conscientia... Exceptâ ergo istâ nefariâ amicitiâ, est quædam amicitia adhuc carnalis per consuetudinem cohabitandi, colloquendi, simul conservandi, ut contristetur homo, quando deseritur ab amico, cum quo solet colloqui, et habere conjunctiones. Conveniunt duo homines, ambulant secum triduò, et jam nolunt à se recedere. Et ista quædam amicitiæ dulcedo est : honesta quidem.... Est ergo ista amicitia consuetudinis, non rationis.... Est alia superior amicitia, non consuetudinis, sed rationis, quâ diligimus hominem propter fidem et mutuam benevolentiam in ista vita mortali. Hâc superius quidquid jam invenerimus, divinum est. Incipiat homo amare Deum, et non amabit in homine nisi Deum.

Cap. 3. *n.* 4. Videat enim charitas vestra primùm amicitiæ amor qualiter debeat esse gratuitus. Non enim propterea debes habere amicum, vel amare, ut aliquid tibi præstet. Si propterea illum amas ut præstet tibi vel pecuniam, vel aliquod commodum temporale; non illum amas, sed illud quod præstat. Amicus gratis amandus est propter sese, non propter aliud. Si hominem te hortatur amicitiæ regula, ut gratis diligas, quàm gratis amandus est Deus, qui jubet ut hominem diligas? Nihil delectabilius Deo. Nam in homine sunt quæ ostendant; per amicitiam tamen cogis te, ut etiam illa quæ offendunt in homine toleres propter amicitiam: si ergo non debes propter quædam toleranda dissolvere hominis amicitiam, Dei amicitia quibus rebus debet cogi, ut dissolvatur à te? Nihil invenis delectabilius Deo. Deus non est undè te offendat, si tu eum non offendas? Nihil illo pulchrius, nihil illo dulcius. Sed dicturus es mihi: Non illum video, quomodo sum amaturus quem non video? Ecce quomodo discis amare quem non vides: modò ostendo undè coneris videre quod istis oculis non potes videre. Ecce amas amicum, quid in illo amas? Gratis eum amas; sed fortè amicus iste tuus, ut alia omittam, senex homo est: fieri enim potest, ut habeas amicum senem. Quid amas in sene? Incurvum corpus, album caput, rugas in fronte, contractam maxillam? Si corpus quod vides, nihil deformius præ senectute: et tamen aliquid amas, et corpus quod vides non amas, quia deforme est. Undè vides quod amas? Si enim quæram à te, quare amas? Responsurus es mihi, Homo est fidelis. Ergo fidem amas. Si fidem amas; quibus oculis videtur fides, ipsis oculis videtur Deus. Incipe ergo amare Deum, et amabis hominem propter Deum.

Lib. 1. *de Doct. Christ. c.* 28. *n.* 29. Omnes æquè diligendi sunt: sed cùm omnibus prodesse non possis, his potissimùm consulendum est, qui pro locorum et temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictiùs tibi quasi quàdam sorte junguntur. Sicut enim si tibi abundaret aliquid, quod dari oporteret ei qui non haberet, nec duobus dari posset, si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentiâ, vel erga te aliquâ necessitudine superaret; nihil justius faceres quàm ut sorte legeres, cui dandum esset quod dari utrique non posset: sic in hominibus, quibus omnibus consulere nequeas, pro sorte habendum est, prout quisque tibi temporaliter colligatiùs adhærere potuerit.

De verâ Religione, cap. 47. *n.* 90.... Ita cùm diligat proximum tanquam seipsum, non invidet ei, quia nec sibi ipsi: præstat ei quod potest, quia et sibi ipsi: non eo indiget, quia nec seipso: tantùm Deo indiget, cui adhærendo bonus est. Nemo autem illi eripit Deum. Ille ergo verissimè atque certissimè invictus homo est, qui cohæret Deo, non ut ab eo aliquid boni extrà mereatur, sed cui nihil aliud, quàm ipsum hærere Deo, bonum est.

N. 91. Hic vir quandiù est in hac vitâ, utitur amico ad rependendam gratiam, utitur inimico ad patientiam, utitur quibus potest ad beneficentiam, utitur omnibus ad benevolentiam; et quanquam temporalia non diligat, ipse rectè utitur temporalibus, et pro eorum sorte hominibus consulit, si æqualiter non potest omnibus. Quare si aliquem familiarium suorum promptiùs quàm quemlibet alloquitur, non eum magis diligit, sed ad eum habet majorem fiduciam, et apertiorem temporis januam. Tractat enim tempori deditos tantò meliùs, quantò minùs ipse obligatus est tempori. Cùm itaque omnibus, quos pariter diligit, prodesse non possit, nisi conjunctioribus prodesse malit injustus est. Animi autem conjunctio major est, quàm locorum aut temporum, quibus in hoc corpore gignimur; sed ea maxima est, quæ omnibus prævalet. Non ergo iste affligitur morte cujusquam, quoniam qui toto animo Deum diligit, novit nec sibi perire quod Deo non perit.

N. 92. In omnibus autem officiosis laboribus futuræ quietis certâ exspectatione, non frangitur.... Quid enim ei nocebit, qui benè uti etiam inimico potest? Ejus enim præsidio et munimento inimicitias non pertimescit, cujus præcepto et dono diligit inimicos.... Homo qui prosperis rebus proficit, asperis quid profecerit, discit.

S. Bernard. *Serm.* 50. *in Cantica, n.* 3. Cùm dixisset Dominus (*Luc.* VI. 27.) *Diligite inimicos vestros*, mox de operibus infert, *benefacite his*,

qui oderunt vos.... Et hic de actu habes, non de affectu. Sed audi item Dominum etiam de sui dilectione mandantem : *Si diligitis me*, inquit (*Joan.* XIV. 23.), *sermones meos servate.* Atque hic quoque ad opera mittimur per injunctam observantiam mandatorum. Supervacuè autem de opere monuisset, si in affectione jam fuisset dilectio. Sic te ergo necesse est et illud accipere, quod juberis diligere proximum tuum sicut teipsum, etsi non ita apertè expressum sit. An non denique satis tibi esse judices ad implendum istud de proximi dilectione mandatum, si id perfectè observes, in quo omni homini rectè de lege naturæ præscribitur (*Matth.* VII. 12.) : *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris* ? Et item illud : *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.*

N. 4. Neque hoc dico, ut sine affectione simus, et corde arido solas moveamus manus ad opera. Legi inter alia, quæ scribit Apostolus, magna et gravia hominum mala, hoc quoque adnumeratum (*Rom.* I. 31.) *Sine affectione* scilicet esse. Sed est affectio, quam caro gignit ; et est quam ratio regit, et est quam condit sapientia. Prima est, quam Apostolus legi Dei dicit non esse subjectam, nec esse posse : secunda, quam perhibet è regione consentientem legi Dei, quoniam bona est : nec dubium distare inter se contentiosam, et consentaneam. Longè verò tertia ab utraque distat, quæ et gustat et sapit quoniam suavis est Dominus, primam eliminans, secundam remunerans... Igitur per secundam opera fiunt, et in ipsa charitas sedet, non illa affectualis, quæ sale sapientiæ condita pinguescens, magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini : sed quædam potiùs actualis, quæ et si nondùm dulci illo amore suaviter reficit, amore tamen amoris ipsius vehementer accendit. (1. *Joan.* III. 18.) *Non diligamus*, ait, *verbo, neque linguâ, sed opere et veritate.*

N. 5. In benè affectâ mente non dubium quin dilectioni hominis, Dei dilectio præponatur, et in hominibus ipsis perfectiores infirmioribus, cœlum terræ, æternitas tempori, animi carni. Attamen in benè ordinata actione sæpè, aut etiam semper, ordo oppositus invenitur. Nam et circa proximi curam et plus urgemur, et pluries occupamur ; et infirmioribus fratribus diligentiori sedulitate assistimus ; et paci terræ magis, quàm cœli gloriæ jure humanitatis et ipsâ necessitate intendimus ; et temporalium inquietudine curarum vix aliquid sentire de æternis permittimur ; et languoribus nostri corporis, postpositâ animæ curâ, penè continuè inservimus.... Orantem denique hominem cum Deo loqui quis dubitet ? Quoties tamen indè, charitate jubente, abducimur et avellimur propter eos, qui nostrâ indigent operâ vel loquelâ ? Quoties piè cedit negotiorum tumultibus pia quies ? Quoties bonâ conscientiâ ponitur codex, ut operi manuum insudetur ? Quoties pro administrandis terrenis, justissimè ipsis supersedemus celebrandis Missarum solemniis ? Ordo præposterus : sed necessitas non habet legem.

N. 6. At non ita affectualis : nam à primis ipsa ducit ordinem. Est enim sapientia, per quam utique quæque res sapiunt prout sunt.... Nam vera in hoc est charitas, ut qui indigent ampliùs, accipiant priùs : et rursùs in eo cara apparet veritas, si ordinem tenemus affectu, quem illa ratione. Tu ergo si diligas Dominum Deum tuum toto corde, totâ animâ, totâ virtute tuâ,.... sapit tibi profectò Deus, etsi non dignè omninò prout est,.... certè prout tuum sapere est. Deindè sapies ipse tibi prout es, cùm te senseris nihil habere prorsùs, undè te ames, nisi quantum Dei es.... Cùm nihil dignum te esse invenies, quod vel à teipso ametur, nisi propter ipsum, sine quo ipse es nihil.

N. 7. Jam verò proximùs, quem verè te oportet diligere tanquam teipsum, ut tibi et ipse sapiat prout est, haud aliud profectò sapiet tibi, quàm tu tibi. qui hoc est quod tu : est enim homo. Qui itaque te non diligis, nisi quia diligis Deum ; consequenter omnes qui similiter diligunt eum, diligis tanquam teipsum. Porrò inimicum hominem.... diliges ut diligat (Deum).... Illo igitur excepto (de quo constat quod ad amorem Dei non sit deinceps rediturus) qui non modò jam non diligendus, insuper et odio habendus est,.... de cætero nulli vel inimicissimo homini negari quantulumcunque affectum charitas sanè in hac parte ambitiosa permittit. Quis sapiens, et intelliget hæc ?

N. 8. Da mihi hominem, qui ante omnia quidem ex toto se diligat

I. Quænam est nota, quodnam indicium, signumve dilectionis proximi?

R. His maximè indiciis cognosci potest, num reverà proximum diligamus.

1. Si nullum ipsi malum vel optemus, vel faciamus, vel quæramus; imò si optemus ipsi omne genus boni, habitâ ratione conditionis ipsius et officiorum; si in omnibus adjuvemus eum pro viribus, servato ordine charitatis.

2. Si, juxta præceptum Apostoli, alter alterius onera portemus; si proximi vitia et infirmitates feramus patienter; et benignè, quantum fieri, potest, accipiamus.

3. Uno verbo, si in omnibus faciamus alteri, quod nobis fieri vicissim et æquum est et volumus. (F)

Deum; se verò et proximum, in quantum diligunt ipsum; inimicum autem, tanquam aliquando forsitan dilecturum; porrò parentes carnis suæ germaniùs propter naturam, spirituales verò eruditores suos profusiùs propter gratiam; atque in hunc modum ad cætera quæque Dei ordinato intendat amore, despicions terram, suscipiens cœlum, utens hoc mundo tanquam non utens, et inter utenda et fruenda intimo quodam mentis sapore discernens, ut transitoria transitoriè, et ad id duntaxat quod opus, et prout opus est, curet, æterna desiderio amplectatur æterno: talem, inquam, da mihi hominem, et ego audacter illum sapientem pronuntio, cui nimirum quæque res reverà sapiunt prout sunt, et cui in veritate atque securitate competit gloriari et dicere, quia *ordinavit in me charitatem.*

Lib. de Amore Dei, n. 33. Est enim lex charitatis, et est necessitas charitatis. Lex charitatis præcipit actum charitatis Dei præponere actui animæ, et actum animæ actui corporis. Necessitas charitatis sæpè omnia his contraria. Indè est quòd multi dicunt, pauci intelligunt: Necessitas non habet legem. Procedit ordo et regula charitatis, quæ præcipit suum corpus et alterius minùs diligere quàm et alterius animam: suam verò animam et alterius plus diligere quàm suum corpus vel alterius: suam animam non plus quàm alterius, sed alterius sicut suam. Hæc quantùm ad affectum charitatis. Cæterùm actus ipsius charitatis sæpè aliter ordinatur: præponitur enim sæpè, ut dictum est, in actu corpus animæ, anima Deo. Quòd si fratri tuo ejusdem meriti et utilitatis tecum in eadem necessitate posito, priùs subvenias, abundas charitate; si tibi, non peccas. Nam in eo quod dicitur *sicut te*, primatus tibi conceditur: si autem disparis meriti fueris, meliori est subveniendum. Et cùm omnes æqualiter diligere debeamus, non tamen sine causa familiares orationes facimus: non quòd omnibus prodesse nolimus, sed quia illis maximè prodesse credimus orationes nostras qui nobis se committunt, vel quia magis corda nostra excitantur. Itaque hoc ordine sponsus in me ordinavit charitatem.

(F) S. Aug. *L.* 83. *Quæst. q.* 71. *n.* 1. (*Galat.* vi. 2.) *Invicem onera portate, et sic adimpletis legem Christi.* Hanc Christi legem dicere intelligitur, quâ ipse Dominus præcepit (*Joan.* xiii. 34.) ut nos invicem diligamus, tantum in ea sententia præcepti pondus constituens, ut diceret (*Ibid.* 35.), In hoc cognoscetur quoniam discipuli mei estis, si vos invicem diligatis. Hujus autem dilectionis officium est, invicem onera nostra portare... nihil enim sic probat amicum, quemadmodùm oneris amici portatio.

N. 4. Considerare debemus, quod ægritudinem sive animi, sive corporis, quam in alio homine vi lemus, etiam nos habere potuimus, aut possumus. Hoc ergo exhibeamus illi, cujus infirmitatem portare volumus, quod ab illo nobis vellemus exhiberi, si fortè nos in ea essemus, et ipse non esset. Ad hoc pertinet quod ipse Apostolus ait (1. *Cor.* ix. 22.): Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem.

N. 6. Nullius itaque repudianda est amicitia sese ingerentis ad amicitiam

I. Quibusnam potissimùm operibus exerceri in proximum charitas potest?

R. Exercetur charitas in proximum operibus misericordiæ, quæ vel spiritalia vel corporalia sunt.

I. Quænam sunt opera spiritualia misericordiæ?

R. 1. Ignaros et rudes docere quæ ad religionem pertinent.
2. Peccantes corrigere, arguere.
3. Dare consilium indigentibus consilio.
4. Consolari afflictos.
5. Injurias acceptas, et vitia proximorum patienter ferre.
6. Offensiones libenter condonare et remittere.
7. Orare pro vivis et mortuis et persequentibus nos.

I. Quænam sunt opera corporalia misericordiæ?

R. 1. Præbere cibum esurientibus et potum sitientibus.
2. Suscipere peregrinos in hospitium.
3. Nudos vestire.
4. Ægrotos invisere.
5. In carcere positos adire et consolari.
6. Captivos redimere.
7. Mortuos sepelire.

(Sequentibus Paragraphis explicabimus, si quæ sunt in illis operibus tam spiritualibus quàm corporalibus misericordiæ, quæ vulgo ignorentur à Christianis: cætera non indigent uberiori tractatione.)

§. 4. De Eleemosynâ.

I. Quid intelligitur eleemosynæ nomine?

R. Eo generali nomine intelligitur quidquid erga proximum potest exerceri charitatis. Itaque eleemosyna vel spiritualis est, vel corporalis: spiritualis quidem, si exerceantur opera spiritualia misericordiæ; corporalis autem, si corporalia. (A)

copulandam; non ut statim recipiatur, sed ut recipiendus optetur, atque ita tractetur, ut recipi possit. Illum enim receptum in amicitiam possumus dicere, cui omnia consilia nostra refundere audeamus. Et si quisquam est qui se non audet ingerere ad amicitiam faciendam, cùm aliquo nostro temporali honore aut dignitate revocetur; descendendum est ad eum, et offerendum illi quadam comitate et submissione animi, quod petere per se ipse non audet. Sanè quamvis rariùs, tamen aliquoties accidit, ut ejus quem volumus in amicitiam recipere, potiùs nobis innotescant mala quàm bona, quibus offensi et quodammodo repercussi relinquimus eum, et ad bonorum ejus, quæ fortè occultiora sunt, indagationem non pervenimus. Admonet itaque Dominus Jesus Christus, qui nos vult effici imitatores suos, ut ejus infirma toleremus, ut ad quædam sana, in quorum delectatione acquiescamus, per charitatis tolerantiam perducamur.

N. 7. Ipsa est ergo lex Christi, ut invicem onera nostra portemus. Christum autem diligendo, facilè sustinemus infirmitatem alterius, etiam quem nondùm propter bona sua diligimus. Cogitamus enim quia ille, quem diligimus, Dominus propter eum mortuus est.

(A) S. Aug. *Enrichid. ad Laurentium*, *c.* 72. *n.* 19. (*Luc.* xi. 41.) *Date eleemosynam: et ecce omnia munda sunt vobis.* Non solùm ergo qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægroto vel incluso visitationem, captivo

I. Quantæ necessitatis est eleemosyna ?

R. Summæ necessitatis. Ab ea eroganda nemo eximitur, si facultas erogandi suppetat. (B)

redemptionem, debili subvectionem, cæco deductionem, non sano medelam, erranti viam, deliberanti consilium, et quod cuique necessarium est indigenti ; verùm etiam qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat, et qui emendat verbere in quem potestas datur, vel coercet aliquâ disciplinâ, et tamen peccatum ejus, quo ab illo læsus, aut offensus est, dimittit ex corde, vel orat ut ei dimittatur, non solùm in eo quòd dimittit atque orat, verùm etiam in eo quòd corripit, et aliquà emendatoriâ pœnâ plectit, eleemosynam dat ; quia misericordiam præstat. Multa enim bona præstantur invitis, quando eorum consulitur utilitati, non voluntati.. Multa itaque sunt genera eleemosynarum, quæ cùm facimus, adjuvamur ut dimittantur nostra peccata.

Cap. 73. Sed eâ nihil est majus, quâ ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccavit. Minùs enim magnum est erga eum esse benevolum, sive etiam beneficum, qui tibi mali nihil fecerit : illud multò grandius et magnificentissimæ bonitatis est, ut tuum quoque inimicum diligas, et ei qui tibi malum vult, et si potest facit, tu bonumsem per velis faciasque cùm possis, audiens dicentem Deum : (*Matth.* v. 44.) *Diligite inimicos vestros, benefacite eis qui vos oderunt, et orate pro eis qui vos persequuntur.*

Cap. 75. *n.* 20. Sanè qui sceleratissimè vivunt, nec curant talem vitam moresque corrigere, et inter ipsa facinora et flagitia sua eleemosynas frequentare non cessant, frustrà ideò sibi blandiuntur quoniam Dominus ait, (*Luc.* XI. 41.) *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* Qui vult ordinatè dare eleemosynam, à seipso debet incipere, et eam sibi primùm dare. Est enim eleemosyna opus misericordiæ, verissimèque dictum est : (*Eccli.* XXX. 24.) *Miserere animæ tuæ placens Deo...* Hæc est prima eleemosyna quam nobis dedimus, quoniam nos ipsos miseros per miserantis Dei misericordiam requisivimus, justum judicium ejus confitentes, quo miseri effecti sumus..., (*Luc.* XI. 42.) *Hæc oportuit facere,* id est, judicium et charitatem Dei, *et illa non omittere,* id est, eleemosynas fructuum terrenorum.

Cap. 77. Non ergo se fallant, qui per eleemosynas quasque largissimas fructuum suorum, vel cujuscunque pecuniæ, impunitatem se emere existimant in facinorum immanitate, ac flagitiorum nequitiâ permanendi... Qui odit animam suam, non est in eam misericors, sed crudelis. Diligendo eam quippe secundùm seculum, odit eam secundùm Deum. Si ergo vellet ei dare eleemosynam, per quam illi essent munda omnia, odisset eam secundùm seculum, et diligeret secundùm Deum.

In Psal. CII. *n.* 14. Ergo, fratres, exercete misericordiam. Non est aliud vinculum charitatis, non est aliud vehiculum, quo perducamur ex hâc vitâ ad illam patriam. Extendite dilectionem usque ad inimicos : qui fortè pertinent ad gubernationem tuam, vindica, coërce cum dilectione, cum charitate, attendens salutem æternam ; ne cùm parcis carni, anima pereat.

(B) PROV. XIV. 21. Qui miseretur pauperis, beatus erit.

XXI. 13. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur.

ECCLI. IV. 1. Fili eleemosynam pauperis ne defraudes, et oculos tuos ne transvertas à paupere. 2. Animam esurientem ne despexeris : et non exasperes pauperem in inopiâ suâ. 3. Cor inopis ne afflixeris, et non protrahas datum angustianti. 4. Rogationem contribulati ne abjicias : et non avertas faciem tuam ab egeno. 5. Ab inope ne avertas oculos tuos propter iram, et non relinquas quærentibus tibi retro maledicere : 6. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius : exaudiet autem eum, qui fecit illum. 7. Congregationi pauperum affabilem te facito... 8. Declina pauperi sine tristitiâ aurem tuam, et redde debitum tuum, et responde illi pacifica in mansuetudine.

TOBIÆ IV. 7. Ex substantiâ tuâ fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere ; ita enim fiet ut nec à te avertatur facies

I. Undè tanta necessitas ?

R. 1. Ex præcepto charitatis. (1. *Joan.* III. 14.) *Qui enim non diligit* proximum *manet in morte :* 17. *qui* autem *habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo : quomodo charitas Dei manet in eo?* 18. *Non verbo neque linguâ sed, opere et veritate* diligendus est proximus.

2. Ex oraculo Christi præcipientis et minas intentantis. (*Matth.* XXV. 41.) *Discedite*, inquiet olim reprobis, *à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo et Angelis ejus.* 42. *Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare ; sitivi, et non dedistis mihi potum :* 43. *Hospes eram, et non collegistis me ; nudus, et non cooperuistis me ; infirmus, et in carcere, et non visitastis me....* 45.... *Amen dico vobis : quandiù non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.* 46. *Et ibunt hi in supplicium æternum.* Si quis hoc oraculo, ne dicam fulmine, Christi non terreatur, et ad exercendam erga pauperes misericordiam non flectatur, eum et corde induratum et penè reprobum non immeritò dixeris.

Domini. 8. Quomodo potueris, ita esto misericors. 9. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue : si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. 10. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. 11. Quoniam eleemosyna ab omni peccato et à morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. 12. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.

JACOB. II. 13. Judicium sine misericordiâ, illi qui non fecit misericordiam : superexaltat autem misericordia judicium... 15. Si autem frater et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano, 16. dicat autem aliquis ex vobis illis : Ite in pace, calefacimini et saturamini : non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit ?

S. AUG. *Enarrat. in Psal.* LXXV. *n.* 9. Transit vita ista, et nihil inveniunt in manibus suis (divites,) quia nihil posuerunt in manu Christi. Vis aliquid invenire in manibus tuis posteà ? Noli contemnere modò manum pauperis ; et respice manus inanes, si vis habere manus plenas. Dixit enim Dominus : (*Matth.* XXV. 35. *et seq.*) Esurivi, et dedistis mihi manducare ; sitivi, et dedistis mihi potum ; hospes fui, et adduxistis me, et cætera. Et illi, Quando te vidimus esurientem sitientem, aut hospitem ? Et ille dicit illis : Quando uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Esurire in pauperibus voluit, qui dives in cœlo est ; et tu dubitas homo dare homini, cùm scias te Christo dare quod das, à quo accepisti quidquid das.

In Psal. CXLVII. *n.* 13. Da egenti fratri. Cui fratri ? Christo. Si ergo quia fratri Christo, et quia Christo Deo... Deus egere à te voluit, et tu manus retrahis ? Certè tu porrigis manum et petis à Deo : audi Scripturam, (*Eccli.* IV. 36.) *Non sit manus tua porrecta ad accipiendum, et ad dandum collecta.* Erogari sibi vult Deus, ex illo quod dedit. Quid enim das, quod ille non dedit ? Quid enim habes, quod non accepisti ? Aut verò, non dico, Deo, sed cuilibet de tuo das aliquid ? De illius das, qui jubet ut des. Prærogator esto, non invasor.

Serm. in Psal. CXVIII. *n.* 12. De ista mammona iniquitatis, de divitiis istis quas iniqui vocant divitias, fac tibi amicos, et prudens eris : comparas tibi, non fraudaris. Modò enim videris perdere. Nunquid perdes in thesaurario ponens ?... Ponis tu in manu Christi et times ? Esto prudens, et prospice tibi in posterum in cœlo. Esto ergo prudens, imitare formicam sicut dicit Scriptura ; reconde æstate, ne esurias in hyeme : hyems est dies novissimus, dies tribulationis : hyems est dies scandalorum et amaritudinis : collige quod tibi sit (*fortè* prosit) in posterum ; si autem non facis, simul imprudens et insipiens peribis.

I. Estne eleemosyna utilis ?

R. Utilior est danti quàm accipienti. Leve et transitorium est quod das pauperi munus ; æternum est quod accipis à Deo præmium. (C)

I. Quænam sunt præcipuè utilitates eleemosynæ ?

R. Eleemosyna 1. A peccato et à morte liberat. (D) 2. Red-

(C) S. Aug. *Enarrat. in Psal.* cii. *n.* 12. Quam misericordiam facturus es justo ? In necessitatibus tantùm corporalibus : quibus si defuerint supplementa à te, non deerunt à Deo. Quod ergo facis, tibi plus prodest. Das mendico transeunti et petenti : quæris et justum cui des, per quem recipiaris in tabernacula æterna ; quia, (*Matth.* x. 4.) *qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.* Mendicus te quærit, justum tu quære. De alio enim dictum : (*Luc.* vi. 30.) *Omni petenti te, da :* et de alio dictum est : Desudet eleemosyna in manu tua, donec invenias justum, cui eam tradas. Et si diù non invenitur ; diù quære, invenies. Sed quid præstabis ? Nonne plus tibi præstabis ?... Non ergo deest undè Deus det suis : tu vide quid emas, quando emas, quanti emas. Emis enim regnum cœlorum : et non est emendi tempus, nisi in hac vita. Et quàm vili emas, attende. Tanti tibi valet, quantùm habere potueris.

Serm. 123. *aliàs* 41. *de verbis Domini, cap.* 5. *n.* 5. Quantumvis habeas quicunque dives es, Dei mendicus es..., Et tamen Christus dicit tibi : Da mihi ex eo quod dedi tibi. Quid enim attulisti, quando hùc venisti ?.... Nihil attulisti, nihil hinc tolles. De meo mihi quare non donas ?... De meo quæro : da, et reddo. Habuisti me largitorem, fac citò debitorem... Habeam te feneratorem. Pauca mihi da, plura reddam. Terrena mihi das, cœlestia reddam. Temporalia das, æterna restituam.

Serm. 239. *aliàs* 146. *de temp. in dieb. Paschal.* 10. *n.* 5. Fenerator esto, eroga quod recipias. Noli timere ne te feneratorem judicet Deus. Prorsùs, prorsùs esto fenerator.... Ecce mihi da, dicit tibi Deus : ego accipio minùs, et do plus. Quid ? Centuplicia, et vitam æternam.

Serm. 3. *in Psal.* xxxvi. Fenera Deo... Da modica, accipe magna, vide quàm latè crescat fenus tuum. Da temporalia, accipe æterna ; da terram, accipe cœlum.

S. Ambros. *de Nabuthe, cap.* 12. *n.* 53. Tibi proficit quidquid inopi conferis : tibi crescit quidquid minueris : te illo quem pauperis dederis cibo pascis : quoniam qui miseretur pauperi ipse pascitur, et fructus jam in his est. Misericordia seminatur in terra, in cœlo germinat : plantatur in paupere, apud Deum pullulat. (*Prov.* iii. 28.) *Ne dixeris*, inquit Deus, *cras dabo.* Qui non patitur te dicere, Cras dabo, quomodo patitur dicere : Non dabo ? non de tuo largiris pauperi, sed de suo reddis. Quod enim commune est, in omnium usum datum, tu solus usurpas. Omnium est terra, non divitum : sed pauciores qui non utuntur suo, quàm qui utuntur. Debitum igitur reddis, non largiris indebitum. Idcoque tibi dicit Scriptura : (*Eccli.* iv. 8.) *Declina pauperi animam tuam, et redde debitum tuum, et responde pacifica in mansuetudine.*

Cap. 14. *n.* 58. Custos ergo es tuarum, non dominus facultatum, qui aurum terræ infodis ; minister utique ejus, non arbiter... Vende aurum, et eme salutem : vende lapidem, et eme regnum Dei : vende agrum, et redime tibi vitam æternam. Vera allego, quia verbo adstruo veritatis. (*Matth.* xix. 21.) *Si vis perfectus esse*, inquit, *omnia quæcunque habes vende ; et da pauperibus ; et habebis thesaurum in cœlo...* Cùm hæc legis, considera... quia peteris parva pro magnis, caduca pro æternis, thesauros pecuniæ pro thesauris gratiæ.

N. 59. Vide autem quos tibi det gratia debitores... Facit tibi debitorem Patrem Deum, qui pro munere, quo pauper adjutus est, fenus exsolvit, quasi boni debitor creditoris.... Facit tibi debitorem Filium Dei, qui ait : (*Matth.* xxv. 35.) Esurivi et dedistis mihi manducare, etc. Quod enim unicuique minimorum collatum fuerit, sibi dicit esse collatum.

(D) Eccli. iii. 33. Ignem ardentem exstinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis : 34. et Deus prospector est ejus qui reddit gratiam : meminit ejus in posterum, et in tempore casûs sui inveniet firmamentum.

dit Deum propitium. (E) 3. Justitiæ divinæ satisfacit. (F) 4. Fiducia magna coram Deo in tempore orationis et tribulationis eleemosyna facientibus eam. (G)

TOBIÆ IV. 11. *Vide suprà litt.* (B) *hocce* §.

XII. 8. Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna magis quàm thesauros auri recondere : 9. Quoniam eleemosyna à morte liberat, et ipsa est, quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam.

LUC. XI. 41. Verumtamen quod superest, date eleemosynam : et ecce omnia munda sunt vobis.

S. AUG. *Epist.* 157. *aliàs* 89. *ad Hilarium*, *cap.* 1. *n.* 3. Qui illa peccata, sine quibus non hic vivitur, mundare operibus misericordiæ.. non negligerit, merebitur hinc exire sine peccato... Quisquis autem... dederit se libidinibus et criminibus nefariis obligaverit, atque in his criminosis conscleratisque moribus usque in diem suum ultimum perduraverit, quaslibet inter hæc eleemosynas faciat, et infeliciter ducit vitam, et infeliciùs finit.

(E) PSAL. XL. 2. Beatus qui intelligit super egenum, et pauperem : in die malà liberabit eum Dominus. 3. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terrà : et non tradat eum in animam inimicorum ejus. 4. Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus.

(F) DANIEL IV. 24. Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum. Forsitan ignoscet delictis tuis.

(G) TOBIÆ IV. 12. *Vide suprà litt.* (B) *hujusce* §.

ISAIÆ LVIII. 7. Frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam : cùm videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris. 8. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citiùs orietur, et anteibit faciem tuam justitia tua, et gloria Domini colliget te. 9. Tunc invocabis, et Dominus exaudiet : clamabis, et dicet : Ecce adsum... 10. Cùm effuderis esurienti animam tuam, et animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, et tenebræ tuæ erunt sicut meridies. 11. Et requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus animam tuam, et ossa tua liberabit, et eris quasi hortus irriguus, et sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ.

S. CYPRIANUS. *De opere et eleemosynis*... Sordes quascunque contrahimus, eleemosynis abluamus. Loquitur in Scripturis divinis Spiritus sanctus et dicit : (*Tob.* IV. 11.) Eleemosynis et fide peccata purgantur..... Item denuò dicit : (*Eccli.* III. 33.) Sicut aqua exstinguit ignem, sic eleemosyna exstinguit peccatum... quia sicut lavacro aquæ salutaris gehennæ ignis exstinguitur, ita eleemosynis atque operibus justis delictorum flamma sopitur... Hoc et in Evangelio Dominus docet : (*Luc.* XI. 41.)... *Date eleemosynam, et ecce vobis munda omnia*... Misericors docet ac monet, misericordiam fieri : et quia servare quærit, quos magno pretio redimit, post baptismi gratiam sordidatos, docet denuò posse purgari. Nunquam et tacuit, quominùs in Scripturis sanctis tam veteribus, quàm novis, semper et ubiquè ad misericordiæ opera Dei populus provocaretur ; et cauente atque exhortante Spiritu sancto, quisquis ad spem regni cœlestis instruitur, facere eleemosynas jubetur... Remedia propitiando Deo, ipsius Dei verbis data sunt : quid deberent facere peccantes, magisteria divina docuerunt ; operationibus justis Deo satisfieri, misericordiæ meritis peccata purgari : Et apud Salomonem legimus : (*Eccli.* XXIX. 15.) *Conclude eleemosynam in corde pauperis*, *et hæc pro te exorabit ab omni malo*... Neque enim promereri misericordiam Domini poterit, qui misericors ipse non fuerit ; aut impetrabit de divinà pietate aliquid in precibus, qui ad precem pauperis non fuerit humanus... Raphael quoque Angelus paria testatur, et ut eleemosyna libenter ac largiter fiat, hortatur dicens : (*Tob.* XII.) 8. Bona est oratio cum jejunio, et eleemosyna : quia eleemosyna à morte liberat, et ipsa purgat peccata. Ostendit orationes nostras ac jejunia minùs posse, nisi eleemosynis adjuventur. Deprecationes solas parum ad impetrandum valere, nisi factorum et operum accessione farciantur. Revelat Angelus et manifestat, et firmat eleemosynis petitiones nostras efficaces fieri eleemosynis vitam de periculis redimi, eleemosynis à

morte animas liberari... Sed vereris et metuis, ne... patrimonio tuo largâ operatione finito, ad penuriam fortè redigaris : Esto in hac parte intrepidus, esto securus. Finiri non potest undè in usus Christi impenditur, undè opus cœleste celebratur. Nec hoc tibi de meo spondeo, sed de sanctarum Scripturarum fide, et divinæ pollicitationis auctoritate promitto. Loquitur per Salomonem Spiritus sanctus, et dicit : (*Prov.* XXVIII. 27.) Qui dat pauperibus nunquam egebit. Qui autem avertit oculum suum, in magnâ penuriâ erit.... Item beatus Apostolus Paulus... (2. *Cor.* IX. 12) Administratio hujus officii non tantùm supplebit ea quæ sanctis desunt, sed et abundabit per multam gratiarum actionem in Deum. Quia dùm gratiarum actio ad Deum, pro eleemosynis atque operationibus nostris, pauperum oratione dirigitur, census operantis Dei retributione cumulatur... Metuis ne patrimonium tuum fortè deficiat, si operari ex eo largiter cœperis,... cùm scriptum sit : (*Prov.* X. 3.) Non occidet fame Dominus animam justam. Helias in solitudine corvis ministrantibus pascitur (3. *Reg.* XVII. 6.) : et Danieli in lacu ad leonum prædam jussu regis incluso, prandium divinitùs apparatur (*Dan.* XIV. 33.) : et tu metuis ne operanti tibi et Dominum promerenti desit alimentum ?... Pecuniæ tuæ captivus et servus es. Catenis cupiditatis et vinculis alligatus es. Servas pecuniam quæ te servata non servat : patrimonium cumulas, quod te pondere suo gravius onerat... (*Luc.* XII. 20.) Stulte hâc nocte expostulatur anima tua à te ; quæ ergo parasti, cujus erunt ? Quid divitiis tuis solus incubas ? Quid in pœnam tuam patrimonii tui pondus exageras ; ut quo locupletior seculo fueris, pauperior Deo fias ? Redditus tuos divide cum Domino Deo tuo : fructus tuos partire cum Christo : fac tibi possessionum terrestrium Deum participem, ut et ille te sibi faciat regnorum cœlestium cohæredem.... Sed nec.... à bonis operibus et justis refrenet et revocet Christianum, quòd excusari se posse aliquis existimet beneficio filiorum... Quod et Joannes in Epistola sua ponit... (1. *Joan.* III. 17.) Qui habuerit substantiam mundi, et viderit fratrem suum desiderantem, et clauserit viscera sua ab eo, quomodò charitas Dei manet in illo ? Si enim Deus eleemosynis pauperum feneratur, et cùm datur minimis, Christo datur : non est quod quis terrena cœlestibus præferat, nec divinis humana præponat. Sic vidua illa in tertio Regum libro (*cap.* XVII.) cùm in siccitate et fame consumptis omnibus, de modico farre et oleo quod superfuerat, fecisset subcinericium panem, quo assumpto moritura cum liberis esset ; supervenit Helias, et petiit sibi priùs ad edendum dari ; tunc quod superfuisset, indè illam cum filiis suis vesci, nec obtemperare illa dubitavit, aut Heliæ filios mater in fame et egestate præposuit. Fit imò in conspectu Dei, quod Deo placeat ; promptè ac libenter quod petebatur, offertur : nec de abundantiâ portio, sed de modico totum datur, et esurientibus liberis alter priùs pascitur, neque in penuriâ et fame cibus antequam misericordia cogitatur..... Helias itaque.... respondit et dixit... Fidelia farris non deficiet, et capsaces olei non minuetur usque in diem, quo dabit Dominus imbrem super terram. Secundùm divinæ pollicitationis fidem multiplicata sunt viduæ et cumulata quæ præstitit ; et operibus justis, ac misericordiæ meritis, augmenta et incrementa sumentibus, farris et olei vasa completa sunt. Nec filiis abstulit mater quod Heliæ dedit, sed magis contulit filiis, quod benignè et piè fecit... Sed enim multi sunt in domo liberi, et retardat te numerositas filiorum, quo minùs largiter bonis operibus insistas : atquin hoc ipso operari ampliùs debes quo multorum pignorum pater es. Plures sunt pro quibus Dominum depreceris : multorum delicta redimenda sunt, multorumque purgandæ conscientiæ, multorum animæ liberandæ. Ut in hac vitâ seculari alendis sustinendisque pignoribus quò major est numerus, hoc major et sumptus est : ita et in vita spiritali atque cœlesti, quò amplior fuerit pignorum copia, esse et operum debet major impensa. Sic et Job sacrificia numerosa pro liberis offerebat : quantusque erat in domo pignorum numerus, tantus dabatur Deo et numerus hostiarum.... Si ergo verè filios tuos diligis, si eis exhibes plenam et paternam dilectionem charitatis : operari magis debes, ut filios tuos Deo, justâ operatione, commendes. Nec eum liberis tuis cogites patrem, qui et temporarius et infirmus est ; sed illum patrem pares, qui Æternus et firmus filiorum spiritualium pater est. Illi

I. Quid dandum ut satisfiat præcepto eleemosynæ ?
R. Quidquid, dempto necessario, superfluit. (H)

assigna facultates tuas, quas hæredibus servas : ille sit liberis tuis tutor, ille curator, ille contra omnes injurias seculares divinâ majestate protector. Patrimonium Deo creditum, nec respublica eripit, nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis everlit. In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode servatur. Hoc est caris pignoribus in posterum providere : hoc est futuris hæredibus paternâ pietate consulere... Prævaricator itaque et proditor pater es, nisi filiis tuis fideliter consulas, nisi conservandis eis religiosâ et verâ pietate prospicias. Qui studes terreno magis quàm cœlesti patrimonio, filios tuos diabolo magis commendare quàm Christo, bis delinquis, et geminum ac duplex crimen admittis : et quòd non præparas filiis tuis Dei patris auxilium, et quòd doces filios patrimonium plus amare quàm Christum.

S. Aug. *Serm.* 39. *aliàs* 13. *ex Homil.* 50. *c.* 3. *n.* 6. Mitte sursùm quod invenisti, et non perditurus es. Da Christo : Christus enim hîc voluit accipere. Da Christo, et non perdis.., Egere hîc voluit Christus, sed propter nos.... Quando ergo Deus.... facit pauperes, probat divites.... Quis fecit illos ambos ? Dominus, divitem, undè pauperem adjuvaret ; pauperem, undè divitem probaret. Pro viribus suis quisque faciat : non sic faciat, ut ipse patiatur angustias. Non hoc dicimus. Superflua tua necessaria sunt alii. Audistis modò, cùm Evangelium legeretur, (*Matth.* x. 42.) Quicunque dederit calicem aquæ frigidæ uni ex minimis meis propter me, non perdet mercedem suam. Regnum cœlorum venale proposuit, et pretium ejus calicem aquæ frigidæ esse voluit. Eleemosynæ illis prosunt qui vitam mutaverunt. Das enim Christo egenti, ut peccata tua redimas præterita. Nam si ideò das, ut liceat tibi semper impunè peccare, non Christum pascis, sed judicem corrumpere conaris. Ergo ad hoc facite eleemosynas, ut vestræ orationes exaudiantur, et adjuvet vos Deus ad vitam in melius commutandam.... ut per eleemosynas et orationes deleantur mala vestra præterita, et futura bona veniant sempiterna.

Serm. 61. *aliàs* 5. *de verbis Domini*, *c.* 7. *n.* 8. Mendici Dei sumus : ut agnoscat ille mendicos suos, agnoscamus et nos nostros. Sed et ibi etiam cogitemus, quando petitur à nobis, qui petunt, à quibus petunt, quid petunt. Qui petunt ? Homines. A quibus petunt ? Ab hominibus. Qui petunt ? Mortales. A quibus petunt ? A mortalibus. Qui petunt ? Fragiles. A quibus petunt ? A fragilibus. Qui petunt ? Miseri. A quibus petunt ? A miseris. Quam frontem habes petendo ad Dominum tuum, qui non agnoscis parem tuum ?

N. 10. *Cap.* 9. (1. *Tim.* vi. 9.) Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et desideria multa et noxia, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. Radix est enim omnium malorum avaritia : quam quidam sequentes à fide pererraverunt... et inseruerunt se doloribus multis... Hîc cupiditas accusatur, non aurum, non argentum, non divitiæ, sed cupiditas.... Vermis divitiarum, superbia.

Cap. 10. *n.* 11. (*Ibid.* 17.) Ergo præcipe divitibus hujus mundi non superbè sapere..., neque sperare in incerto divitiarum,... sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum : temporalia, et æterna. Sed magis ad fruendum æterna ; ad utendum temporalia... Ex eo autem quod habent, quid faciant ? Audi : Divites sint in operibus bonis, facilè tribuant,... *Ibid.* 18. quid communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum. Non enim quia dico, inquit, Facilè tribuant, communicent, exspoliare illos volo, nudare illos volo, inanes relinquere volo ... Dococo lucrum, cùm ostendo, thesaurizent sibi. Non enim volo, ut pauperes remaneant. Thesaurizent sibi. Non ut perdant, dico : sed quò migrent, ostendo. Thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.

(H) Luc. xi. 41. *Vide suprà titt.* (D) *hocce* §.

S. Basilius *homilia in illud :* Destruam horrea mea, etc. *propè finem.* Dixeris : Cui facio injuriam, si mea retineo conservoque ? Quæ illa, die mihi, tua ? Undè accepta hæc ad traducendam præsentem hanc vitam invexisti ?... Nonne nudus ex utero matris excidisti, nudusque rursùs reverteris ad humum ? Hæc tibi bona præsentia undè ? Si à casu dixeris,

impius es, eum non agnoscens qui te condidit, neque ei qui dedit rependens gratiam. Quòd si ex Deo te illa habere fateris, dic mihi, quamobrem hæc sortitus es? Non enim injustus est Deus, qui ea quæ sunt ad victum inæqualiter nobis diviserit. Cur tu dives es, ille pauper? Profectò non ob aliam causam, nisi ut tu benignitatis ac fidelis administrationis mercedem accipias, ille verò patientiæ maximis præmiis honoretur. Tu verò insatiabilis avaritiæ lacertis omnia circumplexus, et tot homines illis privans, neminem te lædere putas.... Num qui vestem diripuerit, spoliator nominabitur : qui autem nudum non texerit, modò possit, alterius cujusdam nominis appellatione dignus erit? Esurientis est panis, quem tu retines : nudi est vestis, quam in arcà custodis : discalceati calceus, qui apud te marcescit : egentis argentum, quod tu terræ infossum possides. Quare tot injurius es hominibus, in quot poteras opem conferre?

S. JOAN. CHRYS. *Homil. de divite.* Infelicissime hominum, mortem corporis tui vides jacere ante januam, et non misereris? Si Dei præcepta non consideras, saltem miserere conditioni tuæ, et time ne et ipse talis efficiaris. Quid servas in deliciis tuis quod superfluum est? quod jactas, tribue eleemosynam. Non dico ut auferas divitiis tuis; quod jactas foras, micas mensæ tuæ præbe in eleemosynam membro tuo... quod projicis de mensa, præbe eleemosynam : fac de damno lucrum.

De Lazaro, conc. 2. Ne spolies vitam pauperis : qui verò spoliat, aliena tollit. Nam spoliatio quædam dicitur, cùm aliena accepta detinemus : propter hoc igitur discamus, quod quoties eleemosynam non præstiterimus, pari cum his qui spoliant supplicio afficiemur. Heriles enim pecuniæ sunt undecunque eas collegerimus, et ideò tibi plura possidere concessit Deus, non ut in scortationes, temulentiam, ingluviem, in vestes sumptuosas, aliamque mollitiem consumeres, sed ut ea distribueres egentibus. Quemadmodùm enim receptor quispiam qui regias pecunias accepit, si neglexerit his, quibus jussus est, distribuere, inque proprias consumpserit delicias, pœnas dat ac perditur : ita sanè et dives receptor quispiam est pecuniarum, quæ pauperibus distribui debebant. Itaque cùm in mandatis habeat, eas distribuere suis conservis egentibus, si quid amplius quàm postulet necessitas in seipsum insumpserit, gravissimas illic daturus est pœnas. Non enim sunt ipsius quæ possidet, sed conservorum illius. Parcamus igitur iis, tanquam alienis, ut fiant nostra. Quomodò autem illis parcemus tanquam alienis? Si illas non in usus supervacuos insumpserimus, sed pauperum manibus impertiverimus.

S. AUG. *Serm.* 61. *aliàs* 5. *de verbis Domini cap.* 2. *n.* 12. Date ergo pauperibus, fratres mei. (1. *Tim.* VI. 8.) Victum et tegumentum habentes, his contenti simus. Nihil dives habet de divitiis suis, nisi quod ab illo postulat pauper, victum et tegumentum. Hinc tu quid plus habes ex omnibus quæ habes? Accepisti victum, accepisti necessarium tegumentum : necessarium dico, non inane, non superfluum. Quid plus de divitiis tuis capis? Dic mihi. Certè omnia tua superflua erunt. Quæ sunt tua superflua, sint pauperibus necessaria.... Sed meliùs, inquis, mihi sapiunt apparata pretiosa. Vix fastidiosus satiaris. Nescis quomodò sapit, quod fames accendit. Neque ita hoc dixi, ut divites cogam epulis et cibis pauperum vesci. Utantur divites consuetudine infirmitatis suæ : sed doleant, aliter se non posse. Meliùs enim possent, si aliter possent. Si ergo non extollitur pauper de mendicitate; tu quare extolleris de infirmitate? Utere cibis electis, pretiosis, quia sic consuesti, quia non aliter potes, quia si consuetudinem mutes, ægrotas. Conceditur tibi : utere superfluis, da pauperibus necessaria : utere pretiosis, da pauperibus vilia. Exspectat à te, exspectas à Deo : exspectat ille manum quæ facta est secum, exspectas tu manum quæ fecit te. Sed non solùm te fecit, sed et pauperem tecum. Dedit vobis unam viam istam vitam : invenistis vos comites, unam viam ambulatis : ille nihil portat, tu nimiùm oneratus es.... Da illi de eo quod habes; et illum pascis, et onus minuis.

Serm. 206. *aliàs* 70. *de diversis in Quadragesimâ* 2. *n.* 2. Orationibus nostris quibus ad Deum faciliùs volando perveniant, eleemosynis et jejuniis pennas pietatis addamus. Hinc autem intelligit animus Christianus, quantùm remotus esse debet à fraude alienæ rei, quando sentit simile esse fraudi, si superflua sua non tribuerit indigenti. Dominus dicit, (*Luc.*

VI. 37.) *Date, et dabitur vobis: dimitte, et dimittetur vobis.* Hæc duo genera eleemosynarum tribuendi et ignoscendi, clementer et ferventer operemur; qui nobis à Domino ut bona tribuantur, et mala non retribuantur, oramus.... Quid verius, quid justius, ut qui dare detrectat se fraudet ipse: nec accipiat? Si impudenter agricola quærit messem, ubi se novit non præmisisse semen, quantò impudentiùs quærit Deum divitem dantem, qui hominem pauperem noluit exaudire poscentem? In paupere enim se pasci voluit, qui non esurit. Deum ergo nostrum egentem non spernamus in paupere, ut egentes satiemur in divite. Habemus egentes, et egemus; demus ergo, ut accipiamus.

Enarr. in Psal. 38. *n.* 11. Thesaurizas, cui congregabis ea?.... Dicturus es, Filiis meis servo. Hæc est vox pietatis, excusatio iniquitatis, Filiis meis, inquis, servo.

N. 12. Servas transiturus transituris, immo vero transiens transeuntibus.... Transis tu, et servas transeunti filio tuo. Primò hoc à te quæro, scis eum possessurum cui servas? aut si nondùm natus est, scis nasciturum? Servas filiis, incertum est an futuris, an possessuris: nec reponis thesaurum ubi reponendus est. Non enim Dominus tuus servo suo tale consilium daret, ut peculium suum perderet. Peculiosus servus es cujusdam magni patris-familias. Quod amas et quod habes, ipse tibi dedit; et non vult ut perdas quod tibi dedit, qui et seipsum tibi dabit. Sed nec hoc, inquam, quod tibi ad tempus dedit, vult ut perdas. Multum est, exuberat, supergreditur vires necessitatis tuæ, jam certè superfluum deputatur: nec hoc volo ut perdas, ait Dominus tuus. Et quid facio? Migra, ubi posuisti non est tutus locus. Certè servire vis avaritiæ: vide ne fortè et ipsi avaritiæ congruat consilium meum. Habere enim vis quod habes et non perdere: ostendo tibi locum ubi ponas. Ne thesaurizes in terra, nesciens cui congreges ea, et posteà quemadmodùm consumpturus sit qui possidebit, qui tenebit. Fortè enim possessus possidebit, et quod à te habebit, non tenebit. Fortè cùm ei servas, antequam ille veniat, tu perdes. Sollicitudini tuæ consilium do (*Matth.* VI. 20.): Thesaurizate vobis thesaurum in cœlo. Hic in terra si velles servare divitias, quæreres horreum: fortè non crederes domui tuæ propter domesticos tuos: commendares ad vicum (*fortè* vicinum) argentarium: difficilis est enim ibi casus, fur non facilè accedit, benè omnia servantur. Quare ista cogitas, nisi quia non habes melius ubi serves? Quid si dabo melius? Dicam tibi, Noli commendare huic minùs idoneo, sed est quidam idoneus, illi commenda: habet magna horrea, ubi perire non possint divitiæ; magnus super omnes divites dives est. Jam fortè dicturus es: Et quando audeo tali commendare? Quid si ipse te hortatur? Agnosce illum, non solùm pater-familias est, sed et Dominus tuus est. Nolo, inquit, serve meus perdas peculium tuum, agnosce ubi ponas: quare ibi ponis ubi possis amittere, ubi et si non amittas, ibi permanere perpetuò tu non potes? Est alius locus, quo te transferam, præcedat te quod habes; noli timere ne perdas; dator ego eram, custos ego ero. Dicit tibi hoc Dominus tuus: fidem tuam interroga, vide si velis illi credere. Dicturus es, Perditum habeo quod non video, hic illud volo videre. Dùm vis hic videre, nec hic videbis, et ibi nihil habebis.... Credis in Deum, et non credis ipsi Deo.... Securus eris potiùs credendo Christo, ut ibi ponas ubi consilium dedit. An securus es de servo tuo, et sollicitus es de Domino tuo? Securus es de domo tua, et sollicitus de cœlo? Sed ego, inquis, quomodò pono in cœlo? Dedi tibi consilium: ubi dico pone: quomodò perveniat ad cœlum, nolo scias. Pone in manibus pauperum, da egenibus: quid ad te quomodo perveniat? Non perducam quod ego accipio? An oblitus es (*Matth.* XXV. 40.), Cùm uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis?.... Fabricavit enim per quem facta sunt omnia, mansiones omnibus nobis: illùc vult præcedere quod habemus, ne hoc in terra perdamus. Cùm autem servaveris in terra, dic mihi cui congregabis ea? Filios habes: unum plus numera, et da aliquid et Christo.

In Psal. 147. *n.* 12.... (Scriptura) hortatur ad misericordiam faciendam, ut omninò crebrescamus in erogando quod ampliùs necessaria habemus. Multa autem superflua habemus, si non nisi necessaria iencamus: nam si inania quæramus, nihil sufficit. Fratres, quærite quod

Necessarium autem duplex, nimirum necessarium naturæ, et necessarium statûs. Necessarium naturæ illud est, quod, ad victum et vestitum requiritur. Necessarium statûs illud est quod ad decentiam statûs et conditionis, omni luxu sepositò, requiritur. (l)

sufficit operi Dei, non quod sufficit cupiditati vestræ.... Quære quæ sufficiant, et videbis quàm pauca sint. Viduæ suffecerunt duo nummi ad faciendam misericordiam, suffecerunt duo nummi ad emendum regnum Dei.... Videte, quia non solùm pauca sunt, quæ vobis sufficiant : sed nec ipse Deus multa à vobis quærit. Quære quantum tibi dederit, et ex eo tolle quod sufficit : cætera quæ superflua jacent, aliorum sunt necessaria. Superflua divitum, necessaria sunt pauperum. Res alienæ possidentur, cùm superflua possidentur.

S. THOM. *Quæst.* 87. 2. 2. *art.* 1. *ad quart.* Dominus non solùm decimam partem, sed etiam omnia superflua pauperibus jubet exhiberi ; secundùm illud Lucæ 11. Quod superest date eleemosynam.

(l) S. AUG. *Epist.* 130. *aliàs* 121. *ad Probam*, *c.* 6. *n.* 12. Placetne igitur ut super salutem istam temporalem optent sibi ac suis honores et potestates ? Sanè, si ut per hoc consulant eis qui vivunt sub eis non propter hæc ipsa, sed propter aliud quod indè fit bonum, decet ea velle : Si autem propter inanem fastum elationis pompamque superfluam vel etiam noxiam vanitatis, non decet. (1. *Tim.* VI. 6.) Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia.... Hanc ergo sufficientiam non indecenter vult, quisquis vult, nec ampliùs vult.... Hanc optabat, et pro hàc orabat, qui dicebat (*Prov.* XXX. 8.) : *Divitias et paupertatem ne dederis mihi : constitue autem mihi quæ necessaria sunt sufficienter*.... Vides certè et illam sufficientiam non appeti propter seipsam, sed propter salutem corporis et congruentem habitum personæ hominis, quo habitu non sit inconveniens eis, cum quibus honestè officiosèque vivendum est.

S. THOM. *Quæst.* 32. 2. 2. *art.* 5. *in corp.* Ex parte quidem dantis, considerandum est ut id, quod est in eleemosynas erogandum, sit ei superfluum, secundùm illuc Luc. 11. Quod superest date eleemosynam. Et dico superfluum, non solùm respectu sui ipsius, quod est supra id quod est necessarium individuo ; sed etiam respectu aliorum quorum cura sibi incumbit, respectu quorum dicitur necessarium personæ ; secundùm quod persona dignitatem importat : quia priùs oportet quòd unusquisque sibi provideat, et his quorum cura ei incumbit ; et posteà de residuo, aliorum necessitatibus subveniat.... Ex parte autem recipientis, requiritur quòd necessitatem habeat ; alioquin non esset ratio quare eleemosyna ei daretur. Sed cùm non possit ab aliquo uno omnibus necessitatem habentibus subveniri ; non omnis necessitas obligat ad præceptum, sed illa sola in qua is, qui necessitatem patitur, sustentari non potest. In illo enim casu locum habet quod Amb. dicit. Pasce fame morientem ; si non paveris, occidisti. Sic ergo, dare eleemosynam de superfluo, est in præcepto ; et dare eleemosynam ei qui est in extremâ necessitate. Aliàs autem, eleemosynas dare est in consilio ; sicut et de quolibet meliori bono dantur consilia.

Art. 6. *in corp.* Dicitur aliquid esse necessarium, sine quo non potest convenienter vita transigi secundùm conditionem et statum propriæ personæ, et aliarum personarum quarum cura ei incumbit. Hujusmodi necessarii terminus non est in indivisibili constitutus ; sed, multis additis, non posset dijudicari esse ultra tale necessarium ; et multis subtractis, adhuc remanet undè possit convenienter aliquis vitam transigere secundùm proprium statum. De hujusmodi ergo eleemosynam dare est bonum ; et non cadit sub præcepto, sed sub consilio. Inordinatum autem esset si aliquis tantùm sibi de bonis propriis subtraheret ut aliis largiretur, quòd de residuo non posset vitam transigere convenienter secundùm proprium statutum, et negotia occurrentia. Nullus enim inconvenienter vivere debet. Sed ab hoc tria sunt excipienda ; quorum primum est, quando aliquis statum mutat, puta per religionis ingressum. Tunc enim omnia sua propter Christum largiens, opus perfectionis facit, se

Rursùm variæ sunt pauperum necessitates. Vel enim pauperes patiuntur necessitatem communem, vel necessitatem gravem, vel necessitatem extremam. Necessitas communis ea est quam vulgò patiuntur pauperes omnes. Necessitas gravis ea est quam patitur is qui, nisi adsit amica manus, venit in vitæ discrimen. Necessitas extrema ea est quam patiuntur ii qui sunt in extremo vitæ periculo.

His positis, ut eleemosynæ præcepto satisfiat, ubi pauperes patiuntur solùm necessitatem communem, dandum est omninò quidquid superest, dempto necessario statûs. Ubi patiuntur necessitatem gravem, detrahendum aliquid prudenter de necessario statûs, plus minùs pro majori vel minori pauperum necessitate. Ubi verò urget extrema necessitas, dandum prorsùs, si aliter subveniri nequit, quidquid, dempto necessario naturæ, superest. (K) Qui secùs fecerit, venit is in damnationis æternæ discrimen. Peccat enim plus minùs pro majori vel minori superfluo, item pro majori vel minori pauperum necessitate. *Non pavisti pauperem, occidisti*, inquit sanctus Ambrosius. (L)

in alio statu ponendo. Secundò, quando ea quæ sibi subtrahit, etsi sint necessaria ad convenientiam vitæ, tamen de facili resarciri possunt, ut non sequatur maximum inconveniens. Tertiò, quando occurreret extrema necessitas alicujus privatæ personæ, vel etiam aliqua magna necessitas Reipublicæ. In his enim casibus laudabiliter prætermitteret aliquis id quod ad decentiam sui statûs pertinere videretur, ut majori necessitati subveniret.

(K) S. GREGORIUS MAGN. *in Evang. lib.* 1. *Homil.* 20. Qui habet duas tunicas, det non habenti: et qui habet escas, similiter faciat. Per hoc quòd tunica plus est necessaria usui nostro, quàm pallium, ad fructum dignum pœnitentiæ pertinet, ut, non solùm exteriora quæque et minùs necessaria, sed ipsa valdè nobis necessaria, dividere cum proximis debeamus, scilicet vel escam quâ carnaliter vivimus, vel tunicam quâ vestimur. Quia enim in lege scriptum est: Diliges proximum tuum sicut teipsum: minùs proximum amare convincitur, qui non cum in eo necessitate illius etiam ea quæ sibi sunt necessaria partitur.

S. THOM. 2. 2. *Quæst.* 32. *art.* 5. *ad tertium*.... Est aliquid tempus.... in quo mortaliter peccat si eleemosynam dare omittat. Ex parte quidem recipientis: cùm apparet evidens et urgens necessitas, nec apparet in promptu qui ei subveniat. Ex parte verò dantis, cùm habet superflua, quæ secundùm statum præsentem non sunt sibi necessaria, prout probabiliter æstimari potest. Nec oportet quòd consideret omnes casus qui possunt contingere in futurum: hoc enim esset de crastino cogitare: quod Dominus prohibet.

Lege etiam suprà ejusdem Quæst. art. 6. *in corp.*

Quæst. 71. *art.* 1. *in corp.* Homo sibi conjunctis quacunque necessitudine, maximè debet curam impendere, secundùm illud 1. ad Timoth. 5. Si quis suorum, et maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit. Quibus tamen concurrentibus, considerandum restat, utrum aliquis tantam necessitatem patiatur, quòd non in promptu appareat, quomodo ei possit aliter subveniri; et in tali casu tenetur ei opus misericordiæ impendere.

Quæst. 118. *art.* 4. *ad secund.* Aliquis tenetur ex debito legali bona sua pauperibus erogare; vel propter periculum necessitatis, vel etiam propter superfluitatem habitorum.

(L) LACTANT. *Institut. Divinar. Lib.* 6. *c.* 11. Conservanda est igitur humanitas, si homines recti dici volumus: id autem ipsum conservare humanitatem, quid aliud est, quàm diligere hominem, quia homo sit, et idem quod nos sumus?.... Humanitatis officium est necessitati homi-

I. Quandonam pauperes solent gravem necessitatem sustinere ?

R. Dùm urget fames, vel gelu et frigus, etc. (M)

I. Ut sit eleemosyna utilis et meritoria, quænam servari debent in eâ erogandâ conditiones ?

R. Facienda est, 1. Citò. (N) 2. Alacriter. (O) 3. Ex intimo

nis, ac periculo subvenire.... Quid personas eligis ? Quid membra inspicis ? Pro homine tibi habendus est, quisquis ideò precatur, quia te hominem putet.... Largire cæcis, debilibus, claudis, destitutis, quibus, nisi largiare, moriendum est. Inutiles sunt hominibus, sed utiles Deo... Fove quantùm in te est, et animas hominum, ne exstinguantur, humanitate sustentâ. Qui succurrere perituro potest, si non succurrerit, occidit.... Unum igitur certum, et verum liberalitatis officium est, egentes, atque inutiles alere.

S. Aug. *Tract.* 5. *in Epist.* 1. *Joan. c.* 3. *n.* 7. Non discernuntur filii Dei à filiis diaboli nisi charitate. Quidquid vis habe : hoc solum non habeas, nihil tibi prodest : alia si non habeas, hoc habe et implesti legem. Qui enim diligit alterum, legem implevit.... Hæc est margarita pretiosa, charitas, sine qua nihil tibi prodest quodcunque habueris : quam solam habeas, sufficit tibi.

N. 8. Hinc ergo discernuntur homines,.... nemo attendat linguas, sed facta, et cor.

N. 12. (1. *Joan.* III. 17.) *Qui habuerit facultates mundi, et viderit fratrem suum esurientem, et clauserit viscera sua ab eo ; quomodo poterit dilectio Dei manere in eo ?* Ecce undè incipit charitas. Si nondùm es idoneus mori pro fratre : jam idoneus esto dare de tuis facultatibus fratri. Jam percutiat viscera tua charitas, ut non de jactantia facias, sed de intimo adipe misericordiæ ; ut consideres illum in egestate positum. Si enim superflua non potes dare fratri tuo, animam tuam potes ponere pro fratre ? Jacet pecunia in sinu tuo, quam tibi fures possunt auferre : et si illam non auferent fures, moriendo illam deseres, etiam si te illa viventem non deserat : Quid indè facturus es ? Esurit frater tuus, in necessitate positus est : fortassis suspenditur, à creditore angustatur : non habet ipse, habes tu : frater tuus est, simul empti estis, unum est pretium vestrum, ambo sanguine Christi redempti estis : vide si misereris, si habes facultates mundi. Quid ad me pertinet, fortè dicis ? Ego daturus sum pecuniam meam, ne ille molestiam patiatur ? Si hoc tibi responderit cor tuum, dilectio Patris non in te manet. Si dilectio Patris non in te manet, non es natus ex Deo. Quomodo te gloriaris esse Christianum ? Nomen habes, et facta non habes.

(M) Job. xxxi. 19. Si despexi pereuntem, eò quòd non habuerit indumentum, et absque operimento pauperem : 20. Si non benedixerunt mihi latera ejus, et de velleribus ovium mearum calefactus est.

(N) Job. xxxi. 16. Si negavi quod volebant pauperibus, et oculos viduæ exspectare feci.

Prov. III. 27. Noli prohibere benefacere eum qui potest : si vales, et ipse benefac. 28. Ne dicas amico tuo : Vade, et revertere : eras dabo tibi : cùm statim possis dare.

S. Basil. *Hom.* 6. *in ditesc. avaros.* Vitam tibi polliceris, non ut post hac sis liberalior, aut tribuas : sed ut instantem mendicum à te propulses. Jam quando suppetit, quid prohibet, quominùs liberaliter impartiare ? Nonne inops adest ? Non sunt plena horrea ? Non merces à Domino parata ? Non mandatum manifestum ? Esuriens famè absumitur, nudus frigore rigescit : cui repetitur debitum, vinculis obtorto collo adstringitur : et tu eleemosynam in crastinum differs ? Audi Salomonem : Ne dicas, regressus revertere, et cras dabo. Ignoras enim quid sequens pariet dies...

S. Cyrillus Alexand. *Lib.* 3. *in Joan. c.* 6. *v.* 5. *pag.* 275. *tom.* 4. Præclarum hîc rursùs, et sanctissimis hominibus suis discipulis convenientissimum documentum Christus statuit, docens in maximis quoque angustiis intrepidè exercendam esse hospitalitatem, et cunctationem

omnem procul repellendam, immò ad eam virtutem toto animo properandum.

Sap. v. 13. *pag.* 284. Non est igitur oscitanter agendum in excipiendis cum charitate fratribus, sed audendum potiùs, et excutiendus est metus qui nos ab hospitalitate avocat, et in spe firmati potiùs per fidem quâ Deum exigua quæque multiplicare posse credimus, aperiamus viscera indigentibus, ut lex præcipit : (*Deut.* xv. 8.) *Aperiens.... aperies viscera tua fratri tuo, qui indiget te.* Quando enim misericors videbere, si durus in hac vita permanseris ? .... Ideoque sapientissimus ille Paulus nos erudiebat scribens his verbis : Dùm tempus habemus, operemur bonum. (*Gal.* vi. 10.)

S. Greg. Magn. *Lib.* 21. *moral. in Job. cap.* 11. (*Job.* xxxi. 16.) *Si negavi quod volebant pauperibus, et oculos viduæ exspectare feci.* Per hæc dicta vir sanctus ostenditur, non solùm ad inopiam pauperibus, sed etiam ad habendi desiderium deservisse ; ... et procul dubio oportet ut incunctanter detur, quidquid cum vera humilitate requiritur ; id est, quod non ex desiderio, sed ex necessitate postulatur..... Quidquid ab eo accipere pauper voluit non negavit.... Sed cùm largitatem mentis suæ indicat, quia ad votum se pauperibus concurrisse manifestat, necesse est ut quæramus, ne lumen misericordiæ, dationis tarditate fuscaverit. Undè subjungit : Et oculos viduæ exspectare feci. Pelentem sed viduam exspectare noluit, ut non solùm ex munere, sed etiam ex celeritate muneris, bonorum operum merita augeret. Undè aliàs scriptum est : (*Prov.* iii. 28.) *Ne dicas amico tuo, vade et revertere, et cras dabo tibi : cùm statim possis dare.*

(O) 2. Cor. ix. 6. Hoc autem dico : qui parcè seminat, parcè et metet ; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. 7. Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitiâ, aut ex necessitate : Hilarem enim datorem diligit Deus. 8. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis : ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, 9. sicut scriptum est, (*Ps.* cxii. 9.) Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in seculum seculi. 10. Qui autem administrat semen seminanti : et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ. 11. Ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo.

Origen. *Lib.* 9. *in Epist. ad Rom. cap.* 12. *Qui tribuit in simplicitate....* Qui tribuit et præstat indigentibus, oportet, inquit, in simplicitate cordis hæc facere : hoc est, ne videatur quidem indigentibus benefacere, corde verò laudem quærat ab hominibus. Non est ergo simplicitas, si aliud agi videatur in manibus, et aliud quæratur in corde.... *Qui miseretur, in hilaritate.* Videtur fortassis unum atque idem esse quod suprà dixerat, *Qui tribuit in simplicitate*, et hoc, id est, *Qui miseretur, in hilaritate.* Sed mihi videtur unum fortasse opus esse, non tamen operis ipsius unus affectus. Aliud est enim dare indigenti, et aliud, affectu misericordiæ, cum indigente partiri : et ideò non vult in tali opere esse tristitiam. Qui enim erogat pecuniam suam, si infidelis sit, et recepturum se desperet, necessariò tanquam qui eam perdiderit, contristatur : Qui verò cum fide et spe hoc agit, in hilaritate et lætitia agit, certè (*fortè* certus) et quòd parva hæc, quæ pro mandato Dei expendit indigentibus, sibi opes cœlestium divitiarum, insuper autem et æternam conferant vitam.

S. Chrysost. *Homil.* 16. *in* 2. *Epist. ad Corinth.* Eleemosyna verò tum demum est, cùm tu prompto atque alacri animo, cùm et copiosè tribuis : cùm teipsum, non dare, sed accipere existimas : cùm perindè ac beneficium accipiens, et quæstum faciens, ac non tanquam perdens largiris. Qui enim misericordiâ ductus inopiam alterius sublevat, is utiquè læto animo, non gravi ac molesto esse debet. An non enim absurdum fuerit si, cùm alterius mœrorem discutias, mœreas ipse ac discrucieris ?

S. Aug. *Epist.* 268. *aliàs* 215. Quod Dominus imperat, (Eleemosynam) sine murmuratione et cum lætitia et hilaritate facite : Deo enim creditis non homini : quia ille promittit vos nihil eorum, quæ misericorditer facitis, perdituros, sed in illo die cum usuris immortalibus recepturos.

charitatis et compassionis affectu. (P) 4. Sine ostenta-

N. 3. Dùm tamen vos secundùm quod placet, hilariter offeratis.

In Psal. XLII. 8. Adhuc loquente te dicam, Ecce adsum : si fregeris ex animo esurienti panem. Quia plerumque fit à tristibus et à murmurantibus, ut careant tædio interpellantis, non ut reficiant viscera indigentis. Hilarem autem datorem diligit Deus. Si panem dederis tristis, et panem et meritum perdidisti : ergo ex animo fac : ut ille qui intùs videt, adhuc loquente te, dicat, Ecce adsum.

S. AMBROS. *Lib.* 2. *de Officiis cap.* 30. *n.* 143. Non satis est benè velle, sed etiam benefacere : nec satis est iterùm benefacere, nisi id ex bono fonte, hoc est, bona voluntate proficiscatur : (2. *Cor.* IX 7.) Hilarem enim datorem diligit Deus. Nam si invitus facias, quæ tibi merces est ? Undè Apostolus (1. *Cor.* IX. 17.)... *Si volens hoc ago, mercedem habeo ; si invitus, dispensatio mihi credita est.*

(P) S. AUG. *In Psal.* CII. *n.* 13. Fac misericordiam iniquo, non tanquam iniquo. Nam ipsum iniquum, in quantum iniquus est, ne suscipias : id est, ne quasi intentione et amore iniquitatis illius suscipias eum. Nam et prohibitum est dari peccatori, et suscipere peccatores. Et quomodo, omni petenti te, da ? Et quomodo, si esurierit inimicus tuus, ciba illum ?..... Da, non tanquam peccatori : quando in quo peccator est, hoc tibi placet ut des... Hoc dixit, Cùm esurierit nescio quis, si habes undè des, da ; si vides dandum esse ad subveniendum, da : ne pigrescant in hoc viscera misericordiæ quia tibi peccator occurrit : tibi enim homo peccator occurrit. Cùm dico, occurrit tibi homo peccator, duo nomina dixi : hæc duo nomina non superflua sunt : duo nomina, aliud quod homo, aliud quod peccator : quod homo, opus est Dei ; quod peccator, opus hominis est : da operi Dei, noli operi hominis. Et quomodo, inquis, me prohibes dare operi hominis ? Quid est dare operi hominis ? Peccatori da repropter peccatum, placenti tibi propter peccatum... Quomodo ergo qui venatori donat non homini donat, sed arti nequissimæ : (nam si homo tantùm esset, et venator non esset, non donares ; honoras in eo vitium, non naturam :) sic contrà, si des justo, si des Prophetæ, si des Discipulo Christi aliquid cujus indiget, et non ibi cogites quia Discipulus Christi est, quia minister est Dei, quia dispensator est Dei : sed cogites ibi aliquod commodum temporale, ut fortasse causæ tuæ necessarius quando fuerit, venalis tibi sit, quia ei aliquid porrexisti ; tam tu non dedisti justo, si sic dederis, quàm ille non dedit homini, quando dedit venatori.

In Psal. CXXV. *n.* 5. (*Luc.* XI. 41.) Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis. Undè autem procedit eleemosyna ? De corde. Si enim manum porrigas, nec in corde miserearis, nihil fecisti : si autem in corde miserearis, etiam si non habeas quod porrigas manu, acceptat Deus eleemosynam tuam.

N. 11.... Opera misericordiæ semina nostra sunt : (*Galat.* VI. 9. 10.) Bonum facientes non deficiamus : tempore enim proprio metemus infatigabiles. Itaque dùm tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei... Terra vestra Ecclesia est : seminate quantum potestis. Sed parum habes undè facias. Habes voluntatem ? Quomodo nihil esset quod habes, si non adesset bona voluntas : sic et quia non habes noli esse tristis, si est tibi bona voluntas... In Zachæo magna voluntas. In Zachæo charitas magna. Suscepit Dominum hospitio, gaudens suscepit, et dimidium patrimonii sui pauperibus promisit se daturum, et si cui aliquid abstulerat quadruplum redditurum... Magna voluntas, multùm dedit, multùm seminavit. Ergo vidua illa, quæ duo minuta misit, parùm seminavit ? Immò tantùm, quantùm Zachæus. Minores enim facultates ferebat, sed parem voluntatem habebat. Misit duo minuta de tanta voluntate, de quanta Zachæus dimidium patrimonii sui. Si attendas quid dederunt, diversa invenies : Si attendas undè dederunt, paria invenies : quidquid habuit dedit illa, et quod habuit dedit ille.

N. 12. (*Matth.* X. 42.) Calicem aquæ frigidæ qui dederit discipulo, non perdet mercedem suam. Calix aquæ frigidæ non duobus nummis, sed gratis constat : tamen aliquando sic gratis constat, ut habeat illum alius,

tione. (Q) 5. Prudenter et cautè ; ita ut habeatur ratio neet alius non habeat : si ergo ille qui illum habet, dederit illi qui non habet ; tantùm dedit, si de plena charitate dedit quod dedit, quantùm illa in duobus minutis, quantùm Zachæus in dimidio rerum suarum. Non enim sine causa addidit, frigidæ, ut pauperem ostenderet. Ideò dixit, Calicem aquæ frigidæ, ne quis vel indè causaretur, quòd lignum non habuerit undè calefaceret aquam. Calicem aquæ frigidæ qui dederit uni ex minimis, non perdet mercedem suam. Quid si nec hoc habeat ? Securus sit, et si nec hoc habet, (*Luc.* 11. 14.) Pax in terrà hominibus bonæ voluntatis : tantùm illud timeat, ne habeat, et non faciat.

(Q) MATTH. VI. 2. Cùm facis eleemosynam noli tubâ canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis et in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. 3. Te autem facìente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua : 4. Ut sit eleemosyna tua in abscondito, et Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.

Vide ORIGEN. *suprà hocce* §. *litt.* (O)

S. AUG. *Serm.* 239. *alias* 146. *de temp. in diebus Paschal.* X. *n.* 4. Si Elias non indigebat, Christus indigebat ? ... Nemo superbiat quia dat pauperi : Christus pauper fuit. Nemo superbiat quia hospitem suscipit : Christus hospes fuit. Melior est susceptus, quàm suscipiens ; ditior accipiens, quàm tradens. Qui accipiebat, cuncta possidebat... Nemo ergo superbiat, quando dat pauperi : non dicat in animo suo, Ego do, ille accipit.... Fortè quo tu indiges, plus est. Fortè quem suscipis, justus est : ille indiget pane, tu veritate. Ille indiget tecto, tu cœlo ; ille indiget pecuniâ, tu justitiâ.

S. AMBROS. *Lib.* 1. *de Officiis c.* 30. *n.* 147. Nec illa perfecta est liberalitas, si jactantiæ causâ magis quàm misericordiæ largiaris. Affectus tuus nomen imponit operi tuo : quomodo à te proficiscitur, sic æstimatur. *Nesciat*, inquit Christus, (*Matth.* VI. 3.) *sinistra tua, quid faciat dextera tua....* Frater tuus quod facis nesciat ; ne dum hìc mercedem quæris jactantiæ, illic remunerationis fructum amittas. Perfecta autem est liberalitas, ubi silentio quis tegit opus suum, et necessitatibus singulorum occultè subvenit : quem laudat os pauperis, et non labia sua.

S. GREG. MAGN. *Moral. in Job. Lib.* 21. *cap.* 14. Si despexi prætereuntem, eò quòd non habuerit indumentum, et absque operimento pauperem.... Quòd pauperem non despexit, virtutem humilitatis exhibuit : quòd autem operuit, pietatis. Duæ quippè istæ virtutes ita sibimet esse connexæ debent, ut vicario semper opere fulciantur ; quatenùs nec humilitas, cùm veneratur proximum, largitatis gratiam deserat ; nec pietas cùm largitur, intumescat. Erga indigentiam itaque proximi, humilitatem pietas fulciat, humilitas pietatem : ut cùm indigentem rebus necessariis naturæ tuæ consortem videris, nec per impietatem desinas tegere, nec per superbiam negligas venerari, quem tegis. Nam sunt nonnulli, qui, mox ut ab egenis fratribus fuerint necessaria postulati, post dona largituri, in eos priùs contumeliosa verba jaculantur. Qui et si rebus ministerium pietatis perficiunt, verbis tamen gratiam humilitatis perdunt ; ita ut plerumque videatur, quia illatæ jam injuriæ satisfactionem solvunt cùm post contumelias dona largiuntur.... At contra, alii egenos fratres non student rebus fulcire cùm possint, sed blandis tantùm sermonibus fovere. Quos vehementer Jacobi prædicatio sancta reprehendit dicens : (*Jacob.* II. 15. 16.) Si autem frater aut soror nudi sunt, et indigent victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis : Ite in pace, calefacimini et saturamini, non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid vobis proderit ? Quos Joannes quoque Apostolus admonet dicens : (1. *Joan.* III. 18.) *Filioli mei non diligamus verbo, sed opere et veritate.* Dilectio namque nostra semper exhibenda est venerationc sermonis, et ministerio largitatis. Multùm verò ad edomandam dantis superbiam valet, si cùm terrena tribuit, verba sollicitè magistri cœlestis penset, qui ait : (*Luc.* XVI. 9.) *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Si enim eorum amicitiis æterna tabernacula acquirimus, dantes proculdubio pensare

cessitatum, et servetur ordo charitatis. (R) 6. Justè : ita ut debemus, quia patronis potiùs munera offerimus, quàm egenis dona largimur.

(R) S. AUG. *in Psal.* CII. *n.* 12. *et* 14. *Vide suprà litt.* (A) *et* (C) *hocce* 7. *Epist.* 93. *aliàs* 48. *ad Vincentium, c.* 1. *n.* 3.... Nunquid ideò negligenda est medicina, quia nonnullorum est insanabilis pestilentia?... Sed debes tam multos attendere, de quorum salute gaudemus. Si enim terrerentur, et non docerentur, improba quasi dominatio videretur. Rursùs si docerentur et non terrerentur, vetustate consuetudinis obdurati ad capessendam viam salutis pigriùs moverentur.

Cap. 12. *n.* 50. Quicunque vos ex occasione legis imperialis, non dilectione corrigendi, sed inimicandi odio persequitur, displicet nobis... Nonnullos toleramus, quos corrigere vel punire non possumus, neque propter paleam relinquimus aream Domini, neque propter pisces malos rumpimus retia Domini, neque propter hædos in fine segregandos, deserimus gregem Domini, neque propter vasa facta in contumeliam, migramus de domo Domini. *Hæc de eleemos. Spirit.*

Serm. 3. *in Psalm.* CIII. *n.* 10. Quære cui des : (*Ps.* XL. 2.) *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem*, qui præoccupat vocem petituri. Si sic inter vos indigent milites Christi, ut etiam petant ; videte ne vos judicent, antequam petant. Quomodo, inquis, quæro ? Esto curiosus, esto providus : prospice, attende undè quisque vivat, undè se transigat, undè habeat..., Curiosus esto, et intellige super egenum et pauperem : alius ad te venit, ut petat : alium tu præveni, ne petat. (*Eccli.* XXIX. 15.) Sudet eleemosyna in manu tua, donec invenias justum cui eam tradas. Cùm enim dandum sit et istis pauperibus petentibus : non enim ab eis inhibuit Deus eleemosynas :... quando facis epulum, convoca cæcos, claudos, debiles, non habentes unde tibi reddant : retribuetur autem tibi in resurrectione justorum.... Nemo vobis dicat, Præceptum est à Christo ut servo Dei detur, mendico non detur. Absit : prorsùs impius ista loquitur. Da illi, sed multò magis illi. Ille enim petit, et in voce petentis agnoscis cui des : ille autem quantò minùs petit, tantò magis tibi vigilandum est ut præoccupes petiturum : itaque curiosi estote ad illa, fratres mei : invenietis multorum Dei servorum indigentiam, tantùm ut velitis invenire.

N. 12. Non indiget cibo, fortè veste indiget. Non indiget veste, fortè tecto indiget, fortè Ecclesiam fabricat, fortè aliquid utile in domo Dei molitur ; exspectat ut attendas, exspectat ut intelligas super egentem et pauperem. Tu contrà, terra dura, lapidea, non irrigata, aut frustrà irrigata, servas tibi dicere, Non sciebam, non noveram, nemo mihi dixit. Nemo tibi dixit ? Christus non cessat dicere, Propheta non cessat dicere, (*Psal.* XL. 2.) Beatus qui intelligit super egenum et pauperem.

In Psal. CXLVII. *n.* 17. Efficimini exactores vestri. Christus tacitus exigit : et major est vox tacentis, quia in Evangelio non tacet. Non enim verè tacet, cùm dicit, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis : ut et ipsi recipiant vos in æterna tabernacula. Non tacet ipse, audite vocem ejus. Nemo enim vos potest exigere :... Ergo estote exactores vestri... Scriptum est, (*Ps.* XL. 2.) Beatus qui intelligit super egenum et pauperem. Cùm dicit, Qui intelligit super egenum et pauperem, non exspectat ut petat. Intellige super illum. Alius te quærit indigens, alium tu debes quærere indigentem. Utrumque dictum est : et, (*Luc.* VI. 30.) Omni petenti te, da.... et,... (*Eccli.* XXIX. 15.) Sudet eleemosyna in manu tua, quò usque invenias justum, cui eam tradas. Alius est qui te quærit, alium tu debes quærere. Nec eum qui te quærit relinquas inanem ; omni enim petenti te, da : sed alius est quem tu debes quærere ; sudet eleemosyna in manu tua, quousque invenias justum cui des. Nunquam hoc facietis, nisi aliquid de rebus vestris sepositum habueritis, quod cuique placet pro necessitate rei familiaris suæ, tanquam debitum quasi fisco reddendum. Si non habet rempublicam suam Christus, non habet fiscum suum.... Præcidite ergo aliquid, et deputate aliquid fixum, vel ex annuis fructibus, vel ex quotidianis quæstibus vestris. Nam quasi de vivo videris dare, et necesse est ut trepidet manus tua, quando illam porrigis ad id quod non devoveras. Exime aliquam partem redditùum tuorum. Decimas vis ? Decimas eximе, quanquam parum sit. Dictum est enim, quia Pha-

risæi decimas dabant, (*Luc.* XVIII. 12.) Jejuno bis in sabbato, decimas do omnium quæcunque possideo. Et quid ait Dominus? (*Matth.* V. 20.) Nisi abundaverit justitia vestra plusquàm Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Et ille super quem debet abundare justitia tua, decimas dat: tu autem nec millesimam das. Quomodo superabis eum, cui non æquaris?

S. AMBROS. *Lib.* 2. *de Officiis*, *c.* 16. *n.* 76. Liquet igitur debere esse liberalitatis modum, ne fiat inutilis largitas. Sobrietas tenenda est, maximè Sacerdotibus, ut non pro jactantiâ, sed pro justitiâ dispensent. Nusquam enim major aviditas petitionis, veniunt validi, veniunt nullam causam nisi vagandi habentes, et volunt subsidia evacuare pauperum, exinanire sumptum: nec exiguo contenti, majora quærunt, ambitu vestium captantes petitionis suffragium, et natalium simulatione licitantes incrementa quæstuum. His si quis facilè deferat fidem, citò exhaurit pauperum alimoniis profutura compendia. Modus largiendi adsit, ut nec illi inanes recedant, neque transcribatur vita pauperum in spolia fraudulentorum. Ea ergo mensura sit, ut neque humanitas deseratur, nec destituatur necessitas.

N. 77. Plerique simulant debita: sit veri examen. Exutos se per latrocinia deplorant: aut injuria fidem faciat, aut cognitio personæ, quò propensiùs juventur. Ab Ecclesiâ relegatis sumptus impartiendus, si desit eis alendi copia. Itaque qui modum servat, avarus nulli. sed largus omnibus est; non enim solas aures præbere debemus audiendis precantium vocibus, sed etiam oculos considerandis necessitatibus. Plus clamat operatori bono debilitas, quàm vox pauperis. Neque verò fieri potest ut non extorqueat amplius importunitas vociferantium: sed non semper impudentiæ locus sit. Videndus est ille, qui te non videt: requirendus ille, qui erubescit videri. Ille etiam clausus in carcere occurrat tibi, ille affectus ægritudine mentem tuam personet, qui aures non potest.

N. 78. Quò plus te operari viderit populus, magis diliget. Scio plures Sacerdotes, quò plus contulerunt, plus abundasse: quoniam quicunque bonum operarium videt ipsi confert quod ille suo officio dispensel, securus quòd ad pauperem sua perveniat misericordia: nemo enim vult, nisi pauperi proficere suam collationem: nam si quem aut immoderatum, aut nimis tenacem dispensatorem viderit; utrumque despiciet: si aut superfluis erogationibus dissipet alieni fructus laboris, aut recondat sacculis... meliùs operatur pecunia in pauperis cibo, quàm in divitis sacculo. Cave ne intra loculos tuos includas salutem inopum, et tanquam in tumulis sepelias vitam pauperum.

Cap. 30. *n.* 148. Deindè perfecta liberalitas fide, causâ, loco, tempore, commendatur ut primum opereris circa domesticos fidei. Grandis culpa, si, sciente te, fidelis egeat: si scias eum sine sumptu esse, famem tolerare, ærumnam perpeti, qui præsertim egere erubescat: si in causam ceciderit aut captivitatis suorum, aut calumniæ, et non adjuves: si sit in carcere, et pœnis et suppliciis propter debitum aliquod justus exercietur; (nam etsi debetur omnibus misericordia, tamen justo ampliùs) si tempore afflictionis suæ nihil à te impetret: si tempore periculi quo rapitur ad mortem, plus apud te pecunia tua valeat, quàm vita morituri.

N. 149..... Nos autem omnibus quidem debemus misericordiam: sed quia plerique fraude eam quærunt, et affigunt ærumnam; ideò ubi causa manifestatur, persona cognoscitur, tempus urget, largiùs se debet profundere misericordia. Non enim avarus Dominus est ut plurimum quærat. Beatus quidem qui dimittit omnia et sequitur eum: sed ille beatus est, qui quod habet, ex affectu facit. Denique duo æra viduæ illius divitum muneribus prætulit, (*Luc.* XXI. 3.) quia totum illa quod habuit contulit, illi autem ex abundantiâ partem exiguam contulerunt. Affectus igitur divitem collationem aut pauperem facit, et pretium rebus imponit. Cæterùm Dominus non vult simul effundi opes, sed dispensari.

N. 150. Est etiam illa probanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas. Melius est enim ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est ab aliis sumptum deposcere, aut alicui postulare subsidium necessitati: non tamen ut illi ditiores eo fieri velint, quod tu potes conferre inopibus; causa enim præstat, non gratia. Non enim propterea te

1. Non dentur aliena, sed reddatur unicuique quod suum est. (S) 2. Nec propria bona largiantur, nisi in quantum leges fieri sinunt. Si quis enim, verbi gratiâ, non habet rei familiaris dispensationem, si quis sub tutoribus et actoribus est, non potest propria largiri, nisi consentientibus iis ad quos dispensatio pertinet. (T)

Domino dicasti, ut tuos divites facias : sed ut vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras, et pretio miserationis peccata redimas tua.

N. 185. Consideranda etiam in largiendo ætas atque debilitas, nonnunquam etiam verecundia, quæ ingenuos prodit natales ; ut senibus plus largiaris, qui sibi labore jam non queunt victum quærere. Similiter et debilitas corporis, et hæc juvanda promptiùs. Tum si quis ex divitiis cecidit in egestatem : et maximè si non vitio suo, sed aut latrociniis, aut proscriptione, aut calumniis, quæ habebat amisit.

(S) PROVERB. III. 9. Honora Dominum, de tua substantia, et de primitiis omnium frugum tuarum da ei. 10. Et implebuntur horrea tua saturitate, et vino torcularia tua redundabunt.

ECCLI. XXXIV. 24. Qui offert sacrificium, ex substantiâ pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. 25. Panis egentium, vita pauperum est : qui defraudat illum, homo sanguinis est.

S. HIERONYM. *in c.* XVIII. *Ezechiel. p.* 822. Si autem... esurienti dare debemus, et nudum operire vestimento : quantò magis suum reddere.... Docemur eleemosynam non saturis faciendam, sed esurientibus : nec dandum panem his qui ructant plenitudine, sed his qui inanitate cruciantur. In pane autem omnis continetur cibus. Et significanter dicitur *suum :* ne de rapinis et usuris et alieno malo quæsitum panem, vertamus in misericordiam : (*Prov.* XIII. 8.) Redemptionem enim animæ viri propriæ divitiæ. Quod multos facere conspicimus, clientes et pauperes, et agricolas ; ut taceam de militantium et judicum violentia, qui opprimunt per potentiam, vel furta committunt, ut de multis parva pauperibus tribuant, et in suis sceleribus glorientur. Publicèque Diaconus in Ecclesiis recitet offerentium nomina : tantùm offert illa ; tantùm ille pollicitus est ; placentque sibi ad plausum populi, torquente eos conscientiâ. Damusque materiam miseris, ut gaudeant ad ea quæ tribuunt, et non lugeant ad ea quæ rapuerint....

S. AUG. *Serm.* 113. *aliàs* 35. *de verbis Domini, c.* 2. *n.* 2. Facite vobis amicos de divitiis iniquitatis. Hoc quidam malè intelligendo rapiunt res alienas, et aliquid indè pauperibus largiuntur, et putant se facere quod præceptum est. Dicunt enim, Rapere res alienas, mammona est iniquitatis ; erogare indè aliquid, maximè egentibus sanctis, hoc est facere amicos de mammona iniquitatis. Intellectus iste corrigendus est, immò de fabulis cordis vestri omninò delendus est.... De justis laboribus facite eleemosynas : ex eo quod rectè habetis date... Nolite velle eleemosynas facere de fenore et usuris.

Cap. 4. *n.* 4. Si amaveris divitias, peribis cum illis. Perde, ne pereas : dona, ut acquiras : semina, ut metas.

S. AMBROS. *Lib.* I. *de Officiis, c.* 30. *n.* 145. Non probatur largitas, si quod alteri largitur, alteri quis extorqueat : si injustè quærat, et justè dispensandum putet : nisi fortè ut ille Zachæus, (*Luc.* XIX. 8.) Reddas priùs quadruplum ei quem fraudaveris.

(T) S. AUG. *Epist.* 262. *aliàs* 199. *ad Ecdiciam, n.* 4..... Nihil de tua veste, nihil de tuo auro, vel argento, vel quâcunque pecuniâ, aut rebus ullis terrenis tuis sine arbitrio ejus (conjugis tui) facere debuisti, ne scandalizares hominem.

N. 5..... Cùm cognovisset quòd omnia, vel penè omnia, quæ habebas, nescio quibus duobus transeuntibus monachis tanquam pauperibus erogànda donaveris ; tunc ille detestans eos tecum, et non Dei servos, sed domus alienæ penerratores, et tuos captivatores et deprædatores putans, tam sanctam sarcinam (continentiæ) quam tecum subierat, indignatus abjecit. Infirmus enim erat et ideò tibi, quæ in communi consortio fortior videbaris, non erat præsumptione turbandus ; sed dilectione portan-

I. Tenenturne pauperes lege eleemosynæ ?

R. Ad impossibile nemo tenetur. Sed nemo est qui non possit aliquando eleemosynam saltem spiritualem exercere. (V) Quin et multa sunt in quibus vel pauperiores pos-

dus : quia etiamsi, ad ipsas eleemosynas largiùs faciendas, fortè pigriùs moveretur, posset, et ista condiscere, si tuis inopinatis non feriretur expensis, sed exspectatis invitaretur obsequiis : ut etiam hoc quod temerè sola fecisti, multò consultiùs dilectione concordi, multoque ordinatiùs et honestiùs ambo faceretis ; nec blasphemarentur servi Dei, si tamen hoc fuerunt qui marito absente atque nesciente, ab ignotâ muliere et ab alienâ uxore tanta sumpserunt ; et laudaretur Deus in operibus vestris, quorum esset tam fida societas, ut à vobis communiter teneretur, non solùm summa castitas, verùm etiam gloriosa paupertas.

V. 6 Nunquid tantum bonum est, quod pauperum carnem largioribus eleemosynis refecisti, quantum malum est, quod viri tui mentem à tam bono proposito subruisti ? An cujusquam tibi temporalis salus carior esse debuerat, quàm hujus æterna ? Nonne si ampliorem misericordiam cogitans, ideò pauperibus res tuas erogare differres, ne scandalizatus maritus tuus Deo periret, uberiores tibi Deus eleemosynas imputaret ?

N. 7. Neque hoc ita dicimus, ut, si quisquam scandalizatus fuerit de bonis operibus nostris, ab eis desistendum putemus ; sed alia causa est alienarum, alia necessariarum in societate aliqua personarum..... alia parentum erga filios, alia filiorum erga parentes : alia postremò ea, quæ in his rebus vel maximè intuenda est viri et uxoris, ubi mulierem conjugatam non licet dicere, Facio quod volo de meo ; cùm et ipsa non sit sua, sed capitis sui, hoc est viri sui.

S. THOMAS 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 8. *conclusio.* Sub alterius potestate constitutus de his tantùm, quorum ipse dominus est eleemosynam licitè facere potest, non autem de his quæ domini sui sunt, nisi fortè in casu extremæ necessitatis.

In corp. Ille qui est sub potestate alterius constitutus, in quantum hujusmodi, secundùm superioris potestatem regulari debet..... Et ideò oportet, quòd ea in quibus inferior superiori subjicitur, dispenset non aliter, quàm ei sit à superiori permissum. Sic ergo ille qui est sub potestate constitutus, de re secundùm quam superiori subjicitur, eleemosynam facere non debet, nisi quatenus ei à superiore fuerit commissum. Si quis verò habeat aliquid secundùm quod potestati superioris non subsit ; jam secundùm hoc non est potestati subjectus, quantum ad hoc proprii juris existens ; et de hoc potest eleemosynam facere.

Ad. 2. Dicendum quòd si uxor habet alias res præter dotem, quæ ordinatur ad sustentanda onera matrimonii, vel ex proprio lucro, vel quocunque alio licito modo, potest dare eleemosynas etiam irrequisito assensu viri : moderatas tamen, ne ex earum superfluitate vir depauperetur. Alias autem non debet dare eleemosynas sine consensu viri, vel expresso, vel præsumpto ; nisi in articulo necessitatis.

Ad. 3. Dicendum quòd ea quæ sunt filiifamilias, sunt patris : et ideò non potest eleemosynam facere : nisi fortè aliquam modicam de quâ præsumere quòd patri placeat.

(V) S. AUG. *in Psal.* CIII. *n.* 19..... Simplicem nullum spernas, et cui dare non potes quod petierit, non eum spernas : si potes dare, da ; si non potes, affabilem te præsta. Coronat Deus intùs voluntatem, ubi non invenit facultatem.

Serm. 239. *alias* 146. *de temp. in diebus Paschal.* X. *n.* 3. Eliam sanctum, famis tempore, per corvum Dominus pascebat : et quem persequebantur homines, ei serviebant aves. Afferebat servo Dei corvus manè panes et ad vesperam carnes.... Quamvis Elias non indigeret mittitur ad viduam in Sarepta, et dicitur ei, (3. *Reg.* XVII. 9.) *Vade ad illam viduam, pascet te.* Defecerat Deus, ut Elias ad viduam mitteretur ? Sed si Deus servo suo sine humano ministerio semper præberet panem, vidua undè haberet mercedem ? Mittitur ergo non indigens ad indigentem, non esuriens ad esurientem, et dicit ad eam, (*Ibid.* 11,) *Vade, et affer mihi pusillum, ut manducem.* Illa modicum habebat, quod consumptura fuerat et moritura.... Illa

sunt et corporaliter adesse proximo : quod si ex charitatis affectu fiat, eleemosyna est. Ad omnes omninò spectat præceptum charitatis. Hæc autem, si vera est, mifle habet juvandi proximi artes. (X)

non dubitavit, sed attulit. Obtulit refectionem, et meruit benedictionem. Benedixit sanctus Elias hydriam farinæ, et capsacem olei... Accessit benedictio, et vasa illa thesauri facti sunt. Laguncula facta olei est fons olei, farina parva uberrimas segetes superavit.

In Psal. CXXV. *n.* 13. Aliquando et dives invenitur pauper, et præstatur illi aliquid. Venit nescio quis ad flumen, tantò delicatior, quantò ditior, transire non potest : si nudatis membris transiret, frigesceret, ægrotaret, moreretur : accedit pauper exercitatior corpore ; trajicit divitem, eleemosynam facit in divitem..... In quo quisque pauper est, ibi illum vide : quia fortè tu in eo dives es, in quo ille pauper est, et habes undè accommodes..... Consilio indiget, tu plenus es consilio.... das consilium et præstitisti eleemosynam.... Sic se ergo tenet corpus Christi, membra socia sic compinguntur et adunantur in charitate et in vinculo pacis, cùm quisque id quod habet, præstat ei qui non habet : in eo quod habet dives est, in eo quod ille non habet pauper est. Sic vos diligite, sic vos amate. Nolite ad vos solos attendere, sed attendite indigentes circa vos.

Serm. 2. *in Psal.* XXXVI. *n.* 13. Si habet foris facultatem, dat ipsa charitas, sed ex eo quod habet ; si autem non invenit foris quod det, dat benevolentiam, præstat consilium si potest, præstat auxilium si potest : ad extremum si nec consilio nec auxilio adjuvare potest, vel voto adjuvat, vel orat pro contribulato, et fortè ipse magis exauditur, quàm qui porrigit panem. Habet semper undè det, cui plenum pectus est charitatis. Ipsa est charitas, quæ dicitur et voluntas bona. Plus à te Deus non exigit, quàm quod tibi intùs dedit. Vacare enim non potest voluntas bona.... Ipsi inter se pauperes præstant, sibi de voluntate bona.... Vides cæcum duci à vidente, quia nummos non habuit quos daret egens, commodavit oculos non habenti.

(X) *Maximis præmiis remuneratam à Deo eleemosynam legimus in Scripturis sacris.*

3. REG. XVII. 9. Surge et vade inde in Sarephta Sidoniorum, et manebis ibi : præcepi enim ibi mulieri viduæ, ut pascat te. 10. Surrexit (Elias) et abiit in Sarephta. Cumque venisset ad portam civitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, et vocavit eam, dixitque ei : Da mihi paululum aquæ in vase, ut bibam. 11. Cumque illa pergeret ut afferret, clamavit post tergum ejus, dicens : Affer mihi, obsecro, et buccellam panis in manu tuâ. 12. Quæ respondit : Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantùm pugillus capere potest farinæ in hydriâ : et paululum olei in lecytho : en colligo duo ligna, ut ingrediar et faciam illum mihi et filio meo, ut comedamus, et moriamur. 13. Ad quam Elias ait : Noli timere, sed vade, et fac sicut dixisti : verumtamen mihi primùm fac de ipsâ farinulâ subcinericium panem parvulum, et affer ad me : tibi autem et filio tuo facies posteà. 14. Hæc autem dicit Dominus Deus Israël : Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, usque ad diem in quâ Dominus daturus est pluviam super faciem terræ. 15. Quæ abiit, et fecit juxta verbum Eliæ : et comedit ipse, et illa et domus ejus : et ex illâ die 16. hydria farinæ non defecit, et lecythus olei non est imminutus, juxta verbum Domini, quod loculus fuerat in manu Eliæ. 17. Factum est autem post hæc ægrotavit filius mulieris matris-familias, et erat languor fortissimus, ita ut non remaneret in eo halitus. 18. Dixit ergo ad Eliam : Quid mihi et tibi vir Dei ? Ingressus es ad me ut rememorarentur iniquitates meæ, et interficeres filium meum ? 19. et ait Elias ad eam : Da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu ejus, et portavit in cœnaculum ubi ipse manebat, et posuit super lectulum suum. 20. Et clamavit ad Dominum, et dixit : Domine Deus meus, etiamne viduam, apud quam ego utcunque susteutor, afflixisti ut interficeres filium ejus ? 21. Et expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus, et clamavit ad Dominum, et ait : Domine Deus meus : revertatur obsecro anima pueri hujus, in viscera ejus. 22.

§. 5. De Correctione fraternâ.

I. In quo posita est fraterna correctio ?

R. In eo ut delinquentium peccata et vitia corrigantur. Quod quidem si prudenter et ex charitate fiat, utilissimum est proximo.

I. Quinam tenentur proximum corrigere ?

R. Qui præsunt aliis tenentur ex officio et justitiâ delinquentes subditos corrigere. Quin et cæteri tenentur sæpè et lege charitatis et ex præcepto Christi fraternam correctionem exercere ; quod tamen ut rectè fiat summâ prudentiâ opus est. (A)

Et exaudivit Dominus vocem Eliæ : et reversa est anima pueri intra eum, et revixit.

TOBIÆ librum *lege et revolve, maxima ibi charitatis et misericordiæ exempla invenies, et ad portenta in Tobiæ et filii ejus gratiam à Deo in præmium eleemosynarum eorum patrata obstupesces. Pauca hæc è multis excribo.*

TOB. XII. 12. Quando orabas cum lacrymis, et sepeliebas mortuos, et derelinquebas prandium tuum, et mortuos abscondebas per diem in domo tua, et nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. 13. Et quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te. 14. Et nunc misit me Dominus ut curarem te, et Saram uxorem filii tui à dæmonio liberarem. 15. Ego enim sum Raphael Angelus, unus ex septem, qui adstamus ante Dominum.

ACTOR. IX. 36. In Joppe fuit quædam discipula nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis, et eleemosynis, quas faciebat. 37. Factum est autem in diebus illis ut infirmata moreretur.. 39. Circumsteterunt (*Petrum*) omnes viduæ flentes, et ostendentes ei tunicas et vestes, quas faciebat illis Dorcas. 40. Ejectis autem omnibus foràs, Petrus ponens genua oravit, et conversus ad corpus dixit, Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos : et viso Petro resedit.

X. 1. Vir autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius.. 2. Religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper : 3. Is vidit in visu manifestè... Angelum Dei intereuntem ad se, et dicentem sibi, Corneli. 4. At ille intuens eum, timore correptus, dixit : Quid est, Domine? Dixit autem illi : Orationes tuæ, et eleemosynæ tuæ, ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. 5. Et nunc mitte viros in Joppen, et accersi Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus. 6.... Hic dicet tibi quid te oporteat facere.... 44. Adhuc loquente Petro... cecidit Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum. 45. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia et in nationes gratia Spiritûs sancti effusa est. 46. Audiebant enim illos loquentes linguis, et magnificantes Deum. 47. Tunc respondit Petrus : Numquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt sicut et nos? 48. Et jussit eos baptizari in nomine Domini Jesu Christi. *Itaque eleemosynis suis fidem accipere meruerunt.*

Eleemosynâ et charitate vincimus tentationes, et ipsum diabolum superamus, *teste* S. LEON. *Serm.* 72. *de Ascensione Domini.* 2. *c.* 5.... Nihil autem est validius, dilectissimi, contra diaboli dolos, quàm benignitas misericordiæ, et largitas charitatis, per quam omne peccatum aut declinatur, aut vincitur.

Operæ pretium erit legere tractatum R. P. THOMASSINI *Congregationis Oratorii D. J. Sacerdotis*, de Eleemosyna, *Gallice scriptum, ut et librum cui titulus :* Eleemosyna Christiana, seu traditio de Eleemosyna, *Opus Doctrinâ Christianâ et verâ pietate refertum.*

(A) LUC. XVII. 3. Attendite vobis : si peccaverit in te frater tuus, increpa illum : et si pœnitentiam egerit, dimitte illi. 4. Et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te dicens : Pœnitet me; dimitte illi.

ORIGEN. *Lib.* 9. *in Epist. ad Rom. cap.* 12. *Charitas sine simulatione.* Ego puto quòd omnis charitas quæ non est secundùm Deum, simulata sit, et veritas non sit.... Ergo... quicunque aliquid aliud dilexerit quàm Deum, et quæ Deo placent, charitas in eo ficta et simulata dicenda est. Sed et si quis proximum suum diligat, et cùm erranteni eum viderit non commoveat, non corrigat, simulata ista charitas dicenda est. Et ideò nihil habere adulatorium, nihil fucatum charitas debet.... *Odientes malum, adhærentes bono.* Mirum fortasse siquidem inter cætera bona virtutum, assumitur etiam odium, et tanquam necessariò ab Apostolo ponitur. Undè certum est inesse animæ odii affectum. Est enim laudabile odisse vitia, odisse peccata.

S. AUG. *Serm.* 82. *de verb. Evang. Matth.* 18. *cap. h. n.* 7. Injuriam... qui... passus est, quid debet facere? Quod audivimus hodiè. (*Matth.* XVIII. 15.) *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum.* Si neglexeris, pejor es. Injuriam fecit, et injuriam faciendo gravi scipsum vulnere percussit: tu vulnus fratris tui contemnis? Tu eum vides perire, vel periisse, et negligis? Pejor es tacendo, quàm ille conviciando. Quando ergo in nos aliquis peccat, habeamus magnam curam, non pro nobis, nam gloriosum est injurias obliviscì; sed obliviscere injuriam tuam, non vulnus fratris tui. Ergo *corripe eum inter te et ipsum solum*, intendens correctioni, parcens pudori. Fortè enim præ verecundia incipit defendere peccatum suum, et quem vis facere correctiorem, facis pejorem.

Serm. 385. *de Amore hominis in hom. alias* 38. *inter Homil.* 50. *cap.* 7 *n.* 8. Et si amicum tuum videris, quem amabas in hoc seculo ut salvus esset, quia tu jam talem salutem desideras quæ æterna est, ad ipsam salutem diligis amicum tuum; et totum quidquid vis amico tuo præstare, ad hoc vis præstare, ut illam tecum teneat salutem. Amas enim justitiam, vis illum esse justum: amas sub Deo esse, vis et illum esse sub Deo: amas vitam æternam, illic cum vis tecum regnare in æternum. Inimicum tuum vides illum persequi te, iniquitas est quæ te persequitur: in illo irasci debes misericordiâ: febrit in anima. Quomodò ergo amicus hujus seculi secundùm seculum amans animam suam, febrem vult expellere de amico suo, quem similiter amat ut se propter præsentem salutem: Sic tu quemcunque diligis propter vitam æternam dilige; cùm inveneris iram, indignationem, odium, iniquitatem, sic coneris expellere morbum animi, quomodo amicus seculi morbum corporis: ad hoc enim amas, ut facias quod et tu es: et erit in te perfecta charitas. Hoc si inveneris, ad hoc ama conjugem, ad hoc ama filium. ad hoc ama propinquum, vicinum, ignotum, inimicum, et erit in te perfecta charitas. Quæ si fuerit in te, vincis mundum, et pellitur foràs princeps mundi.

Tract. 7. *in primam Epist. Joan. n.* 11. Si qui fortè vultis servare charitatem, ante omnia ne putetis abjectam et desidiosam, nec quàdam mansuetudine, immò non mansuetudine, sed remissione et negligentiâ servari charitatem. Non sic servatur. Non putes tunc te amare servum tuum, quando eum non cædis; aut tunc te amare vicinum tuum, quando eum non corripis: non est ista charitas, sed languor. Ferveat charitas ad corrigendum, ad emendandum: sed si sunt boni mores, delectent; si sunt mali, emendentur, corrigantur. Noli in homine amare errorem, sed hominem: hominem enim Deus fecit, errorem ipse homo fecit. Ama illud quod Deus fecit, noli amare quod ipse homo fecit. Cùm illud amas, illud tollis: cùm illud diligis, illud emendas. Sed et si sævis aliquando, propter correctionis dilectionem..... Pater quando filium castigat, ad disciplinam castigat.... Seductor ut vendat, cum amaritudine blanditur: pater ut corrigat, sine felle castigat. Tales estote ad omnes.... Quis est qui non corrigit filium suum? Quis est cui non det disciplinam pater? et tamen sævire videtur. Amor sævit, charitas sævit: sævit quodammodo sine felle, more columbino, non corvino.

Lib. 1. *de Civit. Dei, c.* 9. *n.* 1. Plerumque enim ab eis (flagitiosis) docendis, admonendis, aliquando etiam objurgandis et corripiendis malè dissimulatur: vel cùm laboris piget, vel cùm eorum os verecundamur offendere: vel cùm inimicitias devitamus, ne impediant et noceant in istis temporalibus rebus... Ita, ut, quamvis bonis vita malorum displiceat,..... tamen quia propterea peccatis eorum damnabilibus parcunt, jure cum eis temporaliter flagellentur, quamvis in æternum minimè puniantur.

Si peccaverit in te frater tuus, verba sunt Christi, (*Matth.* XVIII. 15.) *vade et corripe eum inter te et ipsum solum : si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* 16. *Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.* 17. *Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ : si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.*

I. Quandonam correctio fraterna ex charitate fit ?

R. Cùm ad eam faciendam non cupiditate, non invidiâ, non odio, non ante occupatâ opinione ducimur ; sed eâ solùm mente ut et fungamur officio, et fratri utiles simus. (B)

I. Quandonam correctio fraterna prudenter fit ?

R. Quando in correctione facienda habetur ratio persona-

N. 3.... Ad hoc enim speculatores, hoc est, populorum præpositi constituti sunt in Ecclesiis, ut non parcant objurgando peccata. Nec ideò tamen ab hujusmodi culpa penitùs alienus est, qui, licèt præpositus non sit, in eis tamen quibus vitæ hujus necessitate conjungitur, multa admonenda, vel arguenda novit, et negligit, devitans eorum offensiones.

Serm. 46. *aliàs* 165. *de tempore*, *c.* 3. *n.* 7. Nunquid propter ipsum honorem sibi exhibitum (Paulus) ne fortè cùm argueret negaretur, et minùs ipse Apostolus laudaretur, pepercit errantibus ?.... Testimonium perhibet, quòd sicut Angelum Dei susceperint eum ; et quòd si fieri posset, oculos suos vellent eruere, et illi dare : et tamen accedit ad ovem languidam, ad ovem putridam, secare vulnus, non parcere putredini. Ergo, inquit, inimicus factus sum vobis verum prædicans.

Vide infrà Cap. 5. *hujusce Sect.* §. 2. S. BERNARD. *de adventu Domini Serm.* 3. *n.* 6.

S. THOMAS 2. 2. *Quæst.* 33. *art.* 2. Sed contra quod Augustinus dicit Serm. 16. De verbis Domini c. 4. Si neglexeris corripere, pejor eo factus es, qui peccavit. Sed hoc non esset, nisi per hujusmodi negligentiam aliquis præceptum omitteret : Ergo correptio fraterna est in præcepto.

Conclusio. Cùm fraterna correptio ad fratris emendationem ordinetur, tunc est in præcepto, quando evidens ejus ex correptione fructus.

In corp.... Correptio fraterna ordinatur ad fratris emendationem, et ideò hoc modo cadit sub præcepto, secundùm quòd est necessaria ad istum finem, non autem ita quod quolibet loco vel tempore frater delinquens corripiatur.

Ad primum.... Sic affici debemus charitatis affectu, ut omnes velimus salvos fieri : et ideò omnibus debemus fraternæ correptionis officium impendere sub spe divini auxilii.

Ad tertium. Correptio fraterna tripliciter omitti potest. Uno quidem modo meritoriè, quando ex charitate aliquis correptionem omittit... Alio modo prætermittitur fraterna correptio cum peccato mortali, quando scilicet formidatur judicium vulgi, et carnis excruciatio, vel peremptio, dum tamen hæc ita dominentur in animo, quod fraternæ charitati præponantur.... Tertio modo hujusmodi omissio est peccatum veniale, quando timor et cupiditas tardiorem faciunt hominem ad corripienda delicta fratris.

(B) D. JOAN. CHRYSOST. *in Matth. Homil.* 24. Nec enim oportet exprobrare neque insultare, sed monere : nec accusare, sed consulere : nec cum insolentia insectari, sed cum dilectione corrigere. Non enim illum, sed te profectò extremo addicis ipse supplicio, non ei parcendo, cùm oportebit de ejus delictis ferre sententiam.... Corrige quidem, sed non ut hostis, neque inimicus exigens ultionem, sed ut medicus remedia profutura conficiens. Non enim dixit, Noli cohibere peccantem : Sed, (* *Matth.* VII. 1.) Noli utique judicare : hoc est, noli effici judex amarus.

S. AUG. *Epist.* 185. *aliàs* 50. *ad Bonifacium*, *c.* 2. *n.* 7. *Vide infrà* §. 2. *Cap.* 5. *Sect.* 3. *hujusce Part. Et etiam suprà litt.* (A) *hocce* §.

rum, temporis, loci, et in ipsa correctione servatur modus ad utilitatem proximi maximè accommodatus.

I. Quis modus servandus est in ipsâ correctione ?

R. Cùm ad solius proximi utilitatem facienda correctio sit, ab ea abstinendum, si ex correctione, non emendatio proximi, sed iræ, odia, nova denique peccata secutura esse videantur. Quod tamen non semper intelligendum est de correctionibus quæ fiunt à præfectis et Judicibus : in illis enim spectatur maximè utilitas communis. (C)

(C) Proverb. ix. 7. Qui erudit derisorem, ipse injuriam sibi facit : et qui arguit impium, sibi maculam generat. 8. Noli arguere derisorem, ne oderitte. Argue sapientem, et diliget te.

S. Aug. *Lib.* 1. *de Sermone Domini in monte, c.* 20. *n.* 63. Neque hîc ea vindicta prohibetur, quæ ad correctionem valet : etiam ipsa enim pertinet ad misericordiam, nec impedit illud propositum, quo quisque paratus est ab eo quem correctum esse vult, plura perferre. Sed huic vindictæ referendæ non est idoneus, nisi qui odium, quo solent flagrare qui se vindicare desiderant, dilectionis magnitudine superaverit. Non enim metuendum est ne odisse parvulum filium parentes videantur, cùm ab eis vapulat peccans, ne peccet ulteriùs.... Non ergo quæritur, nisi ut et ille vindicet, cui rerum ordine potestas data est, et eâ voluntate vindicet, quâ pater in parvulum filium, quem per ætatem odisse nondùm potest. Hinc enim aptissimum exemplum ducitur, quo satis appareat, posse peccatum amore potiùs vindicari, quàm impunitum reliuqui : ut illum in quem vindicat non pœnâ miserum, sed correctione beatum velit; paratus tamen, si opus sit, æquo animo plura tolerare ab eo illata, quem vult esse correctum.

Lib. 1. *de Civit. Dei, cap.* 9. *n.* 2. Si propterea quisque objurgandis et corripiendis malè agentibus parcit, quia opportunius tempus inquirit, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam et piam erudiendos impediant alios infirmos, et premant atque avertant ? fide ; non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium charitatis. Illud est culpabile, quod hi, qui dissimiliter vivunt, et à malorum factis abhorrent, parcunt tamen peccatis alienis, quæ dedocere aut objurgare deberent, dùm eorum offensiones cavent.

S. Greg. Magn. *Lib.* 8. *Moral. in Job. c.* 24.... In laude hypocrita positus, si hunc quisquam corripere audeat, asperitate suâ protinùs vitam corripientis secat.... deprehensum se in pravitate irascitur, loqui sibi redarguentem prohibet : quia velut in occulto vulnere tactus dolet.... et paratior est mori quàm corripi. Redargutione deterior redditur.... Undè exasperatus protinùs in contumelias surgit.... Undè per Salomonem dicitur [*Prov.* ix. 8.] : Noli arguere derisorem, ne oderit te. Neque enim justo timendum est, ne derisor cùm corripitur, contumelias inferat ; sed ne tractus ad odium, pejor fiat.

Lib. 9. *Epist.* 9. *ad Serenum Episc. Massiliensem.* Alios qui pravi esse memorantur, paternâ adhortatione à sua pravitate compesce, et ad viam stude rectitudinis revocare. Quòd si, quod absit, salubri monitione eos videris in nullo proficere, et hos quoque curabis à te procul abjicere ; ne pravitates eorum ex eo quòd recipiuntur, displicere minimè videantur ; et non solùm ipsi inemendati remaneant, sed etiam eorum receptione alii corrumpantur. Et considera quàm et hominibus exsecrabile et periculosum ante Dei fit oculos, si per eum à quo plectenda sunt crimina, nutriri vitia videantur.

Past. curæ, p. 2. *c.* 6. Sit rector.... Contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus ; ut,.... cùm pravorum culpa exigit, potestatem protinùs sui prioratûs agnoscat,.... et erga perversos jura rectitudinis exercere non formidet.... Necesse est, ut rectores à subditis timeantur, quando ab eis Deum minimè timeri deprehendunt : ut humanâ saltem formidine peccare metuant, qui divina judicia non formidant.... Paulus... Prælatum se fratribus esse nesciebat, cùm diceret [1. *Thess.* ii. 7.] ;

Facti sumus parvuli in medio vestrùm. Et rursùm : Nos autem servos vestros per Christum. Sed cùm culpam quæ corrigi debuisset invenit, illicò magistrum se esse recoluit, dicens : (1. *Cor.* IV. 21.) Quid vultis? in virga veniam ad vos? Summus itaque locus benè regitur, cùm is qui præest, vitiis potiùs, quàm fratribus dominatur. Sed cùm delinquentes subditos præpositi corrigunt, restat, necesse est, ut sollicitè attendant, quatenùs per disciplinæ debitum culpas quidem jure potestatis feriant, sed per humilitatis custodiam æquales seipsis fratribus qui corriguntur, agnoscant : quamvis plerumque etiam dignum est, ut eosdem quos corrigimus, tacità nobis cogitatione præferamus. Illorum namque per nos vitia disciplinæ vigore feriuntur, in his verò quæ ipsi committimus, ne verbi quidem ab aliquo invectione laceramur. Tantò ergo apud Dominum obligatiores sumus, quantò apud homines inultè peccamus. Quia enim falsà pietate superatus ferire Heli delinquentes filios noluit, apud districtum judicem semetipsum cum filiis crudeli damnatione percussit. Hinc namque divinà voce ei dicitur (1. *Reg.* II. 29.) : Honorasti filios tuos magis quàm me. Hinc Pastores increpat per Prophetam dicens : (*Ezech.* XXXIV. 4.) Quod fractum est non alligastis, et quod abjectum non reduxistis. Abjectus enim reducitur cùm quisque in culpa lapsus, ad statum justitiæ ex pastoralis sollicitudinis vigore revocatur. Fracturam verò ligamen adstringit, cùm culpam disciplina deprimit : ne plaga usque ad interitum defluat, si hanc discretionis severitas non coarctat.... Undè necesse est, ut cùm peccati vulnus in subditis corrigendo restringitur, magnà se sollicitudine, etiam districtor ipse moderetur, quatenùs sic jura disciplinæ contra delinquentes exerceat, ut pietatis viscera non amittat.... Miscenda ergo est lenitas cum severitate ; faciendum quoddam ex utroque temperamentum, ut neque multà asperitate exulcerentur subditi, neque nimià benignitate solvantur.... Sit itaque amor, sed non emolliens : sit rigor, sed non exasperans : sit zelus, sed non immoderatè sæviens : sit pietas, sed non plus quàm expediat, parcens : ut.... is qui præest, corda subditorum et tenendo demulceat, et tamen ad terroris reverentiam demulcendo constringat.

S. CYRIL. ALEXAND. *Lib.* 3. *c.* 4. *in Joan. c.* 6. *v.* 26. *pag.* 296. *tom.* 4.... Prodest ergo Dominus, etiam cùm increpat ; et quos ferire putatur, iisdem ipsis beneficia conferre cernitur. Hinc statuendum est, Ecclesiarum Præsulibus, tametsi quidam eis assententur,.... illorum adulationibus cedendum non esse, nec de eorum delictis tacendum.... sed eos, quibus correctione opus est.... liberè potiùs increpandos, et ad meliorem frugem revocandos, adeoque cæteros quoque hinc juvandos, juxta illud Pauli dictum : (1. *Tim.* V. 20.) *Peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant*.... Discipulos Christus arguit, acrem et ferventem increpationem adhibens.

S. THOM. 2. 2. *Quæst.* 33. *a.* 6. Sed contra est quod dicitur, (*Prov.* IX. 8.) Noli arguere derisorem, ne oderit te, ubi dicit Glossa, Non est timendum, ne tibi derisor, cùm arguitur, contumelias inferat : sed hoc potiùs providendum, ne tractus ad odium indè fiat pejor. Ergo cessandum est à correptione fraternà, quando timetur ne fiat ille indè deterior.

Conclusio. Quanquam nunquam justitiæ correptio, quæ ad Prælatos spectat, dimittenda sit propter turbationem ejus qui corripitur ; correptio tamen charitatis fraternæ, ubi probabiliter æstimatur quòd peccator, admonitione contemptà, in pejora sit lapsurus, laudabiliter omittitur.

In corp. Duplex est correptio delinquentis. Una quidem pertinens ad prælatos, quæ ordinatur ad bonum commune, et habet vim coactivam : et talis correptio non est dimittenda propter turbationem ejus qui corripitur ; tum quia, si propriâ sponte emendari non velit, cogendus est per pœnas, ut peccare desistat : Tum etiam quia, si incorrigibilis fit, per hoc providetur bono communi : dùm servatur ordo justitiæ, et unius exemplo alii deterrentur. Undè Judex non prætermittit ferre sententiam condemnationis in peccantem, propter timorem turbationis ipsius, vel etiam amicorum ejus. Alia verò est correptio fraterna, cujus finis est emendatio delinquentis ; non habens coactionem, sed simplicem admo-

I. Quomodo in correctione habenda ratio est personarum, ut prudenter fiat ?

R. Spectanda ætas, conditio, infirmitas, indoles, cæteraque id genus, tam in corrigente, quàm in delinquente corrigendo. (D)

I. Quomodo habenda ratio temporis et loci in correctione?

R. Spectandum. 1° Num correctio facienda sit palàm et publicè, an secretò. 2° Num in ipso actu peccati : an verò satiùs sit eam in tempus aliud differre, cùm liber animus peccantis ab æstu cupiditatis fuerit. Uno verbo faciendum pro tempore et loco quod magis è re proximi fuerit. (E)

nitionem. Et ideò ubi probabiliter æstimatur quòd peccator admonitionem non recipiat, sed ad pejora labatur, est ab hujusmodi correptione desistendum.

(D) 1. TIMOTH. v. 1. Seniorem ne increpaveris : sed obsecra ut patrem ; juvenes, ut fratres : 2. Anus, ut matres ; juvenculas, ut sorores, in omni castitate.... 20. Peccantes coram omnibus argue : ut et cæteri timorem habeant.

(E) MATTH. XVIII. 15. 17. *Vide suprà hocce* §. *Respons.* 2.

1. TIMOTH. v. 1. *Vide suprà litt.* (D) *hujusce* §.

S. AUG. *Serm.* 82. *aliàs* 16. *de verbis Domini c.* 4. *n.* 7. *Vide suprà litt.* (A) *hocce* §.

Lib. 9. *Confess. c.* 9. *n.* 19. (Monica) viro servivit veluti domino, et satagit eum lucrari tibi, loquens te illi moribus suis, quibus illam pulchram faciebas et reverenter amabilem, atque mirabilem viro.... Erat verò ille præterea sicut benevolentià præcipuus, ita irà fervidus. Sed noverat hæc non resistere irato viro, non tantùm facto, sed ne verbo quidem. Jam verò refracto et quieto, cùm opportunum videret, rationem facti sui reddebat, si fortè ille inconsiderantiùs commotus fuerat. Deniquè cùm matronæ multæ quarum viri mansuetiores erant, plagarum vestigia, etiam dehonestatâ facie gererent, inter amica colloquia illæ arguebant maritorum vitam, hæc earum linguam, veluti per jocum graviter admonens, ex quo illas tabulas quæ matrimoniales vocantur, recitari audissent, tanquam instrumenta, quibus ancillæ factæ essent, deputare debuisse ; proindè memores conditionis, superbire adversùs dominos non oportere. Cùmque mirarentur illæ scientes, quàm ferocem conjugem sustineret, nunquam fuisse auditum, aut aliquo indicio claruisse, quòd Patricius cæciderit uxorem, aut quòd à se invicem vel unum diem domesticâ lite dissenserint, et causam familiariter quærerent, docebat illa institutum suum, quod suprà memoravi. Quæ observabant, expertæ gratulabantur : quæ non observabant, subjectæ vexabantur.

Serm. 82. *aliàs* 16. *de verbis Domini c.* 7. *n.* 10. Quia secretum fuit, quando in te peccavit ; secretum quære, cùm corrigis quòd peccavit. Nam si solus nosti quia peccavit in te, et eum vis coram omnibus arguere, non es corrector, sed proditor.... Ergo ipsa corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus : ipsa corripienda sunt secretiùs, quæ peccantur secretiùs.

Epist. 211. *Ad Sanctimoniales, aliàs* 109. *n.* 11. Si oculi petulantiam in aliquâ vestrûm adverteritis, statim admonete, ne cœpta progrediantur, sed ex proximo corrigantur. Si autem et post admonitionem iterùm vel aliocunque die id ipsum eam facere videritis, jam velut vulneratam sanandam prodat quæcunque invenire potuit hoc, priùs tamen et alteri vel tertiæ demonstratam, ut duarum vel trium possit ore convinci, et competenti severitate coerceri. Nec vos judicetis esse malevolas, quando hoc indicatis. Magis quippè innocentes non estis, si sorores vestras, quas indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim soror tua vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari, cùm timeret secari, nonne crudeliter abs te sileretur, et misericorditer indicaretur ?

I. Quâ ratione facienda correctio est?

R. Mille corrigendi modos charitas habet. (F) Lenis quandoque correctio adhibenda, quandoque gravis, et dura. Proficit quandoque ira, aliquando nocet. Arguendum, obsecrandum, increpandum, blandiendum, sæviendum, minitandum, objurgandum. (G) Uno verbo quod pro tempore et loco et pro ratione peccati et peccantis ad utilitatem proximi maximè conducit, id prudenter, et cautè faciendum.

I. Quomodo affectus debet esse qui corrigit?

R. Præter prudentiam et charitatem requiritur in corrîgente humilitas, et studium orationis.

Quantò ergo potiùs cùm debes manifestare, ne perniciosiùs putrescat in corde? Sed antequam aliis demonstretur, per quas convincenda est si negaverit, Præpositæ debet ostendi, si admonita neglexerit corrigi, ne fortè possit secretiùs correpta non innotescere cæteris. Si autem negaverit, tunc neganti adhibendæ sunt aliæ ut jam coram omnibus possit, non ab unâ teste argui, sed à duabus, tribusve convinci. Convicta verò, secundùm Præpositæ, vel Presbyteri arbitrium, debet emendatoriam sustinere vindictam; quam si fortè recusaverit, et si ipsa non abscesserit, de vestrâ societate projiciatur. Non enim et hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestiferâ plurimas perdat.

S. Joan. Chrysost. *Homil.* 61. *in Matth.* Inter duos solummodò redargutionem fieri jubet, ne scilicet testimonio multitudinis graviore accusatione visâ, dedignatus ille, duriorem se ad corrigendum præbeat.

S. Ambros. *Enarrat in Psal.* xxxvii. *n.* 8. Qui sanari vult, argui non reformidat: sed in verbo Dei.... Non vult erudiri in ira, sed in doctrina.

Exposit. Evang. sec. Luc. lib. 8. *n.* 21. (*Matth.* xviii. 15.) *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum.* Plus enim proficit amica correptio, quàm accusatio turbulenta: illa pudorem incutit, hæc indignationem movet. Servetur potiùs quod prodi metuat, qui monetur. Bonum quippè est ut amicum magis te qui corripitur credat, quàm inimicum; faciliùs enim consiliis acquiescitur, quàm injuriæ succumbitur. Undè et Apostolus: (* 2. *Thess.* iii. 15.) Corripite, inquit, ut fratrem, ut erubescat, non ut inimicum eum existimetis. Infirmus enim custos diuturnitatis est timor: pudor autem bonus magister officii; qui enim metuit, reprimitur, non emendatur: quem pudet facere, in naturam vertit.

N. 22. Pulchrè autem posuit: *Si peccaverit in te*; non enim æqua conditio in Deum, hominemque peccare. Denique Apostolus, qui divini est verus interpres oraculi: (* *Tit.* iii. 10.) *Hæreticum*, inquit, *post unam correptionem devita*, quia non est æquè perfidia ut culpa, veniabilis. Et quoniam plerumque per imperitiam error obrepit, corripiendum præcepit; ut aut pertinacia vitetur, aut prolapsio corrigatur.

(F) S. Aug. *Lib. de Catechizandis rudibus cap.* 15. *n.* 23. Cùm eadem omnibus debeatur charitas, non eadem est omnibus adhibenda medicina: ipsa item charitas alios parturit, cum aliis infirmatur; alios curat ædificare, alios contremiscit offendere; ad alios se inclinat, ad alios se erigit; aliis blanda, aliis severa; nulli inimica, omnibus mater.

(G) 2. Timoth. iv. 2. Prædica verbum, insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa, in omni patientia et doctrina.

Tit. i. 12.... Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. 13. Testimonium hoc verum est. Quam ob causam increpa illos durè, ut sani sint in fide.

S. Aug. *Serm.* 13. *cap.* 7. *n.* 8. Adhibeantur pœnæ, non recuso, non interdico; sed animo amantis, animo diligentis, animo corrigentis.

N. 9. Non enim filium tuum non erudis. Et priùs agis, ut, si fieri potest, pudore et liberalitate erudiatur, erubescat patrem offendere, non tanquam severum judicem timeat: gaudes ad talem filium.

Cap. 8. Sed si fuerit fortè ista contemnens, adhibes et verbera; inculis

pœnam, ingeris dolorem, sed quæris salutem. Multi amore, multi timore correcti sunt : sed per tremorem timoris ad amorem pervenerunt.

Serm. 46. *aliàs* 165. *de tempore. c.* 3. *n.* 7. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (A)

Epist. 63. *aliàs* 240. *ad Severum. n.* 1. Scripsisti te mirari, nos cum dolore nostro tolerare voluisse, quod correctione emendari potuisset : quasi non sint dolenda quæ malè facta sunt, etiam si quantùm possunt, posteà corriguntur ; aut non id maximè tolerandum sit, quòd cùm manifestum sit perperàm factum, fieri non possit infectum.

N. 2. Audi etiam quid objurgando, quid monendo, quid orando correxerimus.... Objurgando correximus ipsum qui tibi non obtemperavit.... Cùm enim omnes objurgantibus nobis hæc omnia non rectè facta esse confessi sunt, et ut sibi ignosceretur rogaverunt; nimis superbè ageremus si non crederemus esse correctos. Neque enim agere poterant ut facta non essent : sed nec nos alliud objurgando agebamus, nisi ut se malè egisse cognoscerent et dolerent. Monendo autem correximus ,.... omnes, ut deinceps talia non auderent, ne iram Dei experirentur.... Orando autem correxeramus nos ipsos, ut et gubernationes, et exitus nostrorum consiliorum misericordiæ Dei commendaremus, et si quid indignationis nos momorderat, sub illius medicinalem dexteram confugiendo sanaremur. Ecce quàm multa partim objurgando, partim monendo, partim orando correxeramus.

Epist. 138. *aliàs* 5. *ad Marcellinum. c.* 2. *n.* 14. Sunt ergo ista præcepta patientiæ semper in cordis præparatione retinenda, ipsàque benevolentiâ, ne reddatur malum pro malo, semper in voluntate complenda est. Agenda sunt autem multa, etiam cum invitis benignâ quadam asperitate plectendis, quorum potiùs utilitati consulendum est, quàm voluntati.... Nam in corripiendo filio quamlibet asperè, nunquàm profectò amor paternus amittitur. Fit tamen quod nolit et doleat, qui etiam invitus videtur dolore sanandus.... Nam cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur, quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium, quâ pœnalis nutritur impunitas, et mala voluntas velut hostis interior roboratur,... Misericorditer enim, si fieri posset, etiam bella gererentur à bonis, ut licentiosis cupiditatibus domitis hæc vitia perderentur, quæ justo imperio vel exstirpari vel premi debuerunt.

Tract. 7. *in* 1. *Epist. Joan. n.* 2. *vide hocce* §. *litt.* (A)

Serm. 3. *in Psal.* CIII. *n.* 19. Charitas etsi irascitur aliquando, ut corrigat, non tenetur rea : quia non inveteravit ira, ut verteretur in odium.

Enarr. in Psal. CXXXII. *n.* 8. Attende Stephanum. Sæviebat in illo charitas : sæviebat in eos, cùm audirent ; rogavit pro eis, cùm lapidarent. Quid enim ait, cum audirent ? (*Act.* VII. 51.) Durâ cervice et incircumcisi corde et auribus, vos semper resistitis Spiritui sancto..... Nunquid adulavit ? Nunquid timuit ? Illi cùm audirent ista, quæ in illos dicebantur : (quasi sæviebat enim Stephanus, sæviebat ore, corde diligebat ; et non est victa charitas ipsa in eo. Nam illi) abhorrentes à verbo, tanquàm tenebræ fugientes à lumine, ad lapides currere cœperunt, Stephanum lapidare. Sicut anteà Stephani verba lapidabant illos, sic posteà lapides eorum Stephanum. Quando debuit plus irasci Stephanus, quando lapidabatur, an quando audiebatur ? Ecce mitis factus est cùm lapidaretur, et sæviebat cùm audiretur. Quare sæviebat cùm audiretur ? Quia mutare voluit eos, à quibus audiebatur.

S. AMBROS. *Serm.* 15. *in Psal.* CXVIII. *n.* 39. Est durus ergo zelus charitatis, qui non cedat inferis : cùm pro Dei zelo unusquisque nec suis parcat.

D. JOAN. CHRYSOST. *Comment. in Epist. Pauli ad Hebræ. cap.* XII. *homil.* 30. Si videris amicum fornicantem, dic ad eum : Rem malam agis, non erubescis, non confunderis ? Malum hoc est. Quid autem, inquis ? Ipse malum esse illud opus non ignorat. Ita est, sed cupiditate pertrahitur. Nam et qui in ægritudine detinetur, scit verè quia frigida aqua malum est, si potetur : verumtamen opus habet qui eum prohibeat. Nam cùm quisque in passione detinetur, non facilè sibi solus ipse sufficiet. Oportet igitur te qui salvus es, ad alterius medicinam operam tuam conferre.... Interim noli scrupulosus esse in verbis, quocunque facto retine illum ab actibus malis, et revoca. Assuescat non ire ad illum tartarum, sive propter te, sive propter aliud aliquid. Et cùm assuescere feceris eum illuc

I. Cur humilitas ?

R. Ne per superbiam pereat qui vult fratrem suum ab alio peccato revocare. Timendum est enim ne meliorem se peccante putet, ipsumque contemnat qui correctionem exercet. Hoc autem superbiæ genus periculosissimum. (H)

non pergere, tunc poteris paululùm respirantem docere meliora. Et quia oportet propter Deum hoc observare, et non propter hominem, non velis in eo subito cuncta corrigere, alioqui minùs id poteris : sed paulatim gere, ne repentinâ correctione prægravetur. Si videris aliquem ad convivia comessationis et ebrietatis plena pergentem, etiam tunc similiter age, et ipsum vicissim cohortare, ut si quod in te vitium viderit, adjuvet, et corrigat et admoneat. Sic enim et in seipso correctionem tuam patientissimè tolerabit, cùm viderit te etiam opus habentem correctione, et non veluti perfectum in omnibus, neque veluti Doctorem sed veluti amicum, et fratrem auxilium conferentem.... Neque qui corripit, sicut qui pronuntiat, aut prædicat, hoc faciat, et divulgans magis quàm monens; sed seorsùm cum lenitate multâ : multâ quippè lenitate opus habet qui corripit, ut qui corripitur æquanimiter toleret sectionem.... Sic enim oportet correptiones efficere, ut et qui corripiuntur, non resiliant. Itaque etiam si sint ferenda probra, aut plagæ, non recusabimus.... Omnia namque qui corripit, ad illius qui corripitur utilitatem et tolerare debet et facere, respiciens ad mercedem quæ tali voluntati reposita reservatur.

Homil. 31. *ex cap.* IX. Sit ergo talis mulier quàm descripsimus, eamque velit vir ejus omni curâ et studio ad meliorem mentem reducere. Quonam igitur modo id peraget? Si non universa scilicet simul imperabit, sed faciliora, eaque priùs, quibus illa minùs occupata est. Nam si cuncta ab initio in melius vertere volueris, nihil efficies. Non ergo statim aureis ornamentis ipsam privabis, habeat interim atque utatur : nam id minus esse malum videtur, quàm depicta fucataque facies. Picturam ergo priùs auferas, idque non terrore, nec minis facias, sed miti jucundaque suasione, partim alias accusando, partim tuo judicio atque auctoritate improbando : fac ut à te sæpè audiat non placere tibi fucatas facies mulierum, sed quòd supra modum averseris : et persuade quòd nulla res te æque urat, cui tuæ sententiæ, aliorum quoque opinionem accommodas, quòd etiam venustas ea res solita sit deturpare, ut ita vitium eximas. Intereà nihil adhuc de gehenna dixeris, nihil de Regno cœlorum, nequicquàm enim hoc dices : sed persuade ipsi magnà te affici voluptate, cùm talem ejus faciem videas, qualis à Deo creata est : faciem verò corruptam et alienam à natura sua rubricà vel cerussà plenam, apud homines bonos vulgò improbari. Priùs igitur his tritis rationibus et communi sententiâ, morbum ab anima ejus extermina. Et postquàm his verbis permulseris, de inferno etiam ac cœlo dicito, nec semel, sed iterùm atque iterùm hæc disserere non graveris : non odio aut irâ, sed cum amore et lætitia, nunc adulando, nunc quasi ex fastidio oculos avertendo, nunc colendo.... Sufferamus interim cætera, ut unum solum consequamur : quod cùm habebimus, ad aliud hac viâ progrediemur, ac ita pariter, similique modo de aureis ornamentis disputabis : si paulatim sic animum uxoris tuæ formaveris, pictor eris optimus, servus fidelis, probus agricola.

Legenda S. GREGOR. MAGN. *Pastor. curæ Pars* 3. *Saltem quæ ex ea decerpsimus infrà Parte* 3. *Sect.* 1. *Cap.* 7. §. 11.

(H) GALAT. VI. 1. Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris. 2. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis Legem Christi.

S. AUG. *in Exposit. Epistolæ ad Galatas*, *n.* 56. Nihil autem sic probat spiritalem virum, quàm peccati alieni tractatio, cùm liberationem ejus potiùs quàm insultationem, potiùsque auxilia quàm convicia meditatur, et quantùm facultas tribuitur suscipit. Et ideò dicit.... (*Gal.* VI. 2.) *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis instruite hujusmodi.* Deindè ne sibi quisque videatur instruere, etiam cùm pro-

tervè exagitat irridetque peccantem, aut superbè tanquam insanabilem detestatur, *In spiritu*, inquit, *mansuetudinis, intendens teipsum ne et tu tenteris.* Nihil enim ad misericordiam sic inclinat, quàm proprii periculi cogitatio. Ita eos nec deesse voluit fratrum correptioni, nec studere certamini.... Pax igitur et dilectio, communis periculi cogitatione, in corde ferventur: modus autem sermonis, sive acriùs, sive blandiùs proferatur, sicut salus ejus quem corrigis postulare videtur, moderandus est. Nam et alio loco dicit, (2. *Tim.* II. 24.) *Servum autem Domini litigare non oportet:* sed mitem esse ad omnes, docibilem, patientem. Et ne quisquam ex eo putet cessandum sibi esse à correptione erroris alterius, vide quid adjungat, (*Ibid.* 25.) *in modestiâ corripientem* diversa sentientes. Quomodò in modestiâ, quomodò corripientem, nisi cùm lenitatem corde retinemus, et aliquam medicamenti acrimoniam verbo correptionis adspergimus? Nec aliter accipiendum video quod in eadem Epistola positum est, (2. *Tim.* IV. 2.) *Prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, hortare, increpa in omni longanimitate et doctrinâ.* Importunitas enim opportunitati utique contraria est: neque omninò ullum medicamentum sanat, nisi quod opportunè adhibueris.... Ut tunc opportunus sentiaris, cùm instas ædificando: cùm autem destruis arguendo, non cures etiam si importunus videaris, si hoc est talibus importunum.... Hortare cùm opportunè instas, increpa cùm importunè arguis.... cum omni longanimitate ad sustinendas indignationes eorum quos destruis, et doctrinâ ad instruenda eorum studia quos ædificas.... insta opportunè; quod si hoc modo non proficis, importunè. Ita intelligendum est, ut tu opportunitatem omninò non deseras, et sic accipias quod dictum est, Importunè, ut illi videaris importunus, qui non libenter audit quæ dicuntur in eum: tu tamen scias illi esse opportunum, et dilectionem curamque sanitatis ejus animo teneas mansueto et modesto et fraterno. Multi enim posteà cogitantes quæ audierint, et quàm justa audierint, ipsi se graviùs et severiùs arguerunt; et quamvis perturbationes à medico viderentur abscedere, paulatim verbi vigore in medullas penetrante, sanati sunt: quod non fieret, si semper exspectaremus periclitantem putrescentibus membris, quando eum liberet aut uri aut secari....

N. 57. Nunquam itaque alieni peccati objurgandi suscipiendum est negotium, nisi cùm internis interrogationibus examinantes nostram conscientiam, liquidò nobis coram Deo responderimus, dilectione nos facere. Quod si convicium, vel minæ, vel etiam persecutiones ejus quem arguëris, lacëraverint animum, si adhuc ille per te sanari posse videbitur; nihil respondeas donec saneris prior: ne fortè carnalibus motibus tuis ad nocendum consentias, et exhibeas linguam tuam arma iniquitatis peccato ad reddendum malum pro malo, aut maledictum pro maledicto. Quidquid enim lacerato animo dixeris, punientis est impetus, non charitas corrigentis. Dilige, et dic quod voles: nullo modo maledictum erit quod specie maledicti sonuerit, si memineris, senserisque te gladio verbi Dei, liberatorem hominis esse velle ab obsidione vitiorum. Quod si fortè ut plerumque accidit dilectione quidem talem suscipis actionem, et ad eam corde dilectionis accedis, sed inter agendum subrepserit aliquid, dùm tibi resistitur, quod te auferat ab hominis vitio percutiendo, et ipsi homini faciat infestum; posteà te lacrymis lavantem hujusmodi pulverem, multò salubriùs meminisse oportebit, quàm non debeamus super aliorum superbire peccata, quando in ipsâ eorum objurgatione peccamus, cùm faciliùs nos ira peccantis iratos, quàm miseria misericordes facit.

Serm. 88. *aliàs* 18. *de verbis Domini*, *c.* 18. *n.* 19.... Nec negligentes sitis in corrigendis vestris, ad curam scilicet vestram quoquo modo pertinentibus, monendo, docendo, hortando, terrendo. Quibuscunque modis potestis agite: nec.... efficiamini pigri ad corrigendos malos. Duobus modis non te maculat malus: si non consentias, et si redarguas: hoc est, non communicare, non consentire.... Hoc nos admonens Apostolus, ait: (*Ephes.* V. 11.) *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum.* Et quia parum erat non consentire, si sequeretur negligentia disciplinæ: (*Id. Ibid.*) *Magis autem*, inquit, *et redarguite.* Quid est, *Nolite communicare?* Nolite consentire, nolite laudare, nolite approbare? Quid est, *Magis autem et redarguite?* Reprehendite, corripite, coërcete.

I. Cur debet esse in corrigente studium orationis ?

R. Quia correctionem debet oratio præcedere et sequi, ut, Deo juvante, fiat utilis correctio sive correcto, sive corrigenti. (I)

I. Quomodo correctionem debet accipere qui corrigitur ?

R. Audienda correctio est cum humilitate, cum docilitate, cum patientia ; etiamsi, quod temerè non suspicandum, non omninò servatæ fuissent in corrigendo, charitatis vel prudentiæ leges. (K)

N. 20. Deindè in ipsa correctione, vel coërcitione alienorum peccatorum cavendum est, ne se extollat qui alterum corripit ; et Apostolica illa cogitanda sententia est : (1. *Cor.* x. 12.) *Qui se putat stare, videat ne cadat.* Foris terribiliter personet increpatio, intùs lenitatis teneatur dilectio... Neque ergo consentientes sitis malis, ut approbetis ; neque negligentes, ut non arguatis ; neque superbientes, ut insultanter arguatis.

Lege ejusd. D. CHRYSOST. *Homil in Epist. ad Hebræos suprà litt.* (G) *hujusce* §.

S. ISIDOR. HISPAL. *Sent. lib.* 3. *c.* 46. Doctores boni ea quæ malè acta sunt resecant, ut ea quæ admitti possunt ne perpetrentur, doctrinâ succurrente præveniant. Qui blando sermone castigatus non corrigitur, acriùs necesse est ut arguatur : cum dolore enim abscindenda sunt, quæ leniter sanari non possunt. Qui admonitus secretè de peccato corrigi negligit, publicè arguendus est : ut vulnus quod occultè sanari nescit, manifestè debeat emendari... manifesta peccata non sunt occultâ correptione purganda. Palàm enim sunt arguendi, qui palàm nocent ; ut dùm apertâ objurgatione sanantur, hi, qui eos imitando deliquerunt, corrigantur. Dum unus corripitur, plurimi emendantur. Necesse est enim ut pro multorum salvatione unus condemnetur, quàm per unius licentiam multi periclitentur. Ita erga delinquentem sermo est proferendus, sicut ejus qui corripitur expostulat salus. Quòd si opus est aliquam salutem medicamenti verbo increpationis aspergere, lenitatem tamen corde opus est retinere. Doctores nonnunquam duriùs feriunt increpationibus subditos : qui tamen à charitate eorum quos corripiunt non recedunt... Notandum est vehementer ab omni Pontifice, ut tantò cautiùs erga commissos agat, quantò duriùs à Christo se judicari formidat : nam sicut scriptum est : *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* (*Matth.* VII. 2.)

S. BERNARD. *Serm.* 3. *de Annuntiatione. B. M. n.* 2. Meruit quidem adultera lapidari : sed is punire gestiat, qui dignus non est etiam puniri. Is præsumat à peccatrice exigere ultionem, qui eamdem accipere non meretur. Alioquin ipse sibi vicinior à se incipiat : in se priùs sententiam ferat, exerceatque vindictam.

(I) S. JOAN. CHRYSOST. *Homil. de Profectu Evangelii.* Poterimus.... alios corrigere, si ad preces semper confugiamus, et oremus Deum, ut det sermonem sapientiæ, et intellectum auditûs, certamque et indeprædabilem hujus depositi custodiam. Sæpe enim contingit, ut quæ studio nostro corrigere non possumus, ea per preces efficere valeamus, per preces, inquam, perpetuas.

S. AUG. *Lib. de correptione et gratiâ, c.* 14. *n.* 43. Patiantur ergo homines se corripi quando peccant, nec de ipsâ correptione contra gratiam argumententur, nec de gratiâ contra correptionem : quia et peccatis justa pœna debetur, et ad ipsam pertinet justa correptio, quæ medicinaliter adhibetur, etiam si salus ægrotantis incerta est : ut si is qui corripitur ad prædestinatorum numerum pertinet, sit eis correptio salubre medicamentum ; si autem non pertinet, sit ei correptio pœnale tormentum. Sub isto ergo incerto ex charitate adhibenda est, cujus exitus ignoratur ; et pro illo cui adhibetur, orandum est ut sanetur.

(K) PROV. XV. 5. *Vide infrà in Respons. ult. hujusce* §.

ECCLI. IV. 30. Non contradicas verbo veritatis ullo modo, et de mendacio ineruditionis tuæ confundere.

I. Quid causæ est cur ut plurimùm tantoperè abhorreant à correctione accipienda ?

R. Non alia causa est quàm quòd homines sunt superbi, cupidi, subditi peccatis, (* *Prov.* XXIX. 1.) *Viro, qui corripientem durâ cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus, et eum sanitas non sequetur.* Verba sunt Salomonis in Proverbiis. Superiùs dixerat in libro eodem : (*Id.* XV. 5.) *Stultus irridet disciplinam patris sui : qui autem custodit increpationes, astutior fiet.* Et paulò post ; (*Ibid.* 10.) *Qui odit increpationes, morietur.* Plurima id genus habentur in scripturis. (L)

§. 6. De condonatione Offensarum.

I. Tenenturne Christiani condonare offensas ?

R. Tenentur omninò ; neque alia ratio est accipiendi à Deo remissionem eorum quæ in ipsum peccavimus. (*Matth.* XVIII. 35.) *Si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris,* (*Id.* VI. 15.) *nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Sic loquitur Christus.

I. In quo posita est offensarum condonatio ?

R. In eo ut adversùs eum à quo injuriam accipimus nullum animo retineamus odium, nullum desiderium ultionis, nullam simultatem : imò eum sincerè diligamus ut fratrem; et dilectionis veritatem opere comprobemus. (A)

x. 28. Vir prudens et disciplinatus non murmurabit correptus.

xx. 4. Quam bonum est correptum manifestare pœnitentiam ? Sic enim effugies voluntarium peccatum.

S. Aug. *Lib.* 2. *de Trinit. Proœmio, n.* 1. Magis optabo à quolibet reprehendi, quàm sive ab errante, sive ab adulante laudari. Nullus enim reprehensor formidandus est amatori veritatis. Etenim aut inimicus reprehensurus est aut amicus : si ergo inimicus insultat, ferendus est : amicus autem si errat, docendus ; si docet, audiendus. Laudator verò et errans confirmat errorem, et adulans illicit in errorem. (* *Psal.* CXI. 5.) *Emendabit ergo me justus in misericordia et arguet me, oleum autem peccatoris non impinguabit caput meum.*

(L) *Quæ correptionem fraternam spectant pertractata sunt in libro* de Correptione fraterna, *qui anno* 1676. *Parisiis prodiit in forma* 12. *Hunc legere juvat.*

(A) Matth. v. 43. *Vide suprà* 2. 3. *hujusce Cap. litt.* (A)

vi. 12. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris..... 14. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. 15. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.

xviii. 21... Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? Usque septies ? 22. Dicit illi Jesus : Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. 23. Idcò assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationes ponere cum servis suis. 24. Et... oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta. 25. Cùm autem non haberet undè redderet, jussit eum Dominus ejus venundari, et uxorem ejus, et filios, et omnia quæ habebat, et reddi. 26. Procidens autem servus ille orabat eum, dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. 27. Misertus autem Dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei. 28. Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios : et tenens suffocabat eum dicens : Redde quod debes. 29. Et procidens conservus ejus, rogabat eum, dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. 30. Ille autem noluit : sed abiit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum. 31. Videntes autem conservi

ejus quæ fiebant, contristati sunt valdè : et venerunt et narraverunt Domino suo omnia quæ facta fuerant. 32. Tunc vocavit illum Dominus suus, et ait illi : Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me : 33. Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum ? 34. Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. 33. Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

EPHES. IV. 32. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.

COLOSS. III. 12. Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem humilitatem, modestiam, patientiam : 13. Supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversùs aliquem habet querelam : sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos.

S. AUG. *Enarrat in Psal.* LIV. *n.* 14. Est et alia usura pejor ; quando non dimittis quod tibi debetur ; et turbatur oculus in illo versu orationis, (*Matth.* IV. 12.) *Dimitte nobis debita nostra.* Quid enim ibi facturus es, quando oraturus es, et ad ipsum versum venturus ? Verbum contumeliosum audisti : vis exigere damnationis supplicium. Vel tantùm exige, quantum dedisti, fenerator injuriarum. Pugno percussus es, interfectionem quæris. Usura mala. Quà iturus es in orationem ? Si reliqueris orationem, quà circumiturus es ad Dominum ? Ecce dices *Pater noster*, etc... Ven es ad, *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Vel in civitate illa mala abundent usuræ istæ, non intrent parietes istos ubi pectus tunditur. Quid facies ? quia ibi tu et ille versus in medio estis ? Preces tibi composuit cœlestis jurisperitus ; qui noverat quid ibi ageretur, ait tibi, Aliter non impetrabis : Amen dico vobis, quia (* *Matth.* VI. 14. 15.) *si dimiseritis peccata hominibus, dimittentur vobis ; si autem non dimiseritis peccata hominibus, neque Pater vester dimittet vobis.* Quis hoc dicit ? Qui scit quid ibi agatur, quo tu adstans petis. Vide quòd voluit esse ipse advocatus tuus : ipse jurisperitus tuus, ipse assessor Patris, ipse judex tuus dixit, Aliter non accipies. Quid facturus es ? Non accepturus, si non dicturus ; non accepturus, si falsum dicturus. Ergo aut facturus et dicturus, aut quod petis non promeriturus : quia qui hoc non faciunt, in usuris illis sunt malis. Sint ibi illi qui adhuc idola aut adorant, aut quærunt : noli tu plebs Dei, noli plebs Christi, noli corpus illius capitis. Attende vinculum pacis tuæ, attende promissum vitæ tuæ. Quid enim tibi prodest, quia exigis injurias quas pertulisti ? Ultio te reficit ? Ergo de malo alieno gaudebis ? Passus es malum, ignosce, ne duo sitis. (*subaudi* mali)

S. AMBROS. *Expos. in Psal.* CXVIII. *Serm.* 10. *n.* 41. Si reddidi retribuentibus mihi mala. Numquid hic maledicit iis, qui in se iniqua gesserunt ? Non utique. Videbat enim charitatem etiam inimicissimis deferendam, cùm venisset Evangelii prædicator. Undè arbitror quia quasi medicus velit eos ipsos sanare qui læserint ; ut iniquitatis suæ contemplatione conventi, de propriis flagitiis erubescant : in quo non solùm propheticam incipiunt probare patientiam, verùm etiam emendare suam insolentiam.

Serm. 12. *n.* 51. Induamus (* *Coloss.* III. 12.) *viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam.* O homo, quàm latus es, si ad amplitudinem præceptorum cœlestium sinum mentis tuæ expandas ? Quàm latum mandatum est charitatis ! (*Matth.* V. 44.) *Diligite*, inquit, *inimicos vestros.* Omnes utique in affectu charitatis inclusit, qui non exclusit inimicos. Quis enim videtur exceptus, cùm recipiatur inimicus ? Unde Apostolus, (*Rom.* XII. 18.) *Si fieri*, inquit, *potest... cum omnibus hominibus pacem habentes.* Non potest hoc Judæis dici, non Gentibus, ut cum omnibus pacem habeant. Illi vix suos diligunt : Christiano etiam inimicos non licet non amare. Christianum cùm dico, perfectum dico... Audi latum mandatum : (*Ibid.* 44.) *Benedicite eos qui persequuntur vos... et nolite maledicere.* Iste ipse qui latum dicit esse mandatum, probavit suprà dicens : (*Ps.* CVIII. 4.) *Illi quidem detrahebant, ego autem orabam.*

In Expos. Evang. sec. Luc. lib. 5. *n.* 73. (*Exod.* XXI. 24.) Lex vicissitudinem imperat ultionis, Evangelium inimicitiis charitatem, benignitatem odiis, vota maledictis, subsidia persequentibus, patientiam esurienti-

I. Hujus præcepti lege tenemurne eos adire à quibus injurias accepimus, ut significemus ipsis nihil nobis superesse ex accepta injuria simultatis, imò amicos nos esse, et reconciliationem gratiæ esse factam?

R. Qui in fratrem peccavit, debet is prior alterum adire, ab eo in gratiam recipiendus. Sufficit illi, qui læsus est, interiùs condonare offensam, sicque affectum esse, ut præstò sit venientem fratrem recipere, et petenti veniam, exteriùs reconciliari. (B)

bus, et gratiam remunerationis impertit. Quantò athleta perfectior, qui non sentit injuriam?

N. 74. Et ne videatur Dominus Legem dissolvere, in beneficiis vicem servat, quam negligit in injuriis. Sed tamen dicendo: (*Luc.* VI. 31.) *prout vultis ut faciant vobis homines, facite et vos illis similiter*, vicissitudo ipsa cumulatior est, quando votis actus æquatur. Nescit enim virtus mensuram gratiæ: nec contenta referre quod acceperit, vult cumulare quod sumpsit, ne inferior sit beneficio, licèt æquetur officio.

N. 75. Bono itaque exemplo imbuitur Christianus; ut non contentus jure naturæ, gratiam ejus requirat. Si enim commune est omnibus, etiam peccatoribus redamare: cui genus professionis excelsius, studium quoque debet esse virtutis uberius; ut diligat etiam non amantes. Nam etsi nulla merita diligendi usum amoris excludant; non tamen virtutis excluserint. Sicut enim in eo qui te diligit, pudet gratiam non referre; et gratiæ amore referendæ amor tibi ejus inolescit, quem anteà non amabas; ita etiam in eo qui non amat, debes amare virtutem; ut dùm virtutem amas, incipias eum amare quem non amas: cùm rara et caduca remuneratio sit amantis, sempiterna virtutis.

N. 76. At verò Dominus Jesus Legis oraculum, ac Philosophiæ fastigium supergressus, in eos quoque qui læserint, pietatis porrexit officium. Etenim si hostis qui tecum bello armisque certaverit, depositis armis, misericordiam suæ salutis adipiscitur, idque plerumque vel contemplatione naturæ, vel ipsius belli jure defertur, ut subjectis vita tribuatur: quantò amplius meliore religionis intuitu deferendum est? Nam cùm præliatorem appetitæ salutis causa non moveat, quid movere debet militem pacis?

N. 77. Itaque illud Apostolicum, quia *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur... non inflatur*, (1. *Cor.* XIII. 4.) in his præceptis consummatum videmus. Si patiens est, debet patientiam verberanti: si benigna est, non debet respondere maledictis: si non quærit quæ sua sunt, non debet resistere diripienti: si non æmulatur, odisse non debet inimicum. Et tamen Apostolicis divinæ superfluunt præcepta pietatis; plus est enim donare, cedere: plus est amare inimicos, quàm non æmulari. Quæ omnia Dominus et dixit, et fecit. Qui cùm malediceretur, non maledixit: cùm percuteretur, non repercussit: cùm despoliaretur, non restitit: cùm crucifigeretur, ipsis persecutoribus veniam postulavit, dicens (*Luc.* XXIII. 34.): Pater, dimitte illis peccatum, quia nesciunt quid faciunt. Criminatores suos excusabat à crimine. Illi crucem parabant, hic salutem et gratiam rependebat.

(B) MATTH. V. 22. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, Raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit, Fatue: reus erit gehennæ ignis. 23. Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversùm te: 24. Relinque ibi munus tuum ante altare, et vade priùs reconciliari fratri tuo: et tunc veniens offeres munus tuum. 25. Esto consentiens adversario tuo, citò dùm es in viâ cum eo: ne fortè tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro; et in carcerem mittaris. 26. Amen dico tibi, non exies indè, donec reddas novissimum quadrantem.

XVIII. 24. *Vide suprà litt.* (A) *hocce* §.

S. AUG. *Lib.* I. *de Sermone Domini in monte, c.* 10. *n.* 26.... Si irasci fa-

I. Quid si uterque peccavit, si uterque ut fit, se læsum putat; quid tunc facto opus est?

R. Qui prior gratiâ Dei præventus est, debet ex charitate fratrem prior adire, ut ipsi reconcilietur, et sic fratrem lucretur Christo. (C)

non est fratri suo sine causâ, aut dicere *Racha*, aut dicere *Fatue*: multò minùs fas est animo tenere aliquid, ut in odium indignatio convertatur. Quò pertinet etiam quod alio loco dicitur, (*Ephes.* IV. 26.) *Non occidat sol super iracundiam vestram.* Jubemur ergo illaturi munus in altare, si recordati fuerimus aliquid adversùm nos habere fratrem, munus ante altare relinquere, et pergere ac reconciliari fratri, deindè venire et munus offerre.

N. 27. Debet esse sana etiam offerentis intentio: et propterea cùm.... aliquid oblaturi sumus in corde nostro, id est, in interiore Dei templo,... si in mentem venerit quòd aliquid habeat adversùm nos frater, id est, si nos eum in aliquo læsimus;... Tunc enim ipse habet adversùm nos: nam nos adversùs illum habemus, si ille nos læsit: ubi non opus est pergere ad reconciliationem: non enim veniam postulabis ab eo qui tibi fecit injuriam, sed tantùm dimittes, sicut tibi dimitti à Domino cupis, quod ipse commiseris.... Pergendum autem non pedibus corporis, sed motibus animi, ut te humili affectu prosternas fratri: ad quem carâ cogitatione cucurreris, in conspectu ejus cui munus oblaturus es. Ita enim etiam si præsens sit, poteris eum non simulato animo lenire, atque in gratiam revocare veniam postulando, si hoc priùs coram Deo feceris, pergens ad eum non pigro motu corporis, sed celerrimo dilectionis affectu: atque indè veniens, id est, intentionem revocans ad id quod agere cœperas, offeres munus tuum.

Serm. 209. *aliàs* 73. *de diversis*, *in Quadragesimâ* 5. *n.* 1.... Si quæ inimicitiæ, quæ vel nasci non debuerunt, vel citò mori debuerunt, et tamen usque ad hoc tempus sive negligentiâ, sive pertinaciâ, sive non modestâ, sed superbâ verecundiâ, inter fratres perdurare potuerunt; saltem modò finiantur. Negligens inimicitias finire obliviscitur; pertinax veniam non vult concedere, cùm rogatur; superbè verecundus veniam petere dedignatur. His tribus vitiis inimicitiæ vivunt: sed animas in quibus non moriuntur, occidunt. Vigilet contra negligentiam memoria, contra pertinaciam misericordia, contra superbam verecundiam submissa prudentia. Qui se concordiæ recolit neglectorem, excutiat expergiscendo torporem; qui se cupit esse sui debitoris exactorem, Dei se cogitet debitorem: qui erubescit petere ut sibi frater ignoscat, vincat per bonum timorem malum pudorem: ut noxiis inimicitiis finitis, ut eis mortuis, vos vivatis.

Serm. 211. *in Quadragesimâ* VII. *aliàs* 40. *inter Homil.* 50. *c.* 6. *n.* 5. Restat ut eos alloquar, in quos alii peccaverunt, et illi qui in eos peccaverunt, veniam petere noluerunt.... ne discordiæ vestræ remaneant. Dicitis..... Volo concordare, sed ille me læsit, ille in me peccavit, et non vult veniam postulare. Quid ergo? Dicturus sum, Vade ad illum, et tu pete veniam? Absit. Nolo mentiaris: nolo dicas, Da mihi veniam, qui te nosti non peccasse in fratrem tuum.... Quid expetas tibi ignosci, ab eo quem non læsisti, aut in quem non peccasti.... Noli venire ad fratrem tuum qui in te peccavit, et ultrò ab illo petere veniam. Debent inter vos esse alii pacifici, qui illum objurgent; ut à te priùs veniam petat: tu tantùm paratus esto ignoscere; prorsùs paratus esto ex corde dimittere. Si paratus es dimittere, jam dimisisti. Habes adhuc quod ores: ora pro illo ut petet à te veniam; quia scis ei nocere si non petat, ora pro illo ut petat.

(C) S. Aug. *Epist.* 21 *aliàs* 109. *ad Sanctimoniales*, *n.* 14. Lites aut nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis, ne ira crescat in odium, et trabem faciat de festuca, et animam faciat homicidam.... Scriptum est, (1. *Joan.* III. 15.) *Qui odit fratrem suum*, *homicida est*... Quæcunque convicio, vel maledicto, vel etiam criminis objectu, alterum læserit, meminerit satisfactione quantociùs curare quod fecit, et illa quæ læsa

I. Si quis fortè in subditum peccaverit, debetne veniam petere à subdito ?

R. Debet semper veniam petere à Deo ; non semper à subdito : id enim sæpè charitas et prudentia vetant ; ne vilescat dignitas superioris. Tunc autem debet is qui peccavit, omnimodà charitatis et benevolentiæ significatione, illatam subdito offensam quantùm in se est corrigere. (D)

I. Si veniam non petit is qui fecit injuriam, si subjicere se renuit, debetne qui læsus est dissimulare offensæ condonationem ; sicque gerere se exteriùs ac si infensus reipsâ foret ?

R. Subjiciat se qui peccavit et veniam precetur nec ne, semper est ex intimo sensu diligendus, semper est interiùs condonanda injuria. Quod attinet autem ad exteriorem vel benevolentiæ vel indignationis et offensionis significationem, spectandum quod magis contulerit ad salutem fratris, et faciendum quod charitas et prudentia suggesserint. (E)

est, sine disceptatione dimittere. Si autem invicem se læserunt, invicem sibi debita relaxare debebunt, propter orationes vestras ; quas utique quantò crebriores habetis, tantò sanctiores habere debetis. Melior est autem, quæ quamvis irà sæpè tentatur, tamen impetrare festinat, ut sibi dimittat cui se fecisse agnoscit injuriam, quàm quæ tardiùs irascitur, et ad veniam petendam difficiliùs inclinatur. Quæ non vult dimittere sorori, non speret accipere orationis effectum : quæ autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, sine causa est in monasterio, etiam si non indè projiciatur. Proindè vobis à verbis durioribus parcite ; quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, ex quo facta sunt vulnera.

(D) S. Aug. *Epist.* 211. *aliàs* 109. *ad Sanctimoniales*, *n.* 15. Quando autem necessitas disciplinæ minoribus coercendis dicere vos verba dura compellit, si etiam in ipsis modum excessisse sentitis, non à vobis exigitur, ut ab eis veniam postuletis, ne apud eas, quas oportet esse subjectas, dùm nimia servatur humilitas, regendi frangetur auctoritas : sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui novit etiam eas, quas plus justo fortè corripitis, quantà benevolentià diligatis.

Serm. 211. *in Quadrag.* 7. *aliàs* 40. *inter Homil.* 50. *cap.* 5. *n.* 4. Nolite erubescere veniam petere. Perindè omnibus dico, viris et feminis, minoribus et majoribus, Laïcis et Clericis,... Tamen durum videtur, ut hoc etiam jubeam, hoc præcipiam, ut si fortè dominus peccat in servum suum injustè litigando, injustè cædendo ; dicat ille, Ignosce mihi, da mihi veniam. Non quia non debet facere, sed ne ille incipiat superbire. Quid ergo ? Ante oculos Dei pœniteat eum, ante oculos Dei puniat cor suum : et si non potest servo dicere, quia non oportet, Da mihi veniam ; blandè illum alloquatur. Blanda enim appellatio, veniæ est postulatio.

(E) S. Aug. *Epist.* 138. *aliàs* 5. *ad Marcellinum*, *c.* 2. *n.* 12. Si quis in te meliora fuerit persecutus, et inferiora ei præbe, et ne vindictæ potiùs quàm patientiæ studens contemnas æterna pro temporalibus, cùm potiùs temporalia pro æternis contemnenda sint.... Vindicta enim ultima justè poscitur, quando nullus jam restat correctionis locus, extremo scilicet summoque judicio. Nunc verò cavendum est ne vindicandi cupiditate amittatur ipsa patientia, quæ pluris est habenda quàm omne quod potest etiam invito inimicus auferre.... Paratus itaque debet esse homo justus et pius, patienter eorum malitiam sustinere, quos fieri bonos quærit, ut numerus potiùs crescat bonorum, non ut pari malitiâ se quoque numero addat malorum.

N. 13. Denique ista præcepta magis ad præparationem cordis, quæ intùs est, pertinere, quàm ad opus quod in aperto fit, ut teneatur in secreto animi patientia cum benevolentia, in manifesto autem id fiat, quod eis

Id ut planius fiat, adverte sæpè utilem esse, imò et necessariam significationem indignationis, et offensionis; quin et sæpè sæviendum in peccatores : hinc enim fit ut multi in se redeant, et revocentur à superbia, et convertantur ad Deum. Alii fatebuntur se peccasse, si cum illis benignè et amicè egeris, fortè omninò à te alienandi, si experiantur te durum et infensum sibi. Hæc prudenter perpendenda. Charitas in corde sit; id necessarium prorsùs. Quod autem pertinet ad exteriorem agendi modum, habenda ratio est locorum et temporum et personarum. Est charitas benigna, est et quandoque severa. Parcit vel sævit, prout res et occasio fert, et necessitas postulat. Modò charitas prudentiâ temperetur, benè est quidquid fiat. Vera semper et sæpè efficax dilectio, cùm saluti proximi consulit : sin minùs, falsa et fallax. (F)

videtur prodesse posse, quibus benè velle debemus.... (Christus) non præbuit percutienti alteram partem, sed potiùs prohibuit, ne qui fecerat injuriam augeret : et tamen paratus venerat, non solùm in faciem percuti, verùm pro his quoque à quibus hæc patiebatur crucifixus occidi, pro quibus ait in cruce pendens, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt (*Luc.* XXIII. 34.)

Epist. 189. *alias* 95. *ad Bonifacium*, *n.* 8. *in fine*.... Memento citò ignoscere, si quis in te peccaverit, et à te veniam postulaverit; ut veraciter possis orare, et peccatis tuis veniam valeas impetrare.

Serm. 56. *alias* 48. *de diversis*, *c.* 10. *n.* 14. Habetis inimicos.... diligite illos.... Nullo modo tibi potest nocere sæviens inimicus, quantum tibi noces, si non diligis inimicum.... Bonum illi opta, finiat mala, et non erit tibi inimicus. Non enim inimica est tibi in illo natura humana, sed culpa.... Pro inimicis tuis ora.... ora et tu contra malitiam inimici tui, et illa moriatur et ille vivat.

Cap. 12. *n.* 16. Sic dimitte Pater, qui es in cœlis, debita nostra, quomodo et nos dimittimus debitoribus nostris. Hoc enim facere debetis : quòd si non feceritis, peribitis... Sanctus Stephanus lapidabatur : et inter lapides genu fixo pro inimicis orabat, et ait (*Act.* VII. 59.) : *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Illi lapides mittebant, non veniam postulabant : et ille pro eis orabat. Talem te esse volo.... dilige inimicos. Si non potes diligere sævientem, dilige vel petentem. Dilige hominem qui tibi dicit, Frater, peccavi, ignosce mihi. Tunc si non ignoveris..... deleberis de libro Dei.

N. 17. Odium dico dimittas ex corde et non disciplinam. Quid si ille qui petit veniam, castigandus est à me? Fac quod vis : puto enim quod filium tuum diligis et quando cædis. Lacrymas vapulantis non curas, quia ei hæreditatem servas. Ego hoc dico, ut de corde dimittas odium, quando à te veniam petit inimicus.... Rogat, veniam petit, dimitte; si non dimiseris, non illi noces, sed tibi.

(F) ORIGEN. *Lib.* 9. *in Ep. ad Rom. cap.* 12. (* *Joan.* VIII. 35. *Charitatem fraternitatis invicem diligentes.* Hoc est mandatum, ut diligamus invicem, sicut et Deus dilexit nos. Cùm sit primum post primum : primum namque est diligere Deum, et inter homines iterùm hoc primum est, ut invicem diligamus : nescio quomodò quasi ultimum et minimè necessarium inter homines spernitur, et odium quod nobis insitum esse diximus ad hoc ut mala odio habeamus, præpostero ordine exercemus in bonis, et vitia carnis ac peccata diligentes fratrem odio habemus. Nec aliter accidit odisse nos quem non oportet, nisi quia diligimus quæ non oportet. Si enim putas aliquem impium esse : et idcò non judicas eum diligendum, audi quòd Christus pro impiis mortuus est. Aut si quia peccator est frater tuus, idcò eum non putas diligendum, audi quia Christus in hunc mundum venit peccatores salvos facere. Si verò justus est, multò magis dilectione dignus est, Dominus enim diligit justos.

I. Qui pro accipienda injuriæ satisfactione fratrem in jus vocant, peccantue contra præceptum condonationis offensarum ?

R. Id fieri licet, modò ex charitate fiat et ex amore justitiæ. (G) Si verò ex superbia, odio, ultionis appetitu, quod

S. Aug. *Retract. lib.* 1. *cap.* 19. *n.* 5. (*Lib.* 19. *contra Faust.*) Aliter solvenda est quæstio, cur Dominus præceperit diligendos inimicos, cùm alio loco præcipiat odio habendos et parentes et filios.... id est, ut diligamus inimicos lucrandos regno Dei, et oderimus in propinquis, si impediunt à regno Dei.

Epist. 153. *aliàs* 54. *ad Macedonium, c.* 1. *n.* 3. Nullo modo ergo culpas, quas corrigi volumus, approbamus, nec quod perperàm committitur, ideò volumus impunitum esse, quia placet, sed hominem miserantes, facinus autem seu flagitium detestantes, quantò magis nobis displicet vitium, tantò minus volumus inemendatum interire vitiosum. Facile enim est atque proclive malos odisse, quia mali sunt : rarum autem et pium eosdem ipsos diligere, quia homines sunt.... Non est igitur iniquitatis, sed potiùs humanitatis societate devinctus, qui propterea est criminis persecutor, ut sit hominis liberator.

Cap. 3. *n.* 6. Nam quosdam, quorum crimina manifesta sunt, à vestra severitate liberatos, à societate tamen removemus altaris, ut pœnitendo placare possint, quem peccando contempserant, seque ipsos puniendo. Nam nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, nisi ut id quod mali fecerat impunitum esse non sinat. Eo quippè modo sibi non parcenti ille parcit, cujus altum, justumque judicium nullus contemptor evadit.

Cap. 5. *n.* 14. Meritò ait Seneca.... *Omnes odit, qui malos odit.* Et tamen ideò diligendi sunt mali, ut non sint mali : quemadmodùm ut non permaneant, sed ut sanentur, diliguntur ægroti.

Cap. 6. *n.* 16. Nec ideò sanè frustrà instituta sunt potestas Regis, jus gladii cognitoris, ungulæ carnificis, arma militis, disciplina dominantis, severitas etiam boni patris. Habent ista omnia modos suos, causas, rationes, utilitates. Hæc cùm timentur, et coërcentur mali, et quietiùs inter malos vivunt boni.... Metu legum humana coërcetur audacia, ut et tuta sit inter improbos innocentia.... Sed huic ordinationi rerum humanarum contrariæ non sunt intercessiones Episcoporum : immò verò nec causa, nec locus intercedendi ullus esset, si ista non essent. Tantò enim sunt intercedentium et parcentium beneficia gratiora, quantò peccantium justiora supplicia.

N. 17. Plurimùm autem interest, quo animo quisque parcat. Sicut enim est aliquando misericordia puniens, ita et crudelitas parcens..... Quis non crudelem verìùs dixerit eum qui puero pepercerit volenti obstinatissimè de serpentibus ludere ? Quis autem non misericordem, qui talia prohibens, contemptorem verborum etiam verberibus emendarit ? Et ideò non usque ad mortem protendenda est disciplina, ut sit cui prodesse possit.

Lib. 19. *contra Faustum, cap.* 24. Diligite inimicos vestros : quod unusquisque iniquus homo in quantum iniquus est, odio habendus est ; in quantum autem homo est, diligendus est ; ut illud quod in eo rectè odimus, arguamus, id est, vitium, quò possit illud, quod in eo rectè diligimus, id est, humana natura ipsa, emendato vitio, liberari. Hæc, inquam, regula est, quà et oderimus inimicum propter id quod in eo malum est, id est, iniquitatem, et diligamus inimicum propter id quod in eo bonum est, id est socialem, rationalemque creaturam : nisi quòd nos non eum per naturam vel suam, vel alienam, sed per propriam voluntatem malum esse convincimus.... Audito igitur et non intellecto, quod antiquis dictum erat, Oderis inimicum tuum, ferebantur homines in hominis odium, cùm deberent non odisse nisi vitium... Præcipiendo utique Christus ut diligamus inimicos, cogit nos intelligere, quonam modo possumus unum, eumdemque hominem et odisse propter culpam, et diligere propter naturam.

(G) S. Aug. *Serm.* 49. *aliàs de temp.* 237. *cap.* 6. *n.* 6. Dic sanè amico

ut plurimùm accidit, non licet. Hâc in re sibi mens ipsa sæpiùs blanditur; putatque ex justitia et charitate fieri, quod ex cupiditate fit.

I. Quandonam id non ex cupiditate sed ex charitate fit et ex amore justitiæ?

R. Cùm ad id non movetur quis vel invidiâ, vel irâ, vel alia quàvis pravâ affectione animi, sed studio solùm procurandæ salutis proximi, ne ipse per irrogatas injurias pereat, et tuendæ per leges propriæ fortunæ, famæ, auctoritatis: quas integras sibi vindicare licet, maximè si id è Reipublicæ utilitate sit. Omnium interest ut per leges vindicetur bona fama bonorum, maximè si cæteris præsunt, vel si publica gerunt negotia. Debent, verbi gratiâ, Sacerdotes et Magistratus famam atque existimationem palàm tueri, ne vilescat eorum auctoritas. Quin et privatis licet læsam

tuo, qui vult te facere inimicum amici tui: alloquere, et tanquam ægrotantem animum medicinæ lenitate pertracta. Dic illi. Quare vis ut sim inimicus illius? Respondet, Quia inimicus meus est. Vis ergo ut sim inimicus inimici tui? Inimicus esse debeo vitii tui, iste cui me vis facere inimicum homo est: est alius inimicus tuus, cui debeo esse inimicus, si amicus tuus sum. Respondebit, Quod est vitium meum? Odium quo odisti amicum tuum. Esto ergo similis medico. Medicus non amat ægrotantem, si non odit ægritudinem: ut liberet ægrotum, persequitur febrem. Nolite amare vitia amicorum vestrorum, si amatis amicos vestros... *N.* 7. Dico tibi, Noli odisse, securus es; et respondes mihi, et dicis mihi: Quid est odisse? Et quid mali est, quia odit homo inimicum suum? Odisti fratrem tuum: sed si odium contemnis, audi quod non attendis (1. *Joan.* III. 15.); Qui odit fratrem suum, homicida est. Nunquid modò potes dicere, Quid ad me, ut homicida sim? Qui odit, homicida est. Non venenum parasti, non ad perculiendum inimicum cum gladio processisti, non ministrum sceleris præparasti, non locum, non tempus; postremò ipsum scelus non fecisti, tantùm odisti, et priùs te quàm illum occidisti. Discite ergo justitiam, ut non oderitis nisi vitia, homines ametis.

S. Thomas 2. 2. *quæst.* 108. *art.* 1. *conclusio.* Vindicatio orta ex animi quodam livore contra peccantem, illicita est: non autem si procedat ex charitate. Si intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod pervenitur per pœnam peccantis, puta ad emendationem peccantis, vel saltem ad cohibitionem ejus, et quietem aliorum, et ad justitiæ conservationem, et Dei honorem; potest esse vindicatio licita, aliis debitis circumstantiis servatis.

Ad 1. Qui secundùm gradum sui ordinis vindictam exercet in malos, non usurpat sibi quod est Dei, sed utitur potestate sibi divinitùs concessâ. Dicitur enim ad Rom. 13. de Principe terreno, quòd Dei minister est vindex in iram ei qui malè agit. Si autem præter ordinem divinæ institutionis aliquis vindictam exerceat; usurpat sibi quod Dei est et ideò peccat.

Ad. 2. D. Chrysost. Homil. 5. in opere imperf. In propriis injuriis esse quempiam patientem, laudabile est: injurias autem Dei dissimulare, nimis est impium.

Ad 4. Injuria quæ infertur personæ alicui, quandoque redundat in Deum et in Ecclesiam: et tunc debet aliquis propriam injuriam ulcisci: sicut patet de Elia qui fecit ignem descendere super eos qui venerant ad ipsum capiendum, ut legitur 4. Reg. 1. Et Eliseus maledixit pueris eum irridentibus, ut habetur 4. Reg. 2... In quantum verò injuria in aliquem illata ad ejus personam pertinet, debet eam tolerare patienter, si expediat. Hujusmodi enim præcepta patientiæ intelligenda sunt secundùm præparationem animi.

existimationem, legum et Magistratuum auctoritate vindicare, et pro accipienda legitima satisfactione causam apud Judices agere. Id eorum sæpè res familiaris et non contemnenda suorum cura postulat. Id unum summo studio cavendum, ne id fiat ex cupiditate et odio. Sincera charitas esse debet vel erga eos quos, pro injuriarum satisfactione, vocare in jus tenemur inviti. Hæc si adsit, quod rarum, culpâ vacat intentata pro injuriis actio; si desit, quod frequens, peccatum est. Id apud se quisque seriò perpendat. (H)

CAPUT QUINTUM.

De Virtutibus Christianis, quæ Morales appellantur.

§. 1. De quatuor Virtutibus Cardinalibus.

I. Quot sunt virtutes Christianæ quæ Morales appellantur?

R. Omnes ad capita quatuor vulgò revocantur, quas virtutes Cardinales vocant; quia sunt, ut diximus, veluti

(H) S. Aug. *de Serm. Dom. in mont. sec. Matth. lib.* 1. *c.* 20. *n.* 62. Omnia in quibus improbitatem aliquam patimur, in duo genera dividuntur: quorum alterum est quod restitui non potest; alterum quod potest. Sed in illo quod restitui non potest, vindictæ solatium quæri solet. Quid enim prodest quod percussus repercutis? Nunquid propterea illud quod in corpore læsum est, restituitur in integrum? Sed tumidus animus talia fomenta desiderat: sanum autem firmumque ista non juvant; quin potiùs miseri corditer perferendam alterius infirmitatem judicat, quàm alieno supplicio suam mitigandam, quæ nulla est.

N. 63. *Vide* §. *superiori litt.* (C)

Tract. 1. *in* 1. *Epist. Joan. n.* 9.... Quæ est perfectio dilectionis? Et inimicos diligere, et ad hoc diligere, ut sint fratres. Non enim dilectio nostra carnalis esse debet.... Optas alicui amico tuo vitam? benè facis. Gaudes de morte inimici tui? malè facis.... Sic dilige inimicos tuos, ut fratres optes: sic dilige inimicos tuos, ut in societatem tuam vocentur. Sic enim dilexit ille qui in cruce pendens ait (*Luc.* xxiii. 34.), *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt....* Mortem sempiternam ab eis expellebat prece misericordissimà, et potentiâ præstantissimà.... Si dideris orare pro inimico tuo, ambulas viam Domini.

De Mendacio, c. 15. *n.* 27. (*Matth.* v. 39.) *Accepisti alapam, para alteram maxillam.* Exemplum autem patientiæ nullum quàm ipsius Domini potentius et excellentius invenimus: at ipse cùm alapâ percussus esset, non ait, Ecce altera maxilla: Sed ait (* *Joan.* xviii. 23.), *Si malè dixi, exprobra de malo, si autem benè, quid me cædis?* Ubi ostendit, illam præparationem maxillæ alterius, in corde faciendam. Quod etiam Apostolus Paulus utique noverat: nam et ipse cùm esset alapâ percussus ante Pontificem, non ait, Percute maxillam alteram: sed (*Act.* xiii. 3.) *Percutiet te Dominus, paries dealbate: et tu sedes judicare me secundùm legem, et contra legem jubes me percuti?....* Sed tamen cor paratum habebat, non solùm ad alapas accipiendas, sed etiam quælibet tormenta pro veritate patienda, cum eorum dilectione à quibus illa pateretur.

S. Bernard. *Serm.* 3. *in Annuntiat. B. M. n.* 6.... Si in Christo volumus piè vivere; necesse est sustineamus persecutionem, ne malum pro malo, aut maledictum pro maledicto reddamus. Alioquin qui patientiam non servaverit, perdet justitiam, hoc est, vitam perdet, hoc est, perdet animam suam. (*Rom.* xii. 19.) *Mihi vindictam, et ego retribuam, dicit Dominus....* si non reddas retribuentibus tibi mala. Faciet judicium, sed injuriam patienti in æquitate judicabit, sed pro mansuetis terræ.

cardo cæterarum virtutum moralium. Hæ autem sunt Prudentia, Justitia, Temperantia, Fortitudo, de quibus hæc leguntur in libro Sapientiæ: (*Sap.* VIII. 7.) *Sobrietatem et prudentiam docet* (Sapientia,) *et justitiam et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.* Ubi per sobrietatem temperantia, et per virtutem Græcè *andrian*, animi magnitudo et fortitudo non obscurè innuitur. (A)

(A) ORIGEN. *in Epist. ad Rom. cap.* 3. *lib.* 3. *paulò post initium.* Prudentia per boni et mali scientiam constat; temperantia quæ eligenda et quæ cavenda sint novit: et fortitudo non ignorat quæ ad formidinem spectant. Ita et justitia. Si scire volumus quid est justitia, necesse est nos scire et quid est injustitia.

Cap. 12. *Lib.* 9. *Non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem....* Eruditi viri utuntur hac definitione, ut naturam vel causam peccati in eo ponant, si addatur aliquid virtutibus, aut minuatur. Verbi gratiâ, justitia virtus est: et si quid minus aliquid facit quàm justitia patitur, sine dubio injustus est. Si quis verò sub specie justitiæ erga vindictas nimius fiat, et sævius agat, in ultionis crudelitatem ex justitia devolutus est. Undè et Salomon dicit: (* *Eccli.* VII. 17.) Noli fieri in multo justus. Similiter et libertas. (*Fortitudo*) si intra temperantiam suam sit, virtus est: si minùs habet, timiditas: si amplius, temeritas nominatur. Pari modo et prudentia si in sua mensura sit, virtus est: si minùs habeat, imprudentia: si plusquam oportet, malitia appellatur.... Indè (* *Luc.* XVI. 8.) et filii hujus seculi prudentiores dicuntur quàm filii lucis: plus enim sapiunt quàm oportet sapere.... In his ergo omnibus Paulus nos vult non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Quod in Græco dicitur *sophrosyne*, in nostris codicibus, hoc est in Scripturis divinis, sobrietas à majoribus interpretatum est. Ab aliis tamen eruditis viris temperantia ponitur: quæ temperantia una ex quatuor generalibus virtutibus habetur. Et in hoc loco ergo meliùs Apostoli dicta lucerent, si haberemus et nos scriptum secundùm Græci sermonis virtutem, sed sapere ad temperantiam: id est, ut in omnibus quæ agimus, vel quæ loquimur, vel quæ sentimus, temperantiam tenemus. In iis enim quæ suprà enumeravimus, neque ampliùs, neque minùs fieri debere, sed modum servare, novit sola temperantia.

S. AMBROS. *Lib.* 1. *de Officiis, cap.* 24. *n.* 115. Quid his viris (*Patriarchis*) principalium virtutum officium defuit? Quarum primo loco constituerunt prudentiam, quæ in viri investigatione versatur, et scientiæ plenioris infundit cupiditatem: secundo justitiam, quæ suum cuique tribuit, alienum non vindicat, utilitatem propriam negligit, ut communem æquitatem custodiat: tertio fortitudinem, quæ et in rebus bellicis excelsi animi magnitudine, et domi eminet, corporisque præstat viribus: quarto temperantiam, quæ modum, ordinemque servat omnium, quæ vel agenda, vel dicenda arbitramur.

Cap. 25. *n.* 117. Fuit in sancto Abraham primo loco prudentia de quo dicit Scriptura (*Genes.* XV. 6.): *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* Nemo enim prudens, qui Deum nescit.

N. 118. Primi igitur nostri definierunt prudentiam in veri consistere cogitatione. Quis enim illorum ante Abraham, David, Salomonem? Deindè justitiam spectare ad societatem generis humani. Denique David ait (*Ps.* CXI. 9.): *Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum.* Justus miseretur, justus commodat. Sapienti et justo totus mundus divitiarum est. Justus communia pro suis habet, sua pro communibus. Justus seipsum, priùs quàm alios, accusat. Ille enim justus, qui nec sibi parcit, et occulta sua latere non patitur. Vide quàm justus Abraham. In senectute susceperat filium per repromissionem, reposcenti Domino negandum ad sacrificium quamvis unicum, non putavit.

N. 119. Adverte hic omnes virtutes quatuor in uno facto. Fuit sapientiæ Deo credere, nec filii gratiam anteferre auctoris præcepto: fuit justitiæ, acceptum reddere: fuit fortitudinis, appetitum ratione cohibere. Ducebat hostiam pater, interrogabat filius; tentabatur affectus patrius, sed

non vincebatur. Repetebat filius appellationem paternam, compungebat paterna viscera, sed non minuebat devotionem. Accedit et quarta virtus temperantia. Tenebat justus et pietatis modum, et exsecutionis ordinem. Denique dùm sacrificio necessaria vehit, dùm ignem adolet, dùm filium ligat, dùm gladium educit, hoc immolandi ordine meruit, ut filium reservaret.

N. 120. Quid sapientius sancto Jacob, qui Deum vidit facie ad faciem, et meruit benedictionem? Quid justius, qui ea quæ acquisierat, oblatis muneribus cum fratre divisit? Quid fortius, qui cum Deo luctatus est? Quid modestius, eo qui modestiam ita et locis et temporibus deferebat, ut filiæ injuriam mallet prætexere conjugio, quàm vindicare; eò quòd inter alienos positus amori potiùs consulendum, quàm odia colligenda censebat?

N. 121. Noë quàm sapiens, qui tantam fabricavit arcam? Quàm justus, qui ad semen omnium reservatus, solus ex omnibus et præteritæ generationis superstes est factus, et auctor futuræ, mundo potiùs et universis magis quàm sibi natus? Quàm fortis, ut diluvium vinceret? Quàm temperans, ut diluvium toleraret.

Cap. 27. *n.* 126. Primus igitur officii fons prudentia est. Quid enim tam plenum officii, quàm deferre Auctori studium atque reverentiam? Qui tamen fons et in virtutes derivatur cæteras; neque enim potest justitia sine prudentia esse, cùm examinare quid justum, quidve injustum sit non mediocris prudentiæ sit. Summus in utroque error; Qui enim (* *Prov.* XVII. 15. *et* 16.) *justum judicat injustum, injustum verò justum exsecrabilis apud Deum.* Ut quid abundant justitiæ imprudenti? Salomon ait. Neque iterùm prudentia sine justitia est; pietas enim in Deum initium intellectûs.

N. 129. Liquet igitur, et has reliquas cognatas sibi esse virtutes. Siquidem et fortitudo quæ vel in bello tuetur à barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena sit justitiæ: et scire quo consilio defendat atque adjuvet, captare etiam temporum et locorum opportunitates, prudentiæ ac modestiæ sit; et temperantia ipsa sine prudentia modum scire non possit: opportunitatem noscere et secundùm mensuram reddere, sit justitiæ: et in omnibus istis magnanimitas necessaria sit, et quædam fortitudo mentis, plerumque et corporis; ut quis quod velit, possit implere.

Lib. 2. *de Offic. cap.* 9. *n.* 49. Vulgi usu dividitur una quædam forma virtutum, ut temperantia sit in despiciendis voluptatibus: fortitudo spectetur in laboribus et periculis: prudentia in delectu bonorum, sciens commoda et adversa distinguere: justitia quæ sit bona custos juris alieni, et vindex proprietatis, suum cuique conservans.

Lib. de Virginit. cap. 18. *n.* 114. Nam in omni sapiente viro Prudentes Græciæ esse memoraverunt *logisticon*, *thymiticon*, *epithymiticon*, *dioraticon*. Latini verò prudentiam, fortitudinem, temperantiam, atque justitiam. Prudentia enim rationis humanæ est: fortitudo vim quamdam ferocientis virtutis habet, mortisque contemptum: temperantia sacratæ vinculo charitatis mysteriorumque contemplatione cœlestium negligit corporis voluptates: justitia, in alto quodam suggestu locata videt, exploratque omnia: quæ aliis potiùs nata, quàm sibi, non tam suas utilitates quàm publica emolumenta rimatur.

Lib. de Paradiso, cap. 3. *fontem Christum, quatuor flumina quatuor virtutes Cardinales interpretatur, his verbis, n.* 14. Fons dicitur sapientia Dei. Fons enim est secundùm Evangelium dicens (*Joan.* VII. 37.): *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat.* Fons est et secundùm Prophetam qui ait (*Prov.* IX. 5.): *Venite et edite de meis panibus, et bibite vinum quod miscui vobis.* Sicut ergo fons vitæ est sapientia, fons gratiæ spiritalis: ita fons virtutum est cælerarum, quæ nos ad æternæ cursum dirigunt vitæ. Ex hac igitur anima quæ culta est, non ex ea quæ inculta fons iste procedit, ut irriget paradisum, hoc est, quædam diversarum fruleta virtutum, quarum sunt quatuor initia in quæ sapientia ista dividitur. Quæ sunt quatuor initia virtutum, nisi unum prudentiæ, aliud temperantiæ, tertium fortitudinis, quartum justitiæ? Quæ etiam sapientes istius mundi ex nostris adsumpta, in suorum scripta librorum transtulerunt.

Itaque sicut fons sapientiæ, ita etiam flumina ista quatuor quædam ex illo fonte manantia sunt fluenta virtutum.

N. 15. Phison igitur prudentia est.... Non enim angusta quædam, sed dives utilitatum prudentia est, quæ pluribus prosit. Ideò prima, ut si quis de paradiso fuerit egressus, velut quoddam eum prudentiæ flumen excipiat, ne citò possit arescere : sed per hanc ad paradisum facilè revertatur.... Et ideò prudentia in specie hujus accipitur, quæ plurimos fructus attulit in Domini adventu. Atque in extrema terrarum fluit, quia per sapientiam omnes homines sunt redempti. Undè et dictum est (*Ps.* XVIII. 5.) : *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.*

N. 7. Tertius est fluvius Geon,.... insigne est temperantiæ.

N. 16. Secundus fluvius Tigris,.... quicunque fortitudinis animi prævaricantia corporis vitia captivaverit, dirigens ad superna, iste hujus fluminis similis æstimatur. Et ideò etiam fortitudo de illo, qui est in paradiso, fonte emanat. Fortitudo autem quodam cursu rapido resistentiæ quæque transverberat, nec aliquibus cursus ejus impedimentorum hæret obstaculis.

N. 18. Quartus fluvius Euphrates,.... præferens quoddam insigne justitiæ, quæ omnem pascit animam. Nulla enim abundantiores videtur fructus habere virtus, quàm æquitas atque justitia, quæ magis aliis quàm sibi prodest; et utilitates suas negligit, communia emolumenta præponens.... Deindè quia ubi prudentia, ibi et malitia : ubi fortitudo, ibi et iracundia : ubi temperantia, ibi intemperantia plerumque est, aut alia vitia sunt : ubi autem justitia, ibi concordia virtutum est cæterarum; ideò non ex locis qua fluit, hoc est, non ex parte cognoscitur. Non enim pars est justitia, sed quasi mater est omnium. In his ergo fluminibus quatuor virtutes principales, quatuor exprimuntur : quæ veluti mundi istius incluserunt tempora.

N. 19. Primum igitur tempus ex mundi principio usque ad diluvium prudentiæ fuit.

N. 20. Secundum tempus est Abraham et Isaac et Jacob, reliquorumque numerus Patriarcharum, in quibus casta et pura quædam temperantia religionis effulsit.

N. 21. Tertium tempus est in Moysis lege et cæteris Prophetis,... Non immeritò igitur in his species fortitudinis est. (*Hebr.* XI. 37.) *Secti enim sunt*, sicut infrà habes, *tentati, in mactatione gladii mortui. Circumierunt in caprinis pellibus, egentes, angustiati, et doloribus afflicti, quorum meritis non erat dignus orbis. In solitudinibus errantes, in montibus, in speluncis, et in foveis terræ.* Rectè igitur in his speciem fortitudinis collocamus.

N. 22. Secundùm autem Evangelium digna est figura justitiæ : quia virtus est in salutem omni credenti. Denique ipse Dominus ait (*Matth.* III. 15.) : *Sine modo ; sic enim decet nos implere omnem justitiam :* quæ quidem parens cæterarum est fecunda virtutum. In quo quamvis aliqua harum quas diximus, principalis est virtus ; in eo etiam cæteræ præstò sunt ; quia ipsæ sibi sunt connexæ concretæque virtutes. Nam utique Abel justus ; et fortissimus ac patientissimus Abraham ; et prudentissimi Prophetæ : Moyses verò eruditus in omni sapientia Ægyptiorum majorem honestatem æstimavit Ægypti thesauris opprobrium Christi. Et quis sapientior quàm Daniel ? Salomon quoque sapientiam poposcit, et meruit. Dictum est ergo de quatuor virtutum fluminibus, quorum potus est utilis.

Eadem ferè habet S. AUG. *libro de Genesi adversùs Manichæos, quem adire potes.*

Expos. Evang. secund. Luc. lib. 5. *n.* 62. Scimus virtutes esse quatuor cardinales, temperantiam, justitiam, prudentiam, fortitudinem. Qui pauper est spiritu, avarus non est. Qui flet, non superbit : sed mitis est et pacatus. Qui luget, humiliatur. Qui justus est, non negat quod scit omnibus ad usum communiter datum. Qui miseretur, largitur de suo. Qui suum donat, non quærit alienum, nec dolum proximo struit.

N. 63. Connexæ igitur sibi sunt concatenatæque virtutes ; ut qui unam habet, plures habere videatur.

N. 64. *Beati igitur pauperes spiritu.* Habes temperantiam, quæ à peccato abstinet, seculum calcat, illecebrosa non quærit.

N. 65. (*Luc.* VI.) *Beati qui esuriunt et sitiunt ;* qui enim esurit, esurienti compatitur, compatiendo largitur, largiendo fit justus : quia (*Ps.* CXI. 9.) *justitia ejus manet in æternum.* Undè in Matthæo sitim et famem intelligimus spiritalem, quâ cibus justitiæ desideratur aut potus : quia virtus quasi materia quædam virtutum est, ut justus æqualem se inferioribus præstet, dolum excludat, veritatem requirat.

N. 66. *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* Habes prudentiam, cujus est flere occidua, et ea quæ æterna sunt quærere : lugere secularia, quæ seipsa compugnent : Deum pacis inquirere, qui stulta mundi elegit, ut confundat sapientes : et qui ea quæ non sunt destruat, ut quæ sunt possit adipisci.

N. 67. *Beati eritis cùm vos oderint homines.* Habes fortitudinem sed eam quæ non odium mereatur ex crimine, sed persecutionem patiatur ex fide : sic enim ad passionis pervenitur coronam, si gratiam hominum negligas, divinam sequaris. Denique ut scias consummationem esse fortitudinis passionem (*Luc.* VI. 23.) : *secundùm hæc*, inquit, *faciebant Prophetis patres eorum ;* quia Prophetas Judæi usque ad mortem corporis persecuti sunt. Est etiam fortitudinis iram vincere, indignationemque cohibere : ac per hoc fortitudo animum juxta corpusque confirmat, nec perturbari sinit timore aliquo vel dolore : quibus velut pravis interpretibus plerumque percellimur.

N. 68. Ergo temperantia cordis habet animique munditiam, justitia misericordiam, pacem prudentia, mansuetudinem fortitudo.

Lib. 7. *n.* 118. Ut fortitudinis incentivum est fides, ita fidei firmamentum est fortitudo.

S. AUG. *Lib.* 1. *de Libero arbitrio, cap.* 13. *n.* 27. *A.* Considera nunc, utrum tibi videatur esse prudentia appetendarum et vitandarum rerum scientia. *E.* Videtur. *A.* Quid, Fortitudo nonne illa est animæ affectio, quâ omnia incommoda et damna rerum non in nostra potestate constitutarum contemnimus ? *E.* Ita existimo. *A.* Porrò temperantia est affectio coërcens et cohibens appetitum ab iis rebus, quæ turpiter appetuntur. An tu aliter putas ? *E.* Immò ita ut dicis sentio. *A* Jam justitiam quid dicamus esse, nisi virtutem quâ sua cuique tribuuntur. E. Nulla mihi alia justitiæ notio est. *A.* Quisquis ergo bonam habens voluntatem, de cujus excellentia jam diù loquimur, hanc unam dilectione amplexetur, quâ interim melius nihil habet, hâc sese oblectet, hâc denique perfruatur et gaudeat, considerans eam et judicans quanta sit, quamque invito illi eripi vel surripi nequeat, num dubitare poterimus istud adversari rebus omnibus, quæ huic uni bono inimicæ sunt ? *E.* Necesse est omninò ut adversetur. *A.* Nullàne hunc putamus præditum esse prudentiâ, qui hoc bonum appetendum, et vitanda ea quæ huic inimica sunt videt ? *E.* Nullo modo mihi videtur hoc posse quisquam sine prudentia. *A.* Rectè : sed cur non huic etiam fortitudinem tribuamus ? Illa quippè omnia quæ in potestate nostra sunt, amare iste ac plurimi æstimare non potest. Malà enim voluntate amantur, cui tanquam inimicæ carissimo suo bono resistat necesse est. Cùm autem non amat hæc, non dolet amissa, et omninò contemnit ; quod opus esse fortitudinis, dictum atque concessum est. *E.* Tribuamus sanè : non enim intelligo quem fortem veriùs appellare possim, quàm eum qui rebus iis, quas neque ut adipiscamur, neque ut obtineamus in nobis situm est, æquo et tranquillo animo caret ; quod hunc necessariò facere compertum est. *A.* Vide jam nunc utrùm ab eo temperantiam alienare possimus, cùm ea sit virtus quæ libidines cohibet. Quid autem tam inimicum bonæ voluntati est quàm libido. Ex quo profectò intelligis istum bonæ voluntatis suæ amatorem resistere omni modo atque adversari libidinibus, et ideò jure temperantem vocari. *E.* Perge, assentior. *A.* Justitia restat, quæ quomodo desit huic homini non sanè video. Qui enim habet et diligit voluntatem bonam, et obsistit eis, ut dictum est, quæ huic inimica sunt, malè cuiquam velle non potest. Sequitur ergo ut nemini facial injuriam ; quod nullo pacto potest, nisi qui sua quique tribuerit : Hoc autem ad justitiam pertinere cùm dicerem, approbasse te, ut puto, meministi. *E.* Ego verò

memini et falcor in hoc homine qui suam bonam voluntatem magni pendit et diligit, omnes quatuor virtutes, quæ abs te paulò antè, me assentiente, descriptæ sunt, esse compertas.

Lib. 2. *n.* 50. Intueris enim justitiam, quâ nemo malè utitur. Hæc inter summa bona quæ in ipso sunt homine numeratur, omnesque virtutes animi quibus ipsa recta vita et honesta constat : nam neque prudentiâ, neque fortitudine, neque temperantiâ malè quis utitur : in his enim omnibus sicut in ipsa etiam quam tu commemorasti justitia, recta ratio viget, sine qua virtutes esse non possunt. Rectâ autem ratione malè uti nemo potest. Ista ergo magna bona sunt : sed meminisse te oportet, non solùm magna, sed etiam minima bona non esse posse, nisi ab illo à quo sunt omnia bona, hoc est Deo.

Enarrat. in Psal. LXXXIII. *n.* 11. Multæ virtutes, sed hic necessariæ; et ab his virtutibus imus in virtutem. Quam virtutem ? (1. *Cor.* I. 24.) *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* Ipse dat diversas virtutes in loco hoc, qui pro omnibus virtutibus necessariis in convalle plorationis et utilibus, dabit unam virtutem seipsum. Nam et virtutes agendæ vitæ nostræ quatuor describuntur à multis, et in Scriptura inveniuntur. Prudentia dicitur, quâ dignoscimus inter bonum et malum. Justitia dicitur, quâ sua cuique tribuimus : (*Rom.* XIII. 8.) nemini quidquam debentes, sed omnes diligentes. Temperantia dicitur, quâ libidines refrenamus. Fortitudo dicitur, quâ omnia molesta toleramus. Istæ virtutes nunc in convalle plorationis per gratiam Dei dantur nobis. Ab his virtutibus imus in illam virtutem. Et quæ erit illa virtus, nisi solius contemplationis Dei ? Necessaria ibi non erit ista prudentia, ubi nulla mala occursura sunt quæ vitemus. Sed quid putamus, fratres ? Non ista justitia, ubi nulla erit cujusquam indigentia, cui subvenire debeamus. Non ista temperantia, ubi nulla erit libido refrenanda. Non ista fortitudo, ubi nulla erunt mala toleranda. Ergo ab his virtutibus hujus actionis ibimus in virtutem illius contemplationis, quâ contemplemur Deum : sicut scriptum est (*Psal.* V. 5.), *Manè abstabo tibi, et contemplabor.*

Lib. 83. *Quæst. q.* 61. *n.* 4. *in fine.* Propter quatuor animi virtutes quibus in hac vita spiritualiter vivitur, prudentiam, temperantiam, fortitudinem et justitiam. Quarum prima est cognitio rerum appetendarum et fugiendarum : secunda, refrenatio cupiditatis ab iis quæ temporaliter delectant : tertia, firmitas animi adversùs ea quæ temporaliter molesta sunt : quarta, quæ per cæteras omnes diffunditur, dilectio Dei et proximi.

S. BERNARD. *Serm.* 72. *de diversis*, *n.* 2. Ad consilium impiorum itur quatuor modis. Quidam trahuntur inviti, alii attrahuntur illecti, alii seducuntur ignari, alii sequuntur spontanei. Istis necessariæ sunt quatuor virtutes, per quas armati resistant, ne in consilio eant. Invitis necessaria est *Fortitudo*, quâ resistant usque ad mortem minis, cruciatibus, et damnis. Illi qui attrahuntur illecti, indigent *Temperantiâ*, quæ reprimit illicita desideria, nec cedit promissionibus, nec emollitur blanditiis. Illis qui seducuntur ignari, est opus *Prudentiâ*, quæ ab utilibus inutilia discernit, et docet quid tenendum, quidve rejiciendum sit. *Justitiâ* indigent illi qui sequuntur spontanei. Justitia est rectitudo voluntatis, quæ nec amat peccare, nec peccato consentire.... Est autem justitia ordinata hoc modo, scilicet mala respuens, bonis meliora præponens.... Est quippè prudentia, ratio docta, scilicet à gratia, vitare contagia injustitiæ propter justitiam... Justitia est perfectio animæ rationalis. Aliæ virtutes sunt ad ejus acquisionem vel conservationem : fortitudo, temperantia, prudentia, quæ justitiam conservant ne amittatur, aut minuatur. Postquam verò perfecta est justitia, et transit in affectum cordis, idem est quod illa tria : quia fortis est, prudens, temperata.

In Cant. Serm. 22. *n.* 10. Frustrà hujus seculi sapientes de quatuor virtutibus tam multa disputaverunt, quas tamen apprehendere omninò nequiverunt, cùm illum nescierint qui factus est nobis à Deo sapientia docens *Prudentiam*, et *Justitia* delicta donans ; et sanctificatio, in exemplum *Temperantiæ* continenter vivens · et redemptio, in exemplum *Patientiæ* fortiter moriens.

N. 11. **Quid vobis cum virtutibus, qui Dei virtutem Christum ignoratis? Ubinam, quæso, vera *Prudentia*, nisi in Christi doctrina; undè vera *Justitia*, nisi de Christi misericordia: ubi vera *Temperantia*, nisi in Christi vita; ubi vera *Fortitudo*, nisi in Christi passione? Soli ergo qui ejus doctrinâ imbuti sunt, prudentes dicendi sunt; soli justi, qui de ejus misericordia veniam peccatorum consecuti sunt; soli temperantes, qui ejus vitam imitari student: soli fortes qui ejus patientiæ documenta fortiter in adversis tenent. Incassum proindè quis laborat in acquisitione virtutum, si aliundè eas sperandas putat quàm à Domino virtutum: cujus doctrina, seminarium prudentiæ; cujus misericordia, opus justitiæ; cujus vita speculum temperantiæ; cujus mors insigne est fortitudinis.**

Lib. 1. *de Consid. cap.* 8. *n.* 9. **Ibi etiam advertere tibi est suavissimum quemdam concentum complexumque virtutum, atque alteram pendere ex altera; sicut hoc loco vides, fortitudinis matrem esse prudentiam: nec fortitudinem, sed temeritatem esse quemlibet ausum quem non parturivit prudentia. Hæc item est quæ inter voluptates et necessitates media quasi quædam arbitra sedens, utrinque certis limitibus disterminat fines, istis assignans et præbens quod sat est; illis quod nimis est, demens: et sic ex alterutro tertiam formans virtutem, quam dicunt Temperantiam. Nempè intemperantem ipsa consideratio censet tam eum, qui necessariis pertinaciter demit, quàm qui indulget superfluis. Non est ergo temperantia in solis resecandis superfluis, est et in admittendis necessariis. Hujus sententiæ Apostolus non fautor tantùm, sed auctor esse videtur, qui curam carnis nostræ docet non perfici in desiderio. Dicens siquidem (*Rom.* XIII. 14.) *curam carnis non perfici*, superflua cohibet: addens, *in desiderio*, necessaria non excludit. Undè mihi videtur non omninò absurdè definire Temperantiam, qui hanc nec præcedere necessitatem, nec excedere dicat, juxta illud Philosophi: *Ne quid nimis.***

N. 10. **Jam de Justitia, quæ una ex quatuor est, nonne constat consideratione mentem præveniri, ut se formet in ea? Se enim necesse est priùs cogitet, ut ex se normam ducat justitiæ, nec factura utique alteri, quod sibi fieri nolit; nec quod sibi velit fieri, negatura. In his nempè duobus liquet integrum esse justitiæ statum. Sed nec ipsa solitaria est. Intuere etenim nunc mecum etiam hujus pulchram connexionem et cohærentiam cum temperantia, et item ambarum cum duabus superioribus, id est, prudentiâ et fortitudine. Nam cùm justitiæ dicatur portio, quod sibi non vult fieri quis, alii non facere; porrò perfectio, quod ait Dominus (*Matth.* VII. 12.), *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines; et vos facite illis*: neutrum horum erit, nisi ipsa voluntas, de qua tota ducitur forma, sic ordinata fuerit, ut nec velit aliquid superfluum, nec necessarium quid superstitiosè nolit, quod quidem temperantiæ est. Denique ipsi justitiæ ut justa sit, temperantia modum imponit. (*Eccli.* VII. 17.) *Noli nimium esse justus*, ait Sapiens, ostendens per hoc minimè approbandam justitiam, quæ temperantiæ moderamini non frenetur. Quid quod et ipsa sapientia hoc temperantiæ frenum non respuit, dicente Paulo secundùm sapientiam à Deo sibi datam (*Rom.* XII. 3.), non *plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem?* Sed et è converso, quòd temperantiæ necessaria justitia sit, ostendit Dominus arguens in Evangelio illorum temperantiam qui abstinebant ut viderentur hominibus jejunantes. Erat in cibo temperantia, sed non justitia in animo, quia non Deo placere, sed hominibus intendebant. Quomodò rursùm vel ista vel illa sine fortitudine, cùm constet fortitudinis esse non mediocris, cohibere velle et nolle suum inter angustias parùm et nimis; ut sit contenta voluntas modo illo medio, nudo, puro, solo, constante sibi, æquali undique sui, utpote ex omni parte pariter circumciso, quem solum constat esse virtutis.**

N. 11. **Dicito mihi, quæso, si potes, cuinam potissimùm trium harum virtutum meditullium hoc dandum censeas, quod ita cunctis contermium est, ut videatur esse proprium singularum. An ipsum virtus est, et nihil aliud? Sed sic virtus non esset multiplex, sed essent omnes una. An potius, quia sine eo virtus non est, omnium quodammodo intima vis imo est et medulla virtutum in qua sic uniuntur, ut proindè una videan-**

I. Quare virtutes illæ morales dicuntur ?

R. Quia per eas mores nostri diriguntur ad bonum et rectum. Per eas enim fit ut mores nostri dirigantur ad Deum, et quidquid agimus ad Deum, ut ad finem ultimum, referatur.

I. Ergo charitas in Christianis principium est virtutum quatuor Cardinalium ?

R. Rectè omninò. Imò, ex S. Augustino, virtutes illæ quatuor nihil aliud sunt in Christianis quàm charitas pro variis effectibus aliis atque aliis nominibus insignita. (*S. August. lib.* 1. *de moribus Eccl. Cathol. c.* 15. *n.* 25.) *Si virtus*, inquit, *ad beatam vitam nos ducit, nihil omninò esse virtutem affirmaverim quàm amorem Dei. Nam illud quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantùm intelligo, dicitur.* (B)

tur omnes, præsertim quòd non illud participando communicant, sed totum à singulis atque integrum possidetur ? Verbi causà : Quid tam justitiæ quàm modus ? Alioquin si quid extra modum relinquit, non planè cuique tribuit quod suum est, quod tamen suum ipsius est facere. Quid tam rursùm temperantiæ, quæ non aliundè profectò temperantia est, nisi quòd nil immoderatum admittit ? Sed puto, fatebere etiam non minùs esse fortitudinis, cùm vel maximè ipsa sit quæ ab irruentibus vitiis, et quasi hinc inde suffocare conantibus, purum illud potenter eruit et vindicat in quoddam stabile fundamentum boni, sedemque virtutis. Ergo modum tenere justitia est, temperantia est, fortitudo est. Sed vide ne in hoc differant, ut justitiæ quidem in affectu res sit, à fortitudine autem efficacia ejus : porrò possessio ejus atque usus, apud temperantiam. Restat jam ut doceamus ab hac communione prudentiam non excludi. Nonne ipsa est, quæ modum, diù animi neglectu posthabitum, et vitiorum invidià quasi in abditis reclusum et coopertum quadam vetustatis caligine, prior reperit et advertit ? Propterèa dico tibi, à paucis advertitur, quia paucorum prudentia est. Itaque justitia quærit, prudentia invenit, vindicat fortitudo, temperantia possidet.

De Convers. ad Clericos, cap. 10. *n.* 21. Opus est *fortitudine* adversùs tentamenta peccati, ut rugienti leoni resistamus fortes in fide, et ignita ipsius jacula hoc ipso clypeo viriliter repellamus. Opus est *justitiâ*, ut operemur bonum. Opus *prudentiâ*, ne cum fatuis virginibus reprobemus. Opus denique *temperantiâ*, ne voluptatibus indulgentes, audiamus aliquando quod miser ille epularum pariter et vestium splendore finito, dùm misericordiam præcaretur, audivit : (*Luc.* XVI. 25.) *Memento, fili, quod recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.*

(B) S. AUG. *de Moribus Eccles. Cath. lib.* 1. *cap.* 15. *n.* 25. Temperantia sit amor integrum se præbens ei quod amatur : Fortitudo, amor facilè toleraus omnia propter quod amatur : Justitia, amor soli amato serviens, et propterèa rectè dominans : Prudentia, amor ea quibus adjuvatur ab eis quibus impeditur sagaciter seligens. Sed hunc amorem non cujuslibet, sed Dei esse diximus, id est, summi boni, summæ sapientiæ, summæque concordiæ.

Cap. 25. *n.* 46. Si enim Deus est summum hominis bonum, quod negare non potestis ; sequitur profectò, quoniam summum bonum appetere, est benè vivere, ut nihil sit aliud benè vivere, quàm toto corde, totâ animâ, totâ mente Deum diligere, à quo existit, ut incorruptus in eo amor atque integer custodiatur, quod est temperantiæ ; et nullis frangatur incommodis, quod est fortitudinis ; nulli alii serviat, quod est justitiæ ; vigilet in discernendis rebus, ne fallacia paulatim dolusve subrepat, quod est prudentiæ. Hæc est hominis una perfectio.

I. Quid est prudentia Christiana ?

R. Definitur à S. Augustino *Amor benè discernens ex quibus adjuvetur in Deum ab iis quibus impediri potest :* vel *cognitio rerum appetendarum et fugiendarum.* (*S. Aug. lib.* 1. *de morib. Eccl. cath. cap.* 24. *n.* 45. *lib.* 1. *de lib. Arbitr. cap.* 13. *n.* 27.)

Definitur à S. Thoma post Aristotelem *Recta ratio agibilium.* (*S. Thom.* 2. 2. *quæst.* 47. *art.* 2. *et* 8.)

Definitiones illæ eòdem recidunt. Sensus enim earum omnium is est, Prudentiam esse virtutem, quâ fit ut discernemus ea quæ ad Deum ducunt, ab iis quæ à Deo abstrahunt ; hæcque fugiamus, illa sagaciter seligamus. (C)

I. Quid est temperantia Christiana ?

R. Definitur à S. Augustino *Amor sese integrum Deo incorruptumque servans.* (*Lib.* 1. *de morib. Eccles. cath. c.* 24. *n.* 45.)

Vel *Refrenatio cupiditatis ab iis quæ temporaliter delectant.* (*Quæst.* 83. *q.* 61. *n.* 4.)

Ex his definitionibus quæ eòdem recidunt describi potest temperantia, virtus qua fit *ut nihil eorum diligamus* quæ temporaliter appetuntur et delectant ; *sed* ex iis *ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem, quantum satis est, usurpemus, utentis modestiâ, non amantis affectu.* (*Lib.* 1. *de morib. Eccl. cath. c.* 21. *n.* 39.) Quæ quidem temperantiæ descriptio ex ipsis ferè S. Augustini verbis constat. (D)

Lib. de vera Relig. cap. 15. *n.* 29. *Vide infrà* §. 6. *Cap.* 2. *Sect.* 3. *hujusce Partis.*

Epist. 155. *aliàs* 52. *ad Macedon. c.* 4. *n.* 13. *Vide suprà* §. 1. *Cap.* 4. *hujusce Sect. litt.* (D) *et n.* 16. §. 2. *ejusd. Cap. litt.* (B)

(C) *Vide auctoritates SS. Patrum suprà allatas hocce* §. *in quibus tam de Prudentia agitur, quàm de tribus aliis virtutibus Cardinalibus.*

S. Aug. *Lib.* 6. *de Musica, cap.* 13. *n.* 37. Hæc igitur affectio animæ, vel motus quo intelligit æterna, et his inferiora esse temporalia, etiam in se ipsa, et hæc appetenda potiùs quæ superiora sunt, quàm illa quæ inferiora sunt, novit, nonne tibi prudentia videtur ?

(D) Origenes *Homil.* 7. *in Levit. cap.* 10. *init.* Vult ergo sermo divinus sobrios in omnibus esse Domini Sacerdotes, utpote qui accedentes ad altare Dei orare pro populo debeant, et pro alienis intervenire delictis, qui portionem in terra non habeant, sed ipse Dominus portio eorum sit... In ebrietatis ægritudine, corpus simul et anima corrumpitur, spiritus pariter cum carne vitiatur. Omnia membra debilitat, pedem, manum, linguam resolvit, oculos tenebrat, mentem velat oblivio, ita ut hominem se nesciat esse nec sentiat. Habet ergo istud primò dedecoris corporalis ebrietas. Jam verò si discutiamus quot modis mens inebrietur humana, inveniemus ebrios etiam eos, qui sibi sobrii videntur. Iracundia inebriat animam, furor verò eam plus quàm ebriam facit, si quid tamen esse ebrietate amplius potest. Cupiditas et avaritia non solùm ebrium, sed et rabidum hominem reddunt. Et obscœnæ concupiscentiæ inebriant animam, sicut è contrario et sanctæ concupiscentiæ inebriant eam, sed ebrietate sanctâ illâ de qua dicebat quidam Sanctorum : Et poculum tuum inebrians quàm præclarum est... Vide quanta sunt quæ inebriant animam : et formido inebriat eam, et vana suspicio : invidia autem et livor supra omnem ebrietatem macerant eam.

S. Ambros. *Lib.* 1. *de Offic. cap.* 43. *n.* 219. Quoniam de tribus virtutibus diximus, restat ut de quarta virtute dicamus, quæ temperantia ac modestia vocatur : in qua maximè tranquillitas animi, studium mansuetudinis, moderationis gratia, honesti cura, decoris consideratio spectatur et quæritur.

I. Quid intelligis per ea quæ temporaliter appetuntur et delectant ?

R. Intelligo divitias, voluptates, honores, et quidquid potest cupiditas appetere.

I. Quid est fortitudo Christiana ?

R. Definitur à S. Augustino *Amor omnia propter Deum facilè perferens.* (*Id. ib. c.* 15. *n.* 25.)

Vel *Animæ affectio, quâ omnia incommoda et damna rerum*

N. 220. Ordo igitur quidam vitæ nobis tenendus est, ut à verecundia prima quædam fundamenta ducantur : quæ socia ac familiaris est mentis placiditati, proterviæ fugitans, ab omni aliena luxu, sobrietatem diligit, honestatem fovet, decorum illud requirit.

Lib. 1. *de Jacob. et vita beata, cap.* 2. *n.* 5. Meritoque temperantia quàm maximè istarum passionum restinguit ardorem, quæ primùm sobrietate atque moderamine animum temperat, mentem informat ; deindè etiam deliciarum abstinentiâ restringit habenas corporalis ferocitatis... Temperantia est igitur correctionis prævia, disciplinæ magistra.

N. 8. Temperantia est igitur quæ resecat cupiditates.

Epist. 63. *ad Vercell. Eccles. n.* 27. Quid quod naturæ conveniens temperantia est, atque illi divinæ legi, quæ in ipso rerum ortu omnium fontes potui, fructus arborum esui dedit.

N. 32. Sed non illa solùm laudabilis, quæ parca est ciborum temperantia ; sed etiam illa quæ concupiscentiæ. Denique scriptum est : (*Eccli.* XVIII. 30.) *Post concupiscentias tuas ne eas, et à voluptate tua avertere. Si dederis animæ tuæ concupiscentiam, gaudio erit inimicis tuis :* et infrà : (*Eccli.* XIX. 2.) *Vinum et mulieres apostatare faciunt etiam sapientes.* Undè et Paulus (1. *Cor.* VII. 2. *et seq.*) etiam in ipsis conjugiis temperantiam docet ; est enim velut quidam adulter incontinens in matrimonio, qui legem Apostolicam prævaricatur.

S. Aug. *Lib.* 6. *de Musica, cap.* 15. *n.* 50. Sed hæc actio quâ sese anima, opitulante Deo et Domino suo, ab amore inferioris pulchritudinis extrahit, debellans atque interficiens adversùs se militantem consuetudinem suam, eâ victoriâ triumphatura in semetipsa de potestatibus aeris hujus, quibus invidentibus et præpedire cupientibus, evolat ad suam stabilitatem et firmamentum Deum, nonne tibi videtur ea esse virtus quæ temperantia dicitur ?

Lib. 1. *de Moribus Eccles. Cathol. cap.* 19. *n.* 35. Temperantia.... nobis amoris illius quo innectimur Deo integritatem quamdam et incorruptionem pollicetur. Munus enim ejus est in coërcendis sedandisque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea, quæ nos avertunt à legibus Dei, et à fructu bonitatis ejus : quod est... beata vita.

Cap. 20. *n.* 37. Non sunt igitur etiam ista (sensibilia) diligenda ei, qui amorem illum incorruptum Deo cogitat exhibere... Amandus igitur solus est Deus : omnis verò iste mundus, id est, omnia sensibilia contemnenda ; utendum autem his ad vitæ necessitatem.

Cap. 21. *n.* 39. Habet igitur vir temperans, in hujuscemodi rebus mortalibus et fluentibus, vitæ regulam utroque Testamento firmatam ; ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem quantùm sat est, usurpet, utentis modestiâ, non amantis affectu.

Cap. 23. *n.* 42. *in fine.* Multò enim mirabilius est, non inhærere istis (sensibilibus) quamvis possideas, quàm omninò ea non possidere.

Lib. 5. *Confess. cap.* 7. *n.* 12. Pulchrior est enim temperantia confitentis animi, quàm illa quæ nosse cupiebam.

Lib. 10. *cap.* 37. *n.* 60. Imperas nobis.... continentiam : da quod jubes, et jube quod vis. Tu nosti de hac re gemitum cordis mei, et flumina oculorum meorum.

N. 61. Nobis imperasti non tantùm continentiam, id est, à quibus rebus amorem cohibeamus ; verùm etiam justitiam, id est, quò eum conferamus.

non in nostra potestate constitutarum contemnimus. (*Lib.* 1, *de lib. arbitr. c.* 13. *n.* 27.)

Vel *Firmitas animi adversùs ea quæ temporaliter molesta sunt.* (*Quæst.* 83. *q.* 61. *n.* 4.)

Describi potest ex mente earum definitionum, virtus, quâ fit ut nihil nos separare possit à charitate Dei, non tribulatio, non angustia, non persecutio, non gladius; sed omnia pati parati simus potiùs quàm Dei legem et præscripta nobis officia deserere. (E)

(E) ORIGEN. *de Divers. Homil.* 6. *Quare turbati estis pusillæ fidei* ? Cur non habetis fortitudinem ? Cur non habetis confidentiam, et fiduciam apud me tenetis ? Etsi mors irrueret, nonne eam debuistis constantissimè sustinere ? Ad omne enim quidquid evenerit fortitudo necessaria est, ad omne periculum vel tribulationem usque ad exitum animæ. Similiter et circa delicias et divitias et terrenos honores, animi fortitudo tenenda est, ut neque extollaris, ô homo, neque in superbiam erigaris, non despicias inimicos, nec humilem spernas, neque obliviscaris Dominum, neque derelinquas Creatorem, nec existas ingratus. Si ergo in necessitate, et in periculis fortitudo necessaria est, ut viriliter cum fide toleres universa : Multò magis circa delicias, ut dictum est, et luxurias fortitudo necessaria est, ne in decipulam incidas diaboli.

S. AUG. *de Musica, lib.* 6. *cap.* 15. *n.* 50. Quid porrò, cùm in hoc itinere proficit (anima,) jam æterna gaudia præsentientem ac penè prehendentem, num amissio rerum temporalium, aut mors ulla deterret jam valentem dicere infirmioribus sociis : (*Philipp.* 1. 23. 24.) *Bonum est mihi dissolvi, et esse cum Christo : manere autem in carne, necessarium propter vos ? D.* Sic existimo. *M.* At ista ejus affectio quâ nullas adversitates mortemve formidat, quid aliud quàm fortitudo dicenda est ? *D.* Et hoc agnosco.

Lib. 1. *de Morib. Eccles. Cathol. cap.* 22. *n.* 40. De fortitudine verò non multa dicenda sunt. Amor namque ille de quo loquimur, quem totâ sanctitate inflammatum esse oportet in Deum, in non appetendis istis temperans, in amittendis fortis vocatur. Sed inter omnia quæ in hac vita possidentur, corpus homini gravissimum vinculum est, justissimis Dei legibus, propter antiquum peccatum, quo nihil est ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius. Hoc ergo vinculum ne concutiatur atque vexetur, laboris et doloris : ne auferatur atque perimatur, mortis terrore animam quatit. Amat enim illud vi consuetudinis, non intelligens, si eo benè atque scienter utatur, resurrectionem reformationemque ejus ope ac lege divinâ sine ulla molestia juri suo subditam fore : sed cùm se hoc amore tota in Deum converterit, his cognitis mortem non modò contemnet, verùm etiam desiderabit.

N. 41. Sed restat cum dolore magna conflictio. Nihil est tamen tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur. Quo cùm se anima rapiet in Deum, super omnem carnificinam libera et admiranda volitabit pennis pulcherrimis et integerrimis, quibus ac Dei amplexum amor castus innititur. Nisi verò amatores auri, amatores laudis, amatores feminarum, amatoribus suis Deus sinet esse fortiores ; cùm ille non amor, sed congruentiùs cupiditas vel libido nominetur. In qua tamen apparet quantus sit impetus animi ad ea quæ diliguntur indefesso cursu per immania quæque tendentis, argumentoque nobis est, quàm sint omnia perferenda, ne deseramus Deum, si tanta illi ut deserant perferunt.

Enarrat. in Psal. XLII. *n.* 3. Quia ergo fortitudine opus est, imploranda ab illo qui jussit ut fortes simus, et nisi fortes ipse fecerit, non erimus quod jussit, ab illo qui dixit, (*Matth.* X. 22. *et* XXIV. 13.) *Qui perseveraverit usque in finem, his salvus erit :* ne sibi ipsa anima arrogando fortitudinem debilitetur.

S. AMBR. *l.* 1. *de Offic. c.* 35. *n.* 176. Est itaque fortitudo velut excelsior cæteris, sed nunquam incomitata virtus ; non enim seipsam committit sibi : alioquin fortitudo sine justitia iniquitatis materia est. Quò enim validior est, eò promptior ut inferiorem opprimat.

I. Quid est justitia Christiana ?

R. Multas tradit justitiæ definitiones S. Augustinus. *Justitia*, inquit, *est virtus quâ sua cuique tribuuntur.* (*De lib. arbitr. Lib.* 1. *c.* 13. *n.* 27. *et S. Bernar. Serm.* 3. *in adv. Domini, n.* 4.)

Vel quod idem est, *Justitia est habitus animi, communi utilitate servatâ suam cuique tribuens dignitatem.* (*Lib. Quæst.* 83. *q.* 31.)

Vel est *Ordinatio animæ, quâ fit ut nulli serviamus nisi uni Deo, nulli coæquemur nisi purissimis animis, nulli dominari appetamus nisi naturæ bestiali atque corporeæ.* (*Lib.* 6. *De Musica, c.* 15. *n.* 50.)

Vel *Justitia est amor Deo tantùm serviens, et ob hoc benè im-*

N. 177. Nunquam David nisi lacessitus bellum intulit, itaque prudentiam fortitudinis comitem habuit in prælio. Nam et adversùs Goliam immani mole corporis virum singulari certamine dimicaturus, arma quibus oneraretur respuit ; (1. *Reg.* XVII. 40.) virtus enim suis lacertis magis quàm alienis integumentis nititur. Deindè eminùs, quò graviùs feriret, ictu lapidis hostem interemit. Posteà nunquam nisi consulto Domino, bellum adortus. (2. *Reg.* V. 19.) Ideò in omnibus victor prælliis, usque ad summam senectutem manu promptus, bello adversùm Titanas suscepto, ferocibus bellator miscebatur agminibus, gloriæ cupidus, incuriosus salutis. (2. *Reg.* XXI. 15.)

N. 178. Sed non hæc sola præclara fortitudo est? Sed etiam illorum gloriosam fortitudinem accipimus, (*Hebr.* XI. 33. 34.) " *Qui per fidem magnitudine* animi *obstruxerunt leonum ora, exstinxerunt virtutem ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate fortes:* qui non comitatu et legionibus succincti communem cum multis victoriam, sed nudâ virtute animi singularem de perfidis retulerunt triumphum. Quàm insuperabilis Daniel, qui circa latera sua rugientes non expavit leones ? Fremebant bestiæ, et ille epulabatur.

N. 179. Non igitur in viribus corporis et lacertis tantummodò fortitudinis gloria est, sed magis in virtute animi : neque in inferenda, sed in depellenda injuria lex virtutis est. Qui enim non repellit à socio injuriam, si potest, tam est in vitio, quàm ille qui facit. Undè sanctus Moyses hinc priùs orsus est tentamenta bellicæ fortitudinis. Nam cùm vidisset Hebræum ab Ægyptio injuriam accipientem defendit ; (*Exod.* II. 11.) ita ut Ægyptium sterneret, atque in arena absconderet. Salomon quoque ait : (*Prov.* XXIV. 11.) *Eripe eum qui ducitur ad mortem.*

N. 180. Et reverà jure ea fortitudo vocatur, quando unusquisque seipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur atque inflectitur, non adversis perturbatur, non extollitur secundis, et quasi vento quodam, variarum rerum circumfertur mutatione. Quid autem excelsius et magnificentius, quàm exercere mentem, afficere carnem et in servitudinem redigere ; ut obediat imperio, consiliis obtemperet, ut in adeundis laboribus impigrè exsequatur propositum animi ac voluntatem ?

N. 181. Hæc igitur prima vis fortitudinis, quoniam in duobus generibus fortitudo spectatur animi. Primò, ut externa corporis pro minimis habeat, et quasi superflua despicienda magis quàm expetenda ducat. Secundò, ut ea quæ summa sunt, omnesque res in quibus honestas et illud *prepon* cernitur, præclarâ animi intentione usque ad affectum persequatur. Quid enim tam præclarum, quàm ut íta animum informes tuum, ut neque divitias, neque voluptates, neque honores in maximis constituas, neque in his studium omne conteras ? Quòd cùm ita affectus animo fueris, necesse est ut illud honestum ac decorum præponendum putes, illique mentem ita intendas tuam, ut quidquid acciderit quo frangi animi solent, aut patrimonii amissio, aut honoris immunitio, aut obtrectatio infidelium, quasi superior, non sentias. Deindè ut te salutis ipsius pericula pro justitia susscepta non moveant.

perans cæteris quæ homini subjecta sunt. (F) (*Lib.* 1. *de morib. Eccles. cathol. cap.* 15. *n.* 25.)

Ex his omnibus justitiæ definitionibus quæ eòdem recidunt, potest definiri justitia, virtus qua fit ut anima, et Deo, et proximo, et sibi ipsi tribuat quod cuique debetur.

Sumi potest justitia pro aggregatione virtutum omnium Christianarum: et eo sensu *Justitia est dilectio Dei et proximi*, inquit S. Augustinus. (*Lib. Quæst.* 83. *Q.* 61. *n.* 4.)

I. Quod superiùs dixisti ex S. Augustino justitiam esse ordinationem animæ, quâ fit ut soli Deo serviamus, ut nulli cœquemur nisi purissimis animis, nulli dominari appeta-

N. 182. Hæc vera fortitudo est, quam habet Christi athleta, qui, nisi legitimo certamine, non coronatur. An mediocre tibi videtur præceptum fortitudinis: (*Rom.* v. 3. *et* 4.) *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio autem spem?* Vide quot certamina, et una corona.

Cap. 39. *n.* 202. Non est igitur mediocris nec discreta à cæteris animi fortitudo, quæ bellum cum virtutibus gerat: sed quæ sola defendat ornamenta virtutum omnium, et judicia custodiat; et quæ inexpiabili prælio adversùs omnia vitia decernat, invicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior adversùs voluptates, dura adversùs illecebras, quibus aurem deferre neseiat.

(F) S. Ambros. *Lib.* 1. *de Offic. cap.* 28. *n.* 130. Justitia igitur ad societatem generis humani, et ad communitatem refertur.

Cap. 29. *n.* 139. Quanta autem justitia fit ex hoc intelligi potest, quòd nec locis, nec personis, nec temporibus excipitur, quæ etiam hostibus reservatur: ut si constitutus sit cum hoste aut locus aut dies prælio, adversùs justitiam putetur aut loco prævenire, aut tempore.

N. 140. Si ergo etiam in bello justitia valet, quantò magis in pace servanda est?

Expos. in Psal. cxviii. *Serm.* 16. *n.* 13. *Fecit judicium et justitiam.* In judicio non contempsi pauperem, non oppressi viduam, personam divitis non recepi, in omnibus operibus justitiam reservavi.

N. 14. Judicii finis justitia est. In altero veritatis custodia, in altero fructus est æquitatis: utraque tamen non privata virtus, sed publica. Nam immaculatum corpus à virili permixtione servare, et palmam castimoniæ limoso in corpore usque ad Angelorum conversationem custodiâ integritatis evehere, utilitas privata, laus publica est: frugi esse ac modestum, et sobriæ parcitatis tenere mensuram probatur à pluribus; sed sibi soli proficit. Fortitudo in prœliis eminet, in otio friget: cujus opus in tempore necessarium, in voto adversum; malunt enim homines non pugnare, quàm vincere. Sola justitia est quæ omnibus temporibus, aliis potiùs nata quàm sibi, quotidiano usu, et fructu publico, suo damno alienas custodit utilitates: quæ nihil habeat utilitatis, et plurimùm laudis.

Lib. 2. *de Abraham, cap.* 10. *n.* 68. Quòd fons sit justitia cæterarum virtutum, quæ virtutes alias illuminet. Prudentia enim sine justitia nocet, fortitudo quoque nisi eam justitia temperet, intolerabilis insolentia est: furori quàm rationi proprior, dominationi quàm libertati. Sobrietas et temperantia privata bona sunt, nec ulli usui, nisi justâ erga Deum reverentiâ, et fidei mente pietatem colas. Justitia sola est quæ virtutes omnes complectitur, et commendat omnes.

Lib. de Noë et arca, cap. 1. *n.* 2. Advertas justitiam solam esse, quæ aliis potiùs nata est, quàm sibi: non quod sibi utile est quærat, sed quod omnibus: hæc nos requiescere facit ab operibus iniquitatis, hæc revocat à tristitia; quia dùm ea quæ justa sunt gerimus, nihil timemus puræ conscientiæ securitate, non dolemus gravem dolorem. Nihil enim est quod majoris doloris sit, quàm culpæ reatus.

S. Aug. *Lib. de Moribus Eccles. Cathol. cap.* 24. *n.* 44. Hanc justitia vitæ regulam, dabit huic amatori, ut Deo quem diligit, id est, summo bono, summæ sapientiæ, summæ paci libentissimè serviat; cæteraque omnia partim subjecta sibi regat, partim subiicienda præsumat.

mus nisi naturæ bestiali atque corporeæ ; id mihi perobscurum videtur ?

R. Facile est id planum reddere. Tunc solùm justi sumus, cùm servamus præstitum à Deo ordinem ; ita ut suum cuique tribuamus. In eo positam esse justitiæ rationem nemo non intelligit.

Atqui in eo positus est ordo constitutus à Deo, 1° Ut soli Deo serviamus ; hoc enim debemus supremo rerum omnium conditori et Domino. Hoc autem non fit, nisi cùm Deum unum summè diligimus ; non colitur enim Deus, nisi amando, ut suprà diximus post S. Augustinum.

2° Ut coæquari appetamus purissimis animis, id est Angelis. Id autem fit solùm cùm et nos ipsos et proximum diligimus ut par est ; eâ nimirùm dilectione quâ fit ut tendamus ad illam beatitudinem quâ fruuntur sancti Angeli ; atque adeò ut Angelis in felicitate coæquemur. Ad hanc æqualitatem cum Angelis vocamur, juxtà illud Christi, *in resurrectione.... erunt æquales Angelis Dei.* (*Luc.* XX. 36.) Quam autem beatitudinem nobis, hanc et proximo appetere tenemur. Ex Dei ordinatione debet proximus nobis in dilectione coæquari. *Diliges proximum sicut te ipsum.* (*Matth.* XIX. 19. *et* XXII. 39.) Hæc altera lex est ordinis a Deo præstituti.

3° Ut qui intellectu et ratione præditi sunt, utpote nobiliores, iis rebus quæ carent intellectu et ratione, illisque ordine superiores, non istis subjiciantur ; non illis serviant, non illas appetant ut suam beatitudinem ; imò illis dominentur ; quia dominium in res corporeas acceperunt à Deo. Tunc solùm tenemus hunc ordinem, cùm à terrenarum rerum amore avulsi, soli Deo adhæremus ut summo bono, dominamurque carni nostræ ejusque cupiditatibus. Atque illud est quod significat Sanctus Augustinus, dùm ait *Justitiam esse amorem soli Deo servientem, et ob hoc benè imperantem cæteris quæ homini subjecta sunt.* (*Lib.* 1. *de moribus Eccles. cathol. c.* 15. *n.* 25.)

I. Quâ ratione per justitiam et Deo et nobismetipsis et proximo tribuimus quod debemus ?

R. Id fit dùm Deum super omnia, nosque propter Deum, proximumque sicut nos diligimus, adeoque cùm reddimus unicuique, sive superiori enti, sive æqualibus, sive inferioribus, quod suum est, ut suprà explicuimus. (*tribus primis* §. *Capitis sup.*)

In summa, ut ad unum breviter coarctemus quidquid de quatuor virtutibus Cardinalibus mox diximus, operæ pretium est hìc referre egregia hæc Sancti Augustini verba : *In hac vita*, inquit, *virtus non est nisi diligere quod diligendum est · nullis indè averti molestiis, fortitudo est ; nullis illecebris, temperantia est ; nullâ superbiâ, justitia est. Quid autem eligamus quod præcipuè diligamus, nisi quo nihil melius*

invenimus ? Hoc Deus est. (*Epist.* 155 *aliàs* 52. *ad Macedon. c.* 4. *n.* 13.)

§. 2. De Virtutibus quæ ex virtutibus Cardinalibus oriuntur, vel cum ipsis connexæ sunt. Et de Vitiis oppositis.

I. Quænam virtutes, vel prudentiæ partes sunt, vel ipsi annexæ ?

R. 1. Attentio ad res præteritas, quæ memoria vulgò dicitur. (A) 2. Intelligentia præsentium. (B) 3. Providentia futurorum. (C) 4. Solertia quà quis statim intelligit quid agendum sit in improvisis eventibus. (D) 5. Docilitas in accipiendis et exsequendis rectis aliorum consiliis. (E) 6. Ratio, id est, recta ratiocinatio. (F) 7. Circumspectio, id est, examen

(A) S. THOMAS 2. 2. *Quæst.* 49. *art.* 1. *in corp.* Prudentia est circa contingentia operabilia.... In his autem non potest homo dirigi per ea quæ sunt simpliciter, et ex necessitate vera, sed ex his quæ ut in pluribus accidunt.... Quid autem sit in pluribus verum, oportet per experimentum considerare.... Experimentum autem est ex pluribus memoriis.... Undè consequens est quòd ad prudentiam requiritur plurium memoriam habere : undè convenienter memoria ponitur pars prudentiæ.

(B) S. THOM. *ubi suprà art.* 2. *in corp.* Quia prudentia est recta ratio agibilium, ideò necesse est quòd totus processus prudentiæ ab intellectu derivetur : et propter hoc intellectus ponitur pars prudentiæ.

(C) S. THOM. *ubi suprà art.* 6. *in corp.* Prudentia propriè est circa ea quæ sunt ad finem, et hoc ad ejus officium propriè pertinet, ut ad finem debitè ordinentur : et quamvis aliqua necessaria sint propter finem, quem subjiciuntur Divinæ providentiæ, humanæ tamen providentiæ non subjiciuntur nisi contingentia operabilia, quæ per hominem possunt fieri propter finem. Præterita autem in necessitatem quamdam transeunt, quia impossibile est non esse quod factum est. Similiter etiam præsentia, in quantum hujusmodi, necessitatem quamdam habent.... Undè consequens est quòd contingentia futura, secundùm quòd sunt per hominem in finem humanæ vitæ ordinabilia, pertineant ad prudentiam : utrumque autem horum importatur in nomine providentiæ : importat enim providentia respectum quemdam alicujus distantis ad ea quæ in præsenti occurrunt, et ordinanda sunt : undè providentia est pars prudentiæ.

(D) S. THOM. *ubi suprà art.* 4. *in corp.* Prudentis est rectam æstimationem habere de operandis. Recta autem æstimatio sive opinio acquiritur in operativis, sicut in speculativis dupliciter : uno quidem modo per se inveniendo : alio modo ab alio addiscendo. Sicut autem docilitas ad hoc pertinet ut homo benè se habeat in acquirendo rectam opinionem ab alio ; ita solertia ad hoc pertinet ut homo benè se habeat in acquirendo rectam æstimationem per seipsum. Solertia autem est (*Arist.* 1. *Poster.*) *facilis et prompta conjecturatio circa inventionem medii....* vel *Solertia est habitus, qui provenit ex repentino, inveniens quod congruit.*

(E) S. THOM. *ubi suprà art.* 3. *in corp.* Prudentia consistit circa particularia operabilia, in quibus cùm sint quasi infinitæ diversitates, non possunt ab uno homine sufficienter omnia considerari, nec per modicum tempus, sed per temporis diuturnitatem : undè in his quæ ad prudentiam pertinent maximè indiget homo ab aliis erudiri, et præcipuè ex senibus qui sanum intellectum adepti sunt circa fines operabilium.... Undè et Proverb. 3. dicitur : *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Et Eccles. 6. dicitur : *In multitudine Presbyterorum,* (id est Seniorum) *prudentium sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere.* Hoc autem pertinet ad docilitatem, ut aliquis sit benè disciplinæ susceptivus : et ideò convenienter docilitas ponitur pars prudentiæ.

(F) S. THOM. *ubi suprà art.* 5. *in corp.* Opus prudentis est esse benè consiliativum.... Consilium autem est inquisitio quædam ex quibusdam ad alia procedens. Hoc autem est opus rationis : undè ad prudentiam

circumstantiarum omnium, temporis, loci, personarum. (G) 8. Cautio, id est, consideratio malorum et impedimentorum quæ fini adversantur, ut illa vitentur. (H) 9. Sollicitudo, seu vigilantia et celeritas ad exsequendum quod agendum esse prudentia determinaverit. (I)

His addi potest: 1. Prudens consilium. (K) 2. Rectum judicium. (L) 3. Sagacitas in discernendis iis rebus in quibus, contra communes regulas, ex superioribus rationibus agere expedit: quam sagacitatem Græci *Gnomen* appellant. (M)

necessarium est quòd homo sit benè ratiocinativus: et quia ea quæ exiguntur ad perfectionem prudentiæ, dicuntur quasi integrales partes prudentiæ, indè est quòd ratio inter partes prudentiæ connumerari debet.

(G) S. THOM. *ubi suprà art.* 7. *in corp.* Ad prudentiam præcipuè pertinet rectè ordinare aliquid ad finem: quòd quidem rectè non fit, nisi ei finis bonus sit, et id quod ordinatur in finem, sit etiam bonum et conveniens fini. Sed quia prudentia.... est circa singula operabilia, in quibus multa concurrunt, contingit aliquid secundùm se consideratum esse bonum et conveniens fini, quod tamen ex aliquibus concurrentibus redditur vel malum, vel non opportunum ad finem: sicut ostendere signa amoris alicui secundùm se consideratum, videtur esse conveniens ad alliciendum ejus animum ad amorem: sed si contingat in animo illius superbia, vel suspicio adulationis, non erit hoc conveniens ad finem: et ideò necessaria est circumspectio ad prudentiam; ut scilicet homo id, quod ordinatur ad finem, comparet etiam cum his quæ circumstant.

(H) S. THOM. *ubi suprà art.* 8. *in corp.* Ea circa quæ est prudentia, sunt contingentia operabilia: in quibus sicut verum potest admisceri falso, ita et malum bono, propter multiformitatem hujusmodi operabilium in quibus bona plerumque impediuntur à malis, et mala habent speciem boni: et ideò necessaria est cautio ad prudentiam, ut sic accipiantur bona quòd vitentur mala.

(I) S. THOM. 2. 2. *q.* 47. *art.* 9. *Sed contra.* Dicitur 1. Petr. 4. *Estote prudentes et vigilate in orationibus:* sed vigilantia est idem sollicitudini: ergo sollicitudo pertinet ad prudentiam.

In corp. Sollicitudo propriè ad prudentiam pertinet.

(K) S. THOM. 2. 2. *q.* 51. *art.* 2. *in corp.* Actus rationis ordinati ad opus sunt diversi, nec habent eamdem rationem bonitatis: ex alio enim efficitur homo benè consiliativus, et benè judicativus, et benè præceptivus: quòd patet ex hoc quòd ista aliquando ab invicem separantur: et ideò oportet aliam esse virtutem *Eubuliam*, per quam homo est benè præceptivus: et sicut consiliari ordinatur ad præcipere tanquam ad principalius, ita etiam *Eubulia* ordinatur ad prudentiam tanquam ad principaliorem virtutem; sine qua nec virtus esset, sicut nec morales virtutes sine prudentia, nec cæteræ virtutes sine charitate.

(L) S. THOM. *ubi suprà art.* 3. *in corp. Synesis* importat judicium rectum; non quidem circa speculabilia, sed circa particularia operabilia, circa quæ etiam est prudentia.... Oportet autem quòd secundùm differentiam actuum qui non reducuntur in eamdem causam, sit etiam diversitas virtutum. Manifestum est autem quod bonitas consilii et bonitas judicii non reducuntur in eamdem causam: multi enim sunt benè consiliativi, qui tamen non sunt benè sensati, quasi rectè judicantes: sicut etiam in speculativis aliqui sunt benè inquirentes, propter hoc quòd ratio eorum prompta est ad discurrendum per diversa; quod videtur provenire ex dispositione imaginativæ virtutis quæ de facili potest formare diversa phantasmata; et tamen hujusmodi quandoque non sunt boni judicii, quod est propter defectum intellectûs, qui maximè contingit ex mala dispositione communis sensus non benè judicantis: et ideò oportet præter *Eubuliam* esse aliam virtutem, quæ est benè judicativa, et hæc dicitur Synesis.

(M) S. THOM. *ubi suprà art.* 4. *in corp.* Contingit quandoque aliquid esse faciendum præter communes regulas agendorum, puta cum impugnatur

I. Quænam sunt vitia prudentiæ opposita?

R. Imprudentia (N), Præcipitatio (O), Inconsideratio (P), Inconstantia (Q), Negligentia (R), Prudentia carnis, id est, solertia in discernendis et exsequendis rebus quæ ad pravum finem diriguntur (S), Astutia (T), Fraus et Do-

patriæ non est depositum reddendum, vel aliquid aliud hujusmodi : et ideò oportet de hujusmodi judicare secundùm aliqua altiora principia, quàm sint regulæ communes, secundùm quas judicat synesis : et secundùm illa altiora principia exigitur altior virtus judicativa, quæ vocatur *Gnome ;* quæ importat quamdam perspicacitatem judicii.

(N) S. THOM. 2. 2. *q.* 53. *art.* 2. *in corp.* Imprudentia non est generale peccatum, sicut nec prudentia generalis virtus, cùm sint circa actus speciales, scilicet circa ipsos actus rationis.... Sicut prudentia principatur quodammodo in omnibus virtutibus, in quantum est directiva earum: ita et imprudentia in omnibus vitiis et peccatis : nullum enim peccatum potest accidere, nisi sit defectus in aliquo actu rationis dirigentis ; quod pertinet ad imprudentiam.

(O) S. THOM. *ubi suprà art.* 3. *in corp.* Dicitur præcipitari secundùm corporalem motum, quod à superiori in ima pervenit... Summum autem animæ est ipsa ratio ; imum autem est operatio per corpus exercita : gradus autem medii, per quos oportet ordinatè descendere, memoria præteritorum, intelligentia præsentium, solertia in considerandis futuris eventibus, ratiocinatio conferens unum alteri, docilitas per quam aliquis acquiescit sententiis majorum : per quos quidem gradus aliquis ordinatè descendit, rectè consiliando. Si quis autem feratur ad agendum per impetum voluntatis vel passionis, pertransitis hujusmodi gradibus, erit præcipitatio. Cùm ergo inordinatio consilii ad imprudentiam pertineat, manifestum est quòd vitium præcipitationis sub imprudentia continetur.

(P) S. THOM. *ubi suprà art.* 4. *in corp.* Consideratio importat actum intellectûs, veritatem rei intuentis.... et ideò consideratio maximè pertinet ad judicium : undè et defectus recti judicii ad vitium inconsiderationis pertinet ; prout scilicet aliquis in rectè judicando deficit ex hoc quòd contemnit vel negligit attendere ea ex quibus rectum judicium procedit : undè manifestum est quòd inconsideratio est peccatum.

(Q) S. THOM. *ubi suprà art.* 5. *in corp.* Inconstantia importat recessum quemdam à bono proposito diffinito.... Sicut autem omnis rectitudo rationis practicæ pertinet aliqualiter ad prudentiam, ita omnis defectus ejusdem pertinet ad imprudentiam : et ideò inconstantia secundùm sui consummationem ad imprudentiam pertinet : et sicut præcipitatio est ex defectu circa actum consilii, et inconsideratio circa actum præcepti : ex hoc enim dicitur aliquis esse inconstans, quòd ratio deficit in præcipiendo ea quæ sunt consiliata et judicata.

(R) S. THOM. 2. 2. *Quæst.* 54. *art.* 1. *in corpore.* Negligentia importat defectum debitæ sollicitudinis : omnis autem defectus debiti actus habet rationem peccati : undè manifestum est quòd negligentia habet rationem peccati.

Ad tertium, dicendum quòd materia negligentiæ propriè sunt bona quæ quis agere debet : non quòd ipsa sint bona, cùm negligenter aguntur ; sed quia per negligentiam accidit defectus bonitatis in eis ; sive prætermittatur totaliter actus debitus propter defectum sollicitudinis, sive etiam aliqua debita circumstantia actûs.

(S) S. THOM. 2. 2. *q.* 55. *art.* 1. Sed contra : nullus est inimicus Deo, nisi propter iniquitatem.... Sed sicut dicitur ad Rom. 8. *Prudentia carnis inimica est Deo ;* ergo prudentia carnis est peccatum.

In corp. Prudentia est circa ea quæ sunt ad finem totius vitæ : et ideo prudentia carnis propriè dicitur, secundùm quòd aliquis bona carnis habet ut ultimum finem vitæ suæ : manifestum est autem quòd hoc est peccatum : per hoc enim homo deordinatur circa ultimum finem qui non consistit in bonis corporis.

(T) S. THOM. *ubi suprà art.* 3. *in corp.* Aliquod peccatum potest esse con-

lus. (V) Denique Immoderata de rebus temporalibus sollicitudo. (X)

I. Quænam virtutes, vel Temperantiæ partes sunt, vel ipsi annexæ?

R. Verecundia et honestas : Abstinentia, Jejunium, Sobrietas : Castitas, Continentia : Clementia, Mansuetudo, Benignitas : Modestia : Humilitas : Moderatio, Parcitas : Taciturnitas (Y) virtus quam studiositatem vocant ; id est,

tra prudentiam habens aliquam similitudinem ejus... inquantum aliquis ad finem aliquem consequendum (vel bonum vel malum) utitur non veris viis, sed simulatis et apparentibus : et hoc pertinet ad peccatum astutiæ : undè est quoddam peccatum prudentiæ oppositum.

(V) S. Thom. *ubi suprà art.* 5. *in corp.* Sicut dolus consistit in executione astutiæ, ita etiam et fraus : sed in hoc differre videntur, quòd dolus pertinet universaliter ad executionem astutiæ ; sive fiat per verba, sive per facta : fraus autem magis pertinet ad executionem astutiæ, secundùm quòd fit per facta.

(X) S. Thom. *ubi suprà art.* 6. *in corp.* Sollicitudo temporalium rerum tripliciter potest esse illicita : uno quidem modo ex parte ejus de quo sollicitamur ; si scilicet temporalia tanquam finem quæramus : undè et August. dicit in lib. de operibus Monachorum, cap. 26. *Cùm Dominus dicit :* Nolite solliciti esse, etc. *hoc dicit, non ut ista non procurent quantùm necessitati satis est, undè honestè potuerint ; sed ut non ista intucantur, et propter ista faciant quidquid in Evangelii prædicatione facere jubentur.* Alio modo potest esse temporalium sollicitudo illicita propter superfluum studium quod apponitur ad temporalia procuranda ; propter quod homo à spiritualibus, quibus principaliùs inservire debet, retrahitur : et ideò dicitur (*Matth.* 13.) quòd *sollicitudo* seculi suffocat verbum. Tertio modo ex parte timoris superflui ; quando scilicet aliquis timet ne faciendo quod debet, necessaria sibi deficiant.

(Y) S. Thom. 2. 2. *p.* 143. *art. unico in corp.* Alicujus virtutis cardinalis triplices partes esse possunt, scilicet integrales, subjectivæ, potentiales. Et dicuntur partes integrales alicujus virtutis conditiones quas necesse est concurrere ad virtutem : et secundùm hoc sunt duæ partes integrales temperantiæ. Scilicet verecundia, per quam aliquis refugit turpitudinem temperantiæ contrariam ; et honestas, per quam scilicet aliquis amat pulchritudinem temperantiæ : nam præcipuè.... temperantia inter virtutes vindicat sibi quemdam decorem, et vitia intemperantiæ maximè turpitudinem habent. Partes autem subjectivæ alicujus virtutis dicuntur species ejus. Oportet autem diversificare species virtutum secundùm diversitatem materiæ vel objecti : est autem temperantia circa delectationes tactûs, quæ dividuntur in duo genera : nam quædam ordinantur ad nutrimentum : et in his quantùm ad cibum, est abstinentia ; quantùm autem ad potum, propriè sobrietas : quædam verò ordinantur ad vim generativam : et his quantum ad delectationem principalem ipsius coitûs est castitas ; quantùm autem ad delectationes circumstantes (putà, quæ sunt in osculis, tactibus et amplexibus) attenditur pudicitia. Partes autem potentiales alicujus virtutis principalis dicuntur virtutes secundariæ, quæ modum, quem principalis virtus observat circa aliquam principalem materiam, eumdem observant in quibusdam aliis materiis, in quibus non est ita difficile.... præter motum autem concupiscentiæ quem moderatur et refrenat temperantia, tres motus inveniuntur in anima in aliquid tendentes : primus quidem est motus voluntatis commotæ ex impetu passionis ; et hunc motum refrenat continentia ; ex qua fit ut, licèt homo immoderatas concupiscentias patiatur, voluntas tamen non vincatur : alius autem motus interior in aliquid tendens, est motus spei et audaciæ quæ ipsam consequitur : et hunc motum moderatur sive refrenat humilitas : tertius autem motus est iræ tendens in vindictam ; quem refrenat mansuetudo sive clementia. Circa motus autem et actus corporales moderationem et refrenationem facit modestia.... in collo-

virtus quæ modum et ordinem sciendi, cognoscendi, addiscendi, constituit. (Z) Tandem Eutrapelia seu jucunda urbanitas. (AA)

I. Quænam sunt vitia opposita Temperantiæ ?

R. Intemperantia ; Inverecundia ; Impudentia ; Luxuria ; quiis amicorum vel quibuscunque aliis.... austeritas, (*vel* taciturnitas.) Circa exteriora verò dupliciter moderatio est adhibenda, primò quidem ut superflua non requirantur : et *est* parcitas..., Secundò verò, ut homo non nimis exquisita requirat : et *est* moderatio, *seu* simplicitas.

Superiora fusiùs explicantur Quæst. sequent. Ea omnia hîc exscribere superfluum visum est : qui plura volent adeant S. Doctorem.

Quæst. 155. *art.* 2. Nomen continentiæ refrenationem quamdam importat, inquantum scilicet tenet se aliquis ne passiones sequatur : et ideò propriè continentia dicitur circa illas passiones, quæ impellunt ad aliquid prosequendum ; in quibus laudabile est ut ratio retrahat hominem à prosequendo :.... et ideò continentia et incontinentia propriè dicuntur circa concupiscentias delectationum tactûs.

(Z) S. THOM. 2. 2. *Quæst.* 166. *art.* 1. *in corp.* Ad temperantiam pertinet moderari motum appetitûs, ne superfluè tendat in id quod naturaliter concupiscitur : sicut autem naturaliter homo concupiscit delectationes ciborum et venereorum secundùm naturam corporalem ; ita secundùm animam naturaliter desiderat cognoscere aliquid : undè et Philosophus dicit in principio Metaphysicorum quod *omnes homines naturaliter scire desiderant.* Moderatio autem hujusmodi appetitûs pertinet ad virtutem studiositatis : undè consequens est quòd studiositas sit pars potentialis temperantiæ, sicut virtus secundaria ei adjuncta ut principali virtuti.

(AA) S. THOM. 2. 2. *Quæst.* 168. *art.* 2. *in corp.* Sicut homo indiget corporali quiete ad corporis refocillationem, quia non potest continuè laborare propter hoc quod habet finitam virtutem, quæ determinatis laboribus proportionatur ; ita etiam est ex parte animæ, cujus etiam est virtus finita, ad determinatas operationes proportionata : et ideò quandò ultra modum suum in aliquas operationes se extendit, laborat, et ex hoc fatigatur ; præsertim, quia in operationibus animæ simul etiam laborat corpus ; inquantum scilicet anima intellectiva utitur viribus per organa corporea operantibus... Sicut autem fatigatio corporalis solvitur per corporis quietem, ita etiam oportet quòd fatigatio animalis solvatur per animæ quietem. Quies autem animæ est delectatio.... et ideò oportet remedium contra fatigationem animalem adhiberi per aliquam delectationem, intermissâ intentione ad insistendum studio rationis.... Hujusmodi autem dicta vel facta in quibus non quæritur nisi delectatio animalis, vocantur ludicra vel jocosa : et ideò necesse est talibus interdùm uti, quasi ad quamdam animæ quietem : et hoc est quod Philosophus dicit in 4. Ethic. (cap. 14. sive 12.) quòd *in hujus vitæ conversatione quædam requies cum ludo habetur :* et ideò oportet interdùm aliquibus talibus uti : circa quæ tamen videntur tria esse præcipuè cavenda : quorum primum et principale est, quòd prædicta delectatio non quæratur in aliquibus operationibus vel verbis turpibus, vel nocivis : undè Tullius dicit in 1. de Offic. quòd unum genus jocandi est illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum : aliud autem attendendum est, ne totaliter gravitas animæ resolvatur : undè Ambros. dicit in 1. de Offic. cap. 20. Caveamus ne dùm relaxare animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quemdam bonorum operum : et Tullius dicit in 1. de Offic. quòd sicut pueris non omnem ludendi licentiam damus, sed eam quæ ab honestis actionibus non sit aliena : sic in ipso joco aliquo probi ingenii lumen elucebat. Tertiò autem attendendum est, sicut et in omnibus aliis humanis actionibus, ut congruat personæ, et tempori, et loco, et secundùm alias circumstantias debitè ordinetur ; ut scilicet sit et tempore et homine dignus ; ut Tullius dicit ibidem. Hujusmodi autem secundùm regulam rationis ordinantur : habitus autem secundùm rationem operans est virtus moralis : et ideò circa ludos potest esse aliqua virtus, quam Philosophus Eutrapeliam nominat.... et in quantum per

Gula ; Ebrietas ; Incontinentia ; Crudelitas ; nimia indulgentia ; **Ira ;** immoderatus vestium cultus ; uno verbo quidquid nimis est in omnibus ; quidquid contra virtutes suprà positas peccatur, vel per excessum, vel per defectum in somno, verbi gratiâ, in studiis, in vigiliis, in ludis, in verbis, in silentio, in lætitia, in tristitia, etc. (BB)

I. Quænam virtutes Fortitudinis partes sunt, vel ipsi annexæ?

R. **Magnanimitas ; Patientia ; Perseverantia ; Magnificentia,** quæ non excedit modum rationis, et divinæ Legis regulam. (CC)

I. Quandonam magnificentia non excedit modum rationis et divinæ Legis regulam ?

R. Quando non ex cupiditate sed ex charitate oritur. Verbi gratiâ, laudabile est ædificare templa, xenodochia, collegia, aliaque id genus, quæ ad religionis vel reipublicæ decus et ornamentum conferunt. Laudabile est in proprios usus expendere quidquid pertinet ad decorum conditionis, statûs, dignitatis et officiorum. Hæc magnificè fieri nihil vetat, 1. Si non ex vanitate, curiositate, vel ex alio pravo mentis affectu fiant : 2. Si servetur ordo justitiæ, ita ut reddatur unicuique quod suum est, nec in illos usus impendatur quod debetur, verbi gratiâ, creditoribus, familiaribus, mercenariis, etc. 3. Si servetur ordo charitatis, nec in illos usus expendatur quod, habitâ ratione necessitatum, debetur pauperibus. 4. Si servetur modus in ejusmodi expensis ; ne quid nimis fiat, habitâ ratione statûs, conditionis, dignitatis, officiorum, cæterarumque rerum ejusmodi, quæ prudenter in his perpendenda sunt.

I. Quænam sunt vitia opposita fortitudini ?

hanc virtutem homo refrenatur ab immoderantia ludorum, sub modestia continetur.

(BB) *De his vitiis sæpiùs in hoc Opere agitur ; quòd autem temperantiæ sint oppositæ, res per se clamat, et probatione non indiget. De his lege* S. THOM. 2. 2. *à Quæst.* 140. *ad* 171.

(CC) S. THOM. 2. 2. *Quæst.* 128. *art.* 1. *in corp.* Duplex est fortitudinis actus, scilicet aggredi et sustinere : ad actum autem aggrediendi duo requiruntur, quorum primum pertinet ad animi præparationem.... et quantum ad hoc ponit Tullius fiduciam (*seu magnanimitatem :*) undè dicit quòd *fiducia est, per quam magnis et honestis in rebus, multum ipse animus in se fiduciæ, certâ cum spe collocavit :* secundum autem pertinet ad operis executionem ; nescilicet aliquis deficiat in executione illorum quæ fiducialiter inchoavit : et quantùm ad hoc ponit Tullius magnificentiam : undè dicit quod magnificentia est rerum magnarum et excelsarum cum animi splendida propositione, cogitatio, atque administratio (id est executio), ut scilicet amplo proposito administratio non desit... Ad alium autem actum fortitudinis, qui est sustinere, duo requiruntur : quorum primum est, ne difficultate imminentium malorum animus frangatur per tristitiam, et decidat à sua magnitudine : et quantùm ad hoc ponit patientiam (Arist. in 4. Ethic.) ; undè dixit quòd *patientia est honestatis aut utilitatis causâ rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpessio :* aliud autem ad hoc quod non desistat ; secundùm illud ad Hebr. 12. Non fatigemini, animis vestris deficientes : et quantùm ad hoc ponit perseverantiam : undè dicit quòd perseverantia est *in* ratione benè considerata, stabilis et perpetua permansio.

R. Præsumptio (DD); temeritas; ambitio (EE); vana gloria (FF), pusillanimitas, seu vecordia (GG), mollities (HH), obstinatio (II), impatientia; prodigalitas (KK), avaritia,

(DD) S. Thomas. 2. 2. *Quæst.* 130. *art.* 2. *in corp.* Magnanimitas consistit in medio; non quidem secundùm quantitatem ejus in quod tendit, quia tendit in maximum, sed... secundùm proportionem ad propriam facultatem; non enim ad majora tendit quàm sibi conveniant. Præsumptuosus autem quantùm ad id in quod tendit, non excedit magnanimum, sed multùm quandoque ab eo deficit: excedit autem secundùm proportionem suæ facultatis, quam magnanimus non transcendit: et hoc modo præsumptio opponitur magnanimitati per excessum.

(EE) S. Thom. 2. 2. *q.* 131. *art.* 3. *in concl.* Ambitio peccatum est quo quis inordinatè honorem desiderat, vel quem non meretur, vel quem non in Deum, sed ad sui ipsius tantùm utilitatem refert. Honor importat quamdam reverentiam alicui exhibitam in testimonium excellentiæ ejus. Circa excellentiam autem hominis duo sunt attendenda: Primò quidem quòd illud secundùm quod homo excellit, non habet homo à seipso, sed est quasi quiddam divinum in eo. Et ideò ex hoc non debetur ei principaliter honor, sed Deo: Secundò considerandum est quòd illud in quo homo excellit, datur homini à Deo, ut ex eo aliis prosit: undè in tantum debet homini placere testimonium suæ excellentiæ quod ab aliis exhibetur, in quantum ex hoc paratur sibi via ad hoc quod aliis prosit: Tripliciter autem appetitum honoris contingit esse inordinatum: uno modo per hoc quòd aliquis appetit testimonium de excellentia quam non habet: quod est appetere honorem supra suam proportionem: alio modo, per hoc quòd honorem sibi cupit, non referendo in Deum: Tertio per hoc quod appetitus ejus in ipso honore quiescit, non referens honorem ad utilitatem aliorum. Ambitio autem importat inordinatum appetitum honoris. Undè manifestum est quòd ambitio semper est peccatum.

(FF) S. Thom. 2. 2. *Quæst.* 132. *art.* 2. Sed contra est, quod Tullius dicit in primo de Officiis: *Cavenda est gloriæ cupiditas. Eripit enim animi libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet esse contentio.* Ergo opponitur magnanimitati.

In corp. Gloria est quidam effectus honoris et laudis. Ex hoc enim quòd aliquis laudatur, vel quæcunque reverentia ei exhibetur, redditur clarus in notitia aliorum. Et quia magnanimitas est honorum (*Sup.* appetens,) consequens est etiam ut sic circa gloriam; ut scilicet sicut aliquis moderatè utitur honore, ita etiam moderatè utatur gloriâ. Et ideò inordinatus appetitus gloriæ directè magnanimitati opponitur.

(GG) S. Thom. 2. 2. *q.* 133. *art.* 1. *in corp.* Omne illud quod est contrarium naturali inclinationi est peccatum: quia contrariatur legi naturæ. Inest autem unicuique rei naturalis inclinatio ad exsequendam actionem commensuratam suæ potentiæ, ut patet in omnibus rebus naturalibus tam animatis quàm inanimatis. Sicut autem per præsumptionem aliquis excedit proportionem suæ potentiæ, dùm nititur ad majora quàm possit; ita etiam pusillanimus deficit à proportione suæ potentiæ, dùm recusat in id tendere quod est suæ potentiæ commensuratum. Et ideò sicut præsumptio est peccatum, ita et pusillanimitas.

(HH) S. Thom. 2. 2. *Quæst.* 138. *art.* 1. *in corp.* Laus perseverantiæ in hoc consistit quòd aliquis non recedit à bono propter diuturnam tolerantiam difficilium et laboriosorum: cui directè videtur opponi quòd aliquis de facili recedit à bono propter aliqua difficilia, quæ sustinere non potest: et hoc pertinet ad rationem mollitiei.

(II) S. Thom. *ubi suprà art.* 2. *in corp.* Isidorus dicit in lib. Etym. vel Originum lib. 10. cap. 11. *Pertinax dicitur aliquis qui est imprudenter tenax....* Quia scilicet perseverat in propria sententia plusquàm oportet: *Mollis* autem minùs quàm oportet. *Perseverans* autem secundùm quod oportet: undè patet quòd *perseverantia* laudatur sicut in medio existens: pertinax autem vituperatur secundùm excessum medii: *Mollis* autem secundùm defectum.

nimia tenacitas quâ fit ut quis non servet in expensis modum quem et ratio et religio præscribunt unicuique pro sua dignitate et conditione et fortuna. (LL)

I. Quænam virtutes justitiæ partes sunt, vel ipsi annexæ? *R.* Religio (MM); pietas (NN); observantia (OO); obedien-

(KK) S. THOM. 2. 2. *Quæst* 135. *art.* 2. *in corp.* Vitio parvificentiæ, quâ aliquis deficit à debita proportione expensarum ad opus, intendens minùs expendere quàm dignitas operis requirat, opponitur vitium quo aliquis dictam proportionem excedit: ut scilicet plus expendat quàm sit operi proportionatum.

(LL) S. THOM. 2. 2. *q.* 135. *art.* 1. Ex hoc dicitur aliquis parvificus, quòd intendit ad aliquid parvum faciendum: parvum autem et magnum secundùm Philosophum in prædicamentis, relativè dicuntur. Undè cum dicitur quòd parvificus intendit aliquid parvum facere, intelligendum est in comparatione ad genus operis quod facit: in quo quidem parvum et magnum potest attendi dupliciter: uno modo ex parte operis fiendi: alio modo, ex parte sumptûs. Magnificus ergo principaliter intendit magnitudinem operis: secundariò autem intendit magnitudinem sumptûs, quam non vitat ut faciat magnum opus. Undè et Philos. dicit in 4. Eth. quòd *magnificus ab æquali sumptu facit opus magis magnificum:* Parvificus autem è converso principaliter quidem intendit parvitatem sumptûs: undè et Philosophus dicit in 4. Ethicor. quòd *intendit qualiter minimum consumat:* Ex consequenti autem intendit parvitatem operis: quam scilicet non recusat, dummodò parvum sumptum faciat. Undè Philosophus dicit ibidem quòd *parvificus maxima consumens, in parvo* (scilicet quòd non vult expendere) *bonum perdit*, scilicet magnifici operis. Si ergo patet quod parvificus deficiat à proportione quæ debet esse secundùm rationem inter sumptus et opus: defectus autem ab eo quod est secundùm rationem, causat rationem vitii: undè manifestum est quòd parvificentia vitium est.

(MM) S. THOM. 2. 2. *Quæst.* 81. *art.* 4. *in corp.* Cùm virtus ordinetur ad bonum; ubi est specialis ratio boni, ibi oportet esse specialem virtutem. Bonum autem ad quod ordinatur religio, est exhibere Deo debitum honorem. Honor autem debetur alicui ratione excellentiæ: Deo autem competit singularis excellentia, in quantum omnia in infinitum transcendit secundùm omnimodum excessum: undè ei debetur specialis honor: sicut in rebus humanis videmus quòd diversis excellentiis personarum diversus honor debetur, alius quidem patri, alius Regi, et sic de aliis.

Art. 7. *in corp.* Deo reverentiam et honorem exhibemus; non propter seipsum: quia ex seipso est gloriâ plenus, cui nihil à creatura adjici potest; sed propter nos; quia videlicet per hoc quòd Deum reveremur et honoramus, mens nostra ei subjicitur; et in hoc ejus perfectio consistit. Quælibet enim res perficitur per hoc quòd subditur suo superiori.... Mens autem humana indiget ad hoc quòd conjungatur Deo, sensibilium manuductione; quia *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur*, ut Apostol. dicit ad Rom. 1. Et ideò, in divino cultu necesse est aliquibus corporalibus uti, ut eis, quasi signis quibusdam, mens hominis excitetur ad spiritualeS actus quibus Deo conjungitur. Et ideò religio habet quidem interiores actus quasi principales et per se ad religionem pertinentes; exteriores verò actus, quasi secundarios, et ad interiores actus ordinatos.

(NN) S. THOM. 2. 2. *Quæst.* 101. *art.* 1. *in corp.* Homo efficitur diversimodè aliis debitor, secundùm eorum diversam excellentiam, et diversa beneficia ab eis suscepta. In utroque autem Deus summum obtinet locum; qui et excellentissimus est, et est nobis essendi et gubernationis primum principium: secundaria verò nostri esse gubernationis principia sunt parentes et patria, à quibus et in qua nati et nutriti sumus. Et ideò, post Deum est homo maximè debitor parentibus et patriæ: undè sicut ad religionem pertinet cultum Deo exhibere, ita secundario gradu ad pietatem pertinet exhibere cultum parentibus et patriæ.

Art. 2. Ad secundum dicendum quòd Deus longè excellentiori modo est

tia (PP) ; veritatis amor (QQ) ; grati et memoris animi significatio (RR) , vindicatio seu justa scelerum pœna , quod pertinet ad Judices et cæteros qui præsunt (SS), liberalitas (TT) , affabilitas. (VV)

principium essendi et gubernationis , quàm pater vel patria. Et ideò alia virtus est religio quæ cultum Deo exhibet , à pietate , quæ exhibet cultum parentibus et patriæ. Sed ea quæ sunt creaturarum , per quamdam superexcellentiam et causalitatem transferuntur in Deum , ut Dionys. dicit in lib. de Divin. nomin. Undè per excellentiam pietas cultus Dei nominatur ; sicut et Deus excellenter dicitur Pater noster.

(OO) S. Thom. 2. 2. *Quæst.* 102. *art.* 1. *in conc.* Observantia est quædam specialis virtus sub pietate quodammodo contenta , per quam personis in dignitate constitutis cultum et honorem exhibemus.

In corp. Sicut autem carnalis pater particulariter participat rationem principii , quæ universaliter invenitur in Deo ; ita etiam persona quæ quantùm ad aliquid providentiam circa nos gerit , particulariter participat proprietatem patris : quia pater est principium et generationis et educationis , et disciplinæ , et omnium quæ ad perfectionem humanæ vitæ pertinent. Persona autem in dignitate constituta , est sicut principium gubernationis respectu aliquarum rerum ; sicut Princeps civitatis in rebus civilibus , dux autem exercitûs in rebus bellicis : magister autem in disciplinis ; et simile est in aliis : et indè est quòd omnes tales personæ patres appellantur , propter similitudinem curæ : sicut 4. Reg. 5. servi Naaman dixerunt ad eum : *Pater , etsi rem grandem dixisset tibi Propheta , etc.* Et ideò , sicut sub religione per quam cultus tribuitur Deo , quodammodo invenitur pietas per quam coluntur parentes ; ita sub pietate invenitur observantia , per quam cultus et honor exhibetur personis in dignitate constitutis.

(PP) S. Thom. 2. 2. *Quæst.* 104. *art.* 2. *in corp.* Obedire superiori debitum est secundùm divinum ordinem rebus inditum.... Habet autem hic actus specialem rationem laudis ex speciali objecto : cùm enim inferiores suis superioribus multa debeant exhibere , inter cætera hoc est unum speciale , quòd tenentur eorum præceptis obedire : undè obedientia est specialis virtus ; et ejus speciale objectum est præceptum , tacitum vel expressum : voluntas enim superioribus quocunque modo innotescat , est quoddam tacitum præceptum : et tantò videtur obedientia promptior , quantò expressum præceptum obediendo prævenit , voluntate superioris intellectâ. *Lege hanc Quæst. integram.*

(QQ) S. Thom. 2. 2. *Quæst.* 105. *art.* 3. *in corp.* Virtus autem veritatis convenit quidem cum justitia in duobus : uno quidem modo , in hoc quòd est ad alterum : manifestatio enim , quam diximus esse actum veritatis , est ad alterum , in quantum scilicet ea quæ circa ipsum sunt , unus homo alteri manifestat. Alio modo , in quantum justitia æqualitatem quamdam in rebus constituit. Et hoc etiam facit virtus veritatis : adæquat enim signa rebus existentibus circa ipsum. Deficit autem à propria ratione justitiæ quantùm ad rationem debiti : non enim hæc virtus attendit debitum legale , quod attendit justitia , sed potiùs debitum morale ; in quantùm scilicet ex honestate unus homo alteri debet veritatis manifestationem : undè veritas est pars justitiæ , in quantum annectitur ei sicut virtus secundaria principali.

(RR) S. Thom. 2. 2. *Quæst.* 106. *art.* 1. *in corp.* Secundùm diversas causas ex quibus aliquid debetur , necesse est diversificari debiti reddendi rationem : ita tamen quòd semper in majori illud quod minus est contineatur : in Deo autem primò et principaliter invenitur causa debiti , in eo quod ipse est primum principium omnium bonorum nostrorum : secundariò autem , in patre : quia est proximum nostræ generationis et disciplinæ principium : tertiò autem in persona quæ dignitate præcellit , ex qua communia beneficia procedunt : quartò autem in aliquo benefactore , in quo aliqua particularia et privata beneficia percepimus , pro quibus particulariter ei obligamur.

(SS) S. Thom. 2. 2. *Quæst.* 108. *art.* 1. *in corp.* Est autem quædam specialis inclinatio naturæ ad removendum nocumenta : undè et animalibus

I. Quænam sunt vitia Justitiæ opposita ?

R. Vitium nullum est quod justitiæ aliquatenùs non opponatur. Est enim vitium privatio rectitudinis debitæ : seu violatio ordinis supremi quo suum cuique tribui debet. (XX) datur vis irascibilis separatim à vi concupiscibili. Repellit autem homo nocumenta per hoc quòd se defendit contra injurias, ne ei inferantur : vel jam illatas injurias ulciscitur, non intentione nocendi, sed intentione removendi nocumenta. Hoc autem pertinet ad vindicationem : dicit enim Tullius in sua Rhetorica quòd *vindicatio est per quam vis aut injuria et omninò quidquid obscurum est* (id est, *ignominiosum*) *defendendo aut ulciscendo propulsatur :* undè vindicatio est specialis virtus. Ad primum ergo, dicendum quòd sicut recompensatio debiti legalis pertinet ad justitiam commutativam, recompensatio autem debiti moralis quod nascitur ex particulari beneficio exhibito, pertinet ad virtutem gratiæ ; ita etiam punitio peccatorum secundùm quòd pertinet ad publicam justitiam, est actus justitiæ commutativæ : secundùm autem quòd ad immunitatem alicujus personæ singularis, à qua injuria propulsatur, pertinet ad virtutem vindicationis.

Ad tertium, dicendum quod vindicationi opponuntur duo vitia : unum quidem per excessum ; scilicet peccatum crudelitatis vel sævitiæ, quæ excedit mensuram in puniendo : aliud autem est vitium quod consistit in defectu ; sicut cùm aliquis est nimis remissus in puniendo. Undè dicitur Proverb. 13. *Qui parcit virgæ odit filium suum.* Virtus autem vindicationis consistit in hoc ut homo secundùm omnes circumstantias debitam mensuram in vindicando conservet.

(TT) S. Thom. 2. 2. *q.* 117. *art.* 5. Sed contra est quod Ambros. dicit in 1. de Officiis (cap. 28.) justitia ad societatem generis humani refertur : societatis enim ratio dividitur in duas partes : justitiam scilicet, et beneficentiam, quam eamdem liberalitatem et benignitatem vocant : ergo liberalitas ad justitiam pertinet.

In corp. Respondeo dicendum quòd liberalitas non est species justitiæ, quia justitia exhibet alteri quod est ejus, sed liberalitas exhibet id quod suum est : Habet tamen quamdam convenientiam cum justitia, in duobus : Primò quidem, quia principaliter est ad alterum, sicut et justitia : secundò quia est circa res exteriores, sicut et justitia.

(VV) S. Thom. 2. 2. *Quæst.* 114. *art.* 1. *in corp.* Oportet hominem convenienter ad alios homines ordinari in communi conversatione, tam in factis quàm in dictis ; ut scilicet ad unumquemque se habeat secundùm quod decet : et ideò oportet esse quamdam specialem virtutem, quæ hanc convenientiam ordinis observet : et hæc vocatur amicitia, sive affabilitas.

(XX) S. Aug. *Epist.* 167. *alias* 29. *seu lib. de sentent. Jacobi ad Hieronym. cap.* 2. *n.* 5. Certè hinc persuadent (*Stoïci*,) qui unam virtutem habuerit habere omnes, et omnes deesse cui una deficerit, quòd prudentia, nec ignava, nec injusta, nec intemperans potest esse : nam si aliquid horum fuerit, prudentia non erit. Porrò si prudentia tunc erit, si et fortis et justa, et temperans sit, profectò ubi fuerit, secum habet cæteras. Sic et fortitudo imprudens esse non potest, vel intemperans, vel injusta. Sic temperantia necesse est, ut prudens, fortis, et justa sit. Sic justitia non est, nisi sit prudens, fortis, et temperans. Ita ubi vera est aliqua earum, et aliæ similiter sunt : ubi autem aliæ desunt, vera illa non est, etiamsi aliquo modo similis esse videatur.

N. 6. Sunt enim, ut scis, quædam vitia virtutibus apertà discretione contraria, ut imprudentia prudentiæ : sunt autem quædam tantùm quia vitia sunt, ideò contraria, quàdam tamen specie fallaci similia, ut eidem prudentiæ, non imprudentia, sed astutia. Nunc enim eam dico astutiam, quæ usitatiùs in malitiosis intelligi et vocari solet, non sicut nostra loqui Scriptura consuevit, quæ sæpè astutiam in bono ponit : undè, (*Matth.* x. 10.) *Estote astuti ut serpentes :* et illud, (*Prov.* i. *h.*) *Ut et innocentibus det astutiam.* Quanquam et apud illos Romanæ linguæ disertissimus dixerit, (*Salust. de Bello Catil.*) *neque illi tamen ad cavendum dolus, aut astutia dee-*

Nec peccamus nisi quando transgredimur quod vel Deo, vel nobis ipsis, vel proximo debemus, ut suprà dictum est.

rant, astutiam ponens in bono: sed apud illos rarissimum, apud nostros frequentissimum est. Itemque in partibus temperantiæ, apertissimè contraria est effusio parcimoniæ, ea verò quæ tenacitas dici vulgò solet, vitium quidem est tamen parcimoniæ simile, non naturâ, sed fallacissimâ specie. Item dissimilitudine manifestâ contraria est injustitia justitiæ. Solet autem quasi imitari justitiam vindicandi se libido; sed vitium est. Ignavia fortitudini perspicuè contraria est: duritia verò distat naturâ, fallit similitudine. Constantia, pars quædam virtutis est: ab hac inconstantia longè abhorret, et indubiè contrasistit. Pertinacia verò constantia dici affectat et non est: quia illa est virtus, hæc vitium.

Lib. Quæst. 83. *quæst.* 31. *n.* 1. Virtus est animi habitus naturæ modo, atque rationi consentaneus... Habet igitur partes quatuor, Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem, Temperantiam. Prudentia est rerum bonarum et malarum neutrarumque scientia. Partes ejus, memoria, intelligentia, providentia. Memoria illa est per quam animus reperit illa quæ fuerunt. Intelligentia, per quam ea perspicit quæ sunt. Providentia, per quam futurum aliquid videtur antequam factum est. Justitia est habitus animi, communi utilitate conservatà, suam cuique tribuens dignitatem. Ejus initium est ab naturâ profectum: deindè quædam in consuetudinem ex utilitatis ratione venerunt: Posteà res et ab naturâ profectas, et ab consuetudine probatas legum metus et religio sanxit. Naturâ jus est, quod non opinio genuit, sed quædam innata vis inseruit, ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, observantiam, veritatem. Religio est quæ superioris cujusdam naturæ, quam divinam vocant, curam cærimoniamque affert. Pietas, per quam sanguine conjunctis patriæque benevolens officium, et diligens tribuitur cultus. Gratia, in quâ amicitiarum et officiorum, alterius memoria, et alterius remunerandi voluntas continetur. Vindicatio, per quam vis aut injuria et omninò omne quod obfuturum est, defendendo aut ulciscendo propulsatur. Observantia, per quam homines aliquâ dignitate antecellentes, cultu quodam et honore dignamur. Veritas, per quam immutata ea quæ sunt, aut fuerunt, aut futura sunt dicuntur. Consuetudine autem jus est, quod aut leviter à naturâ tractum aluit, et majus fecit usus, ut religionem.... aut quod in morem vetustas vulgi approbatione perduxit. Quod genus pactum est, par, lex, judicatum. Pactum est quod inter aliquos convenit. Par, quod in omnes est æquale. Judicatum, de quo alicujus, aut aliquorum jam sententiis constitutum est. Lege jus est, quod in eo scripto, quod populo expositum est ut observet, continetur. Fortitudo est considerata periculorum susceptio, et laborum perpessio. Ejus partes, Magnificentia, Fidentia, Patientia, Perseverantia. Magnificentia est rerum magnarum et excelsarum cum animi amplâ quâdam et splendidâ propositione agitatio, atque administratio. Fidentia est per quam magnis et honestis in rebus multùm ipse animus in se fiduciæ certâ cum spe collocavit. Patientia est honestatis aut utilitatis causâ rerum arduarum, ac difficilium voluntaria ac diuturna perpessio. Perseverantia est in ratione benè consideratâ stabilis et perpetua permansio. Temperantia est rationis in libidinem atque in alios non rectos impetus animi firma et moderata dominatio. Ejus partes, continentia, clementia, modestia. Continentia est per quam cupiditas consilii gubernatione regitur. Clementia, per quam animi temerè in odium alicujus illecti concitatique comitate retinentur. Modestia, per quam pudor honestus, claram et stabilem comparat auctoritatem

N. 2. Atque hæc omnia propter se solùm, ut nihil adjungatur emolumenti, petenda sunt... Propter se autem vitanda sunt, non ea modò quæ iis contraria sunt, ut fortitudini ignavia, et justitiæ injustitia: verùm etiam illa quæ propinqua videntur et finitima esse, absunt autem longissimè. Quod genus fidentiæ contrarium est diffidentia, et ea re vitium est: audacia, non contrarium, sed appositum, ac propinquum, et tamen vitium est. Sic unicuique virtuti finitimum vitium reperietur, aut certo jam nomine appellatum, ut audacia quæ fidentiæ, pertinacia quæ perseverantiæ finitima est, superstitio quæ religioni propinqua est; aut sine

(De vitiis illis omnibus et peccatis jam magna ex parte egimus. Reliqua prosequemur in sequentibus quæ sunt de præceptis Dei et Ecclesiæ.)

ullo certo nomine : quæ omnia item uti contraria rerum bonarum in rebus vitandis reponemus.

N. 3. Sunt igitur multa quæ nos, cùm dignitate, tum fructu quoque suo ducunt : quo in genere est gloria, dignitas, amplitudo, amicitia. Gloria est frequens de aliquo fama cum laude. Dignitas, alicujus honesta, et cultu et honore et verecundiâ digna auctoritas. Amplitudo est potentia, aut majestas, aut aliquarum copiarum magna abundantia. Amicitia, voluntas erga aliquem rerum bonarum, illius ipsius causâ quem diligit, cum ejus pari voluntate.

S. Bernard. *Serm.* 3. *in adventu Domini*, *n.* 4. Justitia virtus est, quod suum est unicuique tribuens. Tribue ergo tribus, quæ sua sunt. Redde superiori, redde inferiori, redde æquali cuique quod debes.... Redde, inquam, reverentiam Prælato, et obedientiam, quarum altera cordis, altera corporis est. Nec enim sufficit exteriùs obtemperare majoribus nostris, nisi ex intimo cordis affectu sublimiter sentiamus de eis. Quod et si tam manifestè innotuerit indigna prælati alicujus vita, ut nihil omninò dissimulationis, nihil excusationis admittat : propter eum tamen à quo est omnis potestas, ipsum quem modò talem novimus, excelsum reputare debemus, non præsentibus personæ meritis, sed ordinationi divinæ et dignitati ipsius officii deferentes.

N. 5. Sic et fratribus nostris, inter quos vivimus, ipso jure fraternitatis et societatis humanæ consilii sumus et auxilii debitores. Hæc enim volumus, ut et ipsi nobis impendant consilium, quo eruditur ignorantia nostra ; auxilium, quo juvetur infirmitas nostra... Non deerit certè quod facias, tantummodò charitas fraterna non desit. Nullum ego consilium melius arbitror, quàm si exemplo tuo fratrem docere studeas, quæ oporteat, quæ non oporteat fieri ; provocans eum ad meliora, et consulens ei, non verbo, neque linguâ, sed opere et veritate. An verò utilius aut efficacius auxilium aliquod est, quàm ut ores devotè pro eo, ut non dissimules redarguere culpas ejus: ut non modò nullum ei offendiculum ponas, sed et sollicitus sis, quantùm prævales tanquam Angelus pacis de regno Dei scandala tollere, et occasiones scandalorum penitùs dimovere ? Si talem te fratri auxiliarium et consiliarium exhibes, reddis ei quod debes, nec habet undè causetur.

N. 6. *Vide infrà Sect.* 3. *Cap.* 5. *§.* 2. *hujusce Partis.*

Incognitus Auctor. *Tract. de Ordine vitæ*, *Tom.* 2. *Operum S. Bernardi. part.* 3. *cap.* 7. *n.* 22. Undè jam non immeritò prudentiam, fortitudinem, justitiam et temperantiam in tertio constituimus gradu : quia per eas maximè instruuntur mores, et benè vivendi magisterium docetur. Sed ex his Prudentia agnitione veri delectat.... Justitia dilectionem Dei et proximi servat. Fortitudo metum mortis contemnit. Temperantia affectionem carnis temperat. Prima etenim intelligit. Secunda benè vivit. Tertia appetitum cohibet. Quarta modum imponit. Tres illæ superiores quod honestum est operantur : hæc autem quarta decorum agit illud, quod ex radice honestatis proficiscitur. Siquidem Prudentia est agnitio veræ fidei, et scientia Scripturarum.... Justitia verò est Deum timere ; religionem venerari, honorem ferre parentibus, patriam diligere, cunctis prodesse, nocere nulli, fraternæ charitatis vinculum tenere, pericula aliena suscipere, opem ferre miseris, bonis vicissitudinem rependere, æquitatem in judiciis conservare. Fortitudo autem, est animi magnitudo, contemptus honorum vel divitiarum. Hæc adversis aut patienter cedit, aut resistit fortiter. Nullis illecebris edomatur, malis et adversis non frangitur, non elevatur secundis, invicta ad labores, fortis ad pericula, pecuniam negligit, avaritiam fugit, contra universa pericula animum præparat, molestiis nullis cedit, gloriæ cavet appetitum. Sed inter has Temperantia semper amplectenda est. Est enim modus vitæ in omni verbo vel opere. Hæc autem sobrietatis et verecundiæ comes est, quæ alio nomine vocatur modestia. Humilitatis regulam custodit, tranquillitatem animi servat, continentiam et castitatem diligit, fovet decus et

honestatem, restringit ratione appetitum : iram contemnit, nec rependit contumeliam.

N. 23. His tu plagis cœli includere homo Dei. His tu armis bellator Christi accingere, protegere, et ornare. Iste currus igneus te fortem militem gestabit, consummato cursu, ad cœli palatium ut assistas Regi tuo, cui certasti bonum certamen, fidem servasti. Benè rege hanc quadrigam virtutum, et sede in ea firmus, ut isto vehiculo vehi altiùs, et introduci valeas ad tricameratam domum in summo montis vertice collocatam. Hanc enim dico firmam fidem, spem inconcussam, perfectam charitatem, quæ omnem servilem foràs mittit timorem, ubi via mandatorum Dei dilatato corde curritur.

Qui plura volet, legat 2. 2. S. THOM. *integros articulos ex quibus pauca hæc suprà exscripsimus.*

FINIS TOMI QUARTI.

INDEX

TOMI QUARTI.

SECUNDA PARS.

In qua expenditur quâ sit ratione vivendum, ut ad vitam perveniatur æternam, ad quam homines conditi.

CAPUT PRÆVIUM. *De vita Christiana in genere.* Pag. 1

SECTIO PRIMA.

De Peccatis.

CAPUT I. *De Peccatis in genere.*

§. 1. De Peccatis in genere ; et de variis peccatorum divisionibus. 9

§. 2. De singulis Peccatorum actualium generibus, ac 1° de mortali ac veniali. 14

§. 3. De cæteris Peccatorum actualium generibus. 26

CAPUT II. *De Peccatis in specie.*

§. 1. De Superbiâ. 32

§. 2. De Avaritiâ. 57

§. 3. De Luxuriâ. 71

§. 4. De Gulâ. 92

§. 5. De Invidiâ. 101

§. 6. De Irâ. 110

§. 7. De Desidiâ, quam Acediam vocant. 118

SECTIO SECUNDA.

De Virtutibus.

CAPUT I. *De Virtutibus in genere.* 125

CAPUT II. *De Virtutibus in specie; ac primo de Fide.*

§. 1. Quid sit Fides. 126

§. 2. De auctoritate Ecclesiæ in rebus Fidei. 127

§. 3. De Scripturâ Sacrâ. 133
§. 4. De auctoritate Traditionis in rebus Fidei. 144
§. 5. De auctoritate Conciliorum et SS. Patrum in rebus Fidei. 154
§. 6. De necessitate Fidei. 161
§. 7. De peccatis Fidei oppositis. Item de signis Fidei, maximèque de signo crucis. 163

CAPUT III. *De Spe.*

§. 1. Quid sit Spes. 173
§. 2. De peccatis Spei oppositis. 180

CAPUT IV. *De Charitate.*

§. 1. De Amore Dei. 186
§. 2. De Amore sui-ipsius. 201
§. 3. De Amore proximi. 208
§. 4. De Eleemosyna. 219
§. 5. De Correctione fraternâ. 239
§. 6. De condonatione offensarum. 250

CAPUT V. *De Virtutibus Christianis, quæ Morales appellantur.*

§. 1. De quatuor Virtutibus Cardinalibus. 258
§. 2. De Virtutibus quæ ex virtutibus Cardinalibus oriuntur, vel cum ipsis connexæ sunt. Et de vitiis oppositis. 274

FINIS INDICIS TOMI QUARTI.

1067